

Relig. Theol.

APOCALYPSIS

EXPLICATA SECUNDUM SENSUM SPIRITUALEM

UBI REVELANTUR ARCANA

quae ibi praedicta et hactenus recondita fuerunt

OPUS POSTHUMUM

EMANUELIS SWEDENBORGII

AD FIDEM EDITIONIS PHOTOLITHOGRAPHICAE 1870 HOLMIAE EXCUSAE

VOL. III

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

20 COOPER UNION

MDCCCLXXXV

CAPUT IX.

ET quintus angelus clanxit, et vidi stellam e caelo delapsam in terram, et data ei clavis putei abyssi.

2. Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus e puteo sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer e fumo putei.

3. Et e fumo exiverunt locustae in terram, et data illis potestas sicut habent potestatem scorpii terrae.

4. Et dictum illis ne laederent gramen terrae, neque ullum viride, neque ullam arborem, nisi homines solos, quicunque non haberent sigillum Dei in frontibus suis.

5. Et datum illis ut non occiderent illos, sed ut cruciarent menses quinque; et cruciatus illarum sicut cruciatus scorpii cum percutit hominem.

6. Et in diebus illis quaerent homines mortem et non invenient illam, et cupient mori et fugiet mors ab illis.

7. Et similitudines locustarum similes equis paratis ad bellum, et super capitibus illarum sicut coronae similes auro; et facies illarum sicut facies hominum.

8. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, et dentes illarum sicut leonum erant.

9. Et habebant thoraces sicut thoraces ferreos; et vox alarum illarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

10. Et habebant caudas similes scorpiis, et aculei

erant in caudis illarum; et potestas illarum laedere homines mensibus quinque.

11. Et habebant super se regem, angelum abyssi; nomen ei Hebraice Abaddon, et in Graeca nomen habet Apollyon.

12. Vae unum praeteriit, ecce veniunt adhuc duo vae post haec.

13. Et sextus angelus clanxit, et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod coram Deo,

14. Dicentem sexto angelo qui habebat tubam, Solve quatuor angelos vinctos ad flumen magnum Euphratem.

15. Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati in horam et diem et mensem et annum, ut occiderent tertiam partem hominum.

16. Et numerus exercituum equitatus, duae myriades myriadum; et audivi numerum illorum.

17. Et ita vidi equos in visione, et sedentes super illis, habentes thoraces igneos et hyacinthinos et sulphureos; et capita equorum sicut capita leonum; et ex oribus illorum exivit ignis et fumus et sulphur.

18. A tribus his occisa est tertia pars hominum, ex igne et ex fumo et ex sulphure exeunte ex oribus illorum.

19. Nam potestas illorum in ore illorum erat, nam caudae illorum similes serpentibus, habentes capita, et in his laedunt.

20. Et reliqui homines, qui non occisi sunt in plagis his, neque paenitentiam egerunt ex operibus manuum suarum, ut non adorarent daemonia, et idola aurea et argentea et aerea et lapidea et lignea, quae neque videre possunt, neque audire, neque ambulare.

21. Et non egerunt paenitentiam ex homicidiis suis, neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis, neque ex furtis suis.

EXPLICATIO.

VERSUS 1, 2.

533. ***"Et quintus angelus clanxit, et vidi stellam e caelo delapsam in terram, et data ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus e puteo sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer a fumo putei."***

1. ***"Et quintus angelus clanxit,"*** significat *influxum e caelo manifestantem statum ecclesiae, quod plane immutatus sit* [n. 534]; ***"et vidi stellam e caelo delapsam in terram,"*** significat *cognitiones veri falsificatas et sic versas in falsa* [n. 535]; ***"et data ei clavis putei abyssi,"*** significat *communicationem et conjunctionem cum infernis* [n. 536].

2. ***"Et aperuit puteum abyssi,"*** significat *communicationem et conjunctionem cum infernis ubi et unde talia falsa* [n. 537, 538]; ***"et ascendit fumus e puteo sicut [1]fumus fornacis magnae,"*** significat *inde densa falsa ex malis amorum terrestrium et corporeorum* [n. 539, 540]; ***"et obscuratus est sol et aer a fumo putei,"*** significat *quod lux veri a Domino caligo facta sit per falsa infernalia* [n. 541].

534. [*Vers.* 1.] ***"Et quintus angelus clanxit."***—Quod significet *influxum e caelo manifestantem statum ecclesiae, quod plane immutatus sit*, constat ex significatione "clangere tuba," quod sit influxus e caelo, et mutatio status ecclesiae (de qua supra, n. 502[*a*]); hic quod status ecclesiae plane immutatus sit, quia de tribus his ultimis vicibus, quibus clangerent angeli, mox supra dictum est, "Vae, vae, vae habitantibus super terra ex reliquis [2]vocibus tubae trium angelorum futurorum clangere." Immutatio quae in nunc sequentibus describitur, est quod omne verum deperditum sit, et quod falsum, quod loco ejus, aperuerit inferna, unde falsa effluunt.

535. ***"Et vidi stellam e caelo delapsam in terram."***—Quod significet *cognitiones veri falsificatas et sic versas in falsa*, constat ex significatione "stellarum," quod sint cognitiones boni et veri (de qua supra, n. 72, 402); et ex significatione "labi" et "cadere e caelo," quod sit perire; et cognitiones veri pereunt cum negantur et cum falsificantur; hic cum falsificantur, nam in hoc Libro non agitur de illis qui negant vera, sed de illis qui falsificant illa: qui enim negant vera, non sunt inter illos qui in priori caelo sunt, et inde die ultimi judicii dejiciuntur in infernum; hi enim statim post mortem illuc conjiciuntur: at illi qui falsificant vera ex variis causis, sunt de quibus in hoc Libro agitur, quoniam illi fecerunt sibi caelum quod postea destructum est. Illi cognitiones veri et boni, quae ex Verbo, falsifi-

cant, qui agnoscunt Verbum sed illud applicant ad favorem suorum amorum, et ad favorem principiorum quae ex propria intelligentia, ita vertunt vera Verbi in falsa; sic cognitiones boni et veri apud illos pereunt. Ex his constare potest quod per "stellam e caelo delapsam in terram" significetur quod cognitiones veri falsificatae sint, et sic versae in falsa (similiter ac supra, n. 517). Quod "delabi" seu "cadere e caelo in terram" significet perire, hoc est, non locum amplius habere in caelo, sed inde dejici et conjungi inferno, patet a sequentibus, ubi dicitur quod "data ei sit clavis putei abyssi," et quod "aperuerit illum;" per "puteum abyssi" significatur infernum ubi et unde falsa mali. Simile significatur per "cadere e caelo in terram" supra in *Apocalypsi*,

> "Et stellae caeli ceciderunt in terram" (vi. 13);

et alibi,

> Draco cauda sua "traxit tertiam partem stellarum caeli, et projecit eas in terram" (xii. 4);

apud *Danielem*,

> Cornu hirci caprarum "crevit usque ad exercitum caelorum, et dejecit in terram de exercitu, et de stellis, et conculcavit illa" (viii. 10);

apud *Matthaeum*,

> "Statim post afflictionem dierum istorum sol obscurabitur, ... et stellae cadent de caelo" (xxiv. 29).

Simile significatur per Domini verba apud *Lucam*,

> Dixit Jesus, "Vidi satanam sicut fulmen e caelo cadentem" (x. [1]18):

per "satanam" intelligitur omne falsum quod destruit verum; inferna enim ubi talia falsa, et unde illa, vocantur "satanas;" at inferna ubi et unde sunt mala quae destruunt bona, vocantur "diabolus:" quare per quod "satanas sicut fulmen e caelo ceciderit," intelligitur quod omne falsum, quod destruxit verum Verbi, e caelo dejectum sit: similiter,

> Quod dejectus sit draco magnus in terram, et angeli illius cum illo, et quod locus eorum non inventus sit amplius in caelo ([*Apoc.*] xii. 8, 9).

Ex his constare potest, quod "labi," "cadere" et "dejici e caelo in terram," significet non amplius habere locum in caelo, sed in inferno, ita perire: per "terram" etiam ibi

significatur damnatum (ut supra, n. 304[g] ad finem, ostensum est). Quod illi qui falsificant vera Verbi per interpretationes ad confirmandum mala vitae, se avertant a caelo et convertant ad infernum, est quia per Verbum est conjunctio caeli cum homine: caelum enim est in sensu Verbi spirituali, et homo est in sensu ejus naturali; quare caeli cum mundo est conjunctio per Verbum: ideo etiam Verbum vocatur "foedus," ac foedus est conjunctio. Ex eo est, quod qui Verbum applicant ad mala vitae et ad principia falsa quae ex propria intelligentia, non possint conjungi caelo: et qui non conjuncti sunt caelo, illi conjunguntur inferno; nam homo vel erit in caelo vel erit in inferno; non licet ei inter utrumque pendere. At qui applicant Verbum ad talia falsa quae non discordant cum bono vitae, qualia sunt apud gentes probas quae non habent Verbum, et apud simplices in ecclesia qui credunt in Dominum et bene vivunt, illorum falsa, quia ex illis spectant bonum, etiam a Domino applicantur ad bonum, et vertuntur ad caelum: essentiale enim in caelo est bonum vitae, quod idem est cum bono amoris in Dominum, et cum bono charitatis erga proximum; nam secundum id bonum est cuivis ibi perceptio veri, intelligentia et sapientia. Ex his constare potest quid intelligitur per falsificationem veri ex Verbo, quae hic significatur per "stellam e caelo delapsam in terram."

536. *"Et data ei clavis putei abyssi."*—Quod significet *communicationem et conjunctionem cum infernis*, constat ex significatione "clavis," quod sit aperitio (de qua sequitur); et ex significatione "putei abyssi," quod sint inferna ubi et unde falsa mali (de qua in sequentibus articulis). Quod dicatur quod "data sit stellae e caelo delapsae in terram clavis putei abyssi," est quia per "stellam" significantur cognitiones veri ex Verbo falsificatae per applicationes ad mala et inde falsa; et mala falsi et falsa mali, quae sunt apud hominem, aperiunt inferna ubi similia mala et falsa: sed quid per *aperire inferna* intelligitur, etiam dicetur in sequente articulo; nam mox dicitur, "et aperuit puteum abyssi." Quod "clavis" significet aperitionem, est ex apparentia in mundo spirituali: sunt ibi domus et conclavia; sunt januae per quas intrant, et sunt serae et claves per quas aperiuntur; et singula illa significant talia quae sunt apud hominem: ipsa domus correspondet interioribus quae ejus

animi et mentis sunt, conclavia similiter; et januae correspondent communicationibus quae sunt inter interiora mentis et animi, et clavis correspondet admissioni et aperitioni ab una parte in alteram; verbo, singula domus, in qua habitant angeli et spiritus, correspondent singulis quae in illis. Pauci ex spiritibus id norunt, ex causa quia pauci sciunt aliquid de correspondentiis; sunt enim in illis, quare non reflectunt super illa. Se habet hoc sicut in mundo apud homines, quod pauci sciant quales sunt affectiones et cogitationes suae, quia sunt in illis, et inde non reflectunt super illas; cum tamen sunt innumerabilia, ut constare potest ex analyticis, quae a pluribus eruditis detecta sunt, quae omnia sunt operationes mentis. Ex his sciri potest unde est quod dicatur "clavis," et quod illa significet admissionem et aperitionem. Similiter alibi in Verbo:—Ut apud *Matthaeum*,

> Jesus dixit Petro, "Dabo tibi claves regni caelorum" (xvi. 19);

(quod explicatum videatur supra, n. 206:) tum apud *Esaiam* (cap. xxii. [1]20, 22), ubi de Eliakimo simile dicitur (quod etiam explicatum est supra, n. 206): ut et in *Apocalypsi*,

> "Ego habeo claves inferni et mortis" (i. 18);

(de quo supra, n. 86:) alibi,

> "Haec dicit Sanctus Verus, habens clavem Davidis, aperiens et nemo claudit, et claudens et nemo aperit" (*Apoc.* iii. 7);

(de quibus supra, n. 205, 206:) et alibi,

> "Vidi angelum descendentem e caelo, qui habebat clavem abyssi, et catenam magnam super manu sua, et comprehendit draconem, ... et vinxit illum mille annis" (xx. 1, 2);

(quae in sequentibus explicabuntur:) et apud *Lucam*,

> "Vae vobis legisperitis, [2]quia portatis claves caeli, ipsi non ingredimini, et ingredientes prohibetis" (xi. 52):

"legisperiti" dicti fuerunt qui scrutati sunt Scripturas, et docuerunt quomodo intelligenda sunt quae ibi; et quia Scriptura Sacra seu Verbum est per quod communicatio et inde conjunctio est cum caelo, ut in mox superiori articulo dictum est, et quia vera sunt quae aperiunt communicationem et bona veri quae faciunt conjunctionem, at vera falsificata, quae in se sunt falsa mali, quae disjunctionem,

ideo dicitur quod "portent claves caeli," hoc est, quod per vera aperire possint communicationem cum caelo illis quos docent; at quia perverterunt Verbum per applicationes ad suos amores et inde ad principia falsa, ideo dicitur quod "non ipsi ingrederentur," et quod "ingredientes prohiberent." Ex his quoque constare potest quod "clavis quae aperuit puteum" significet communicationem et conjunctionem cum infernis per falsa in quae versa sunt vera Verbi ab illis qui falsificant illa applicando ad mala vitae, et ad principia falsa inde capta.

537[*a*]. [*Vers.* 2.] ***"Et aperuit puteum abyssi."***—Quod significet *communicationem et conjunctionem cum infernis ubi et unde talia falsa sunt*, constat ex significatione "aperire," quod hic sit communicare et conjungere (de qua sequitur); et ex significatione "putei abyssi," quod sit infernum ubi et unde talia falsa sunt. Quod illa dicantur "putei abyssi," est quia "puteus" significat Verbum in sensu litterae, et inde verum doctrinae, at in opposito sensu Verbum falsificatum et inde falsum doctrinae, ac "abyssus" ac "profundum maris" significat infernum: quod significet infernum ubi illi qui falsificaverunt vera Verbi applicando ad mala vitae, est quia illa inferna apparent illis qui supra sunt sicut maria, ac illi ibi in fundis eorum. Illa maria seu inferna etiam mihi visa sunt, et quoque visi qui in fundis; et inde quoque mecum locuti sunt, qui dixerunt quod non in aquis sint, sed in sicco: inde patuit quod aquae illorum marium sint apparentiae correspondentes falsis in quibus sunt; aquae illorum marium sunt crassiores et densiores secundum falsificationes, et quoque profunditates variae secundum mala quae falsificaverunt. Sed de significatione "abyssi" in Verbo dicetur infra. Quod "aperire puteum abyssi" significet communicationem et conjunctionem cum talibus infernis, est quia inferna non aperiuntur nisi quando intrant spiritus mali, quod fit cum tempus in mundo spirituum egerunt: non enim licet alicui malo spiritui ex inferno exire postquam semel illuc conjectus est; si exit, usque illuc actutum relabitur. At unusquisque homo conjunctus est spiritibus qui in mundo spirituum sunt, talibus qualis ipse est; quare homo qui falsificat Verbum, applicando ad mala vitae et ad falsa confirmantia illa, conjungitur similibus spiritibus, et per illos conjungitur

infernis quae in similibus falsis sunt. Unusquisque homo post mortem fit spiritus, et tunc alligatur statim vel societatibus infernalibus vel societatibus caelestibus, secundum vitam suam in mundo; et omnes spiritus, antequam in infernum dejiciuntur vel in caelum elevantur, sunt primum in mundo spirituum, et tunc apud homines qui in mundo vivunt; mali spiritus apud malos, ac boni apud bonos: per hos habet homo communicationem et conjunctionem vel cum infernis vel cum caelis. Inde patet quod per "aperire puteum" non significetur aperire infernum, sed communicationem, et per communicationem habere conjunctionem cum inferno. Ex singulis infernis etiam exhalantur falsa mali in multa copia, in quibus sunt spiritus qui in mundo spirituum sunt, et simul homines qui in similibus falsis in nostro mundo sunt: non alibi potest spiritus et homo esse quam ubi ejus vitae amor est; quod enim homo amat hoc vult, hoc cogitat, et hoc spirat. (Quid mundus spirituum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 421–431, seq.) Quod "puteus" significet Verbum et verum doctrinae, et in opposito sensu Verbum falsificatum et inde falsum doctrinae, est quia putei continent aquas; et "aquae" significant vera, et in opposito sensu falsa, ut supra (n. 71, 483, 518) ostensum est. Quod "puteus" haec et illa significet, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Mosen*,

> "Profecti sunt in Beer: hic puteus de quo dixit Jehovah Mosi, Collige populum et dabo [1]illis aquas. Tunc cecinit Israel canticum hoc, Ascende, putee, respondete ex eo: puteum foderunt eum principes, effoderunt spontanei populi per Legislatorem baculis suis" (*Num.* xxi. 16–18):

quod hic "puteus" significet verum doctrinae ex Verbo, constare potest ex cantico quod Israel de eo cecinit; quod "ascenderet puteus," et "responderent ex eo," significat quod doctrina ex Verbo doceret verum, et quod illi reciperent id; evocatio veri significatur per "Ascende, putee;" ac receptio et instructio per "Respondete ex eo:" "puteum foderunt principes, effoderunt spontanei populi per Legislatorem baculis suis," significat quod illi qui in veris et in bonis veri sunt illustrentur a Domino, et ex Ipso per Verbum pervestigent et colligant doctrinam; "principes" significant illos qui in veris sunt, "spontanei populi" illos

qui in bonis veri; "fodere" significat pervestigare et colligere; "Legislator" significat Dominum quoad Verbum et quoad doctrinam ex Verbo, et "baculi" significant potentiam et vires mentis; hic a Domino per Verbum, quia dicitur "per Legislatorem:" inde patet quid "puteus" ibi significat. Quod de eo cecinerit Israel canticum, erat quia *Beer* in lingua originali significat puteum, et "puteus" in spirituali sensu significat Verbum et doctrinam ex Verbo; similiter "Beerscheba," quae in historicis Verbi pluries nominatur. Simile significat

> Puteus Jacobi, ad quem Dominus consedit, et locutus est cum muliere Samaritide, et dixit, "Si scires donum Dei, et quis sit qui dicit tibi,....tu peteres ab Eo" aquam, "et daret aquam viventem,.... quae fiet..fons aquae salientis in vitam aeternam" (*Joh.* iv. 6–15):

quod Dominus ibi locutus sit cum muliere Samaritide ad illum puteum, erat quia per "mulierem Samaritidem" intelligebatur ecclesia instauranda apud gentes; et per "Samaritas," qui etiam alibi memorantur, intelliguntur gentes quae recepturae doctrinam ab Ipso et de Ipso: per "puteum" illum significatur doctrina ex Verbo, per "aquam" verum doctrinae, et per "Dominum sedentem ad illum puteum" Verbum seu Divinum Verum: quod per Divinum Verum ex Verbo a Domino sit salus, significatur per quod "aqua quam Ipse daret, fiet fons aquae salientis in vitam aeternam." Simile quod per "puteum Jacobi," etiam significatur per

> Puteos quos foderunt servi Abrahami et servi Isaci, de quibus rixati sunt cum servis Abimelechi (*Gen.* xxi. 25; cap. xxvi. 15, 18–22, 25, 32):

per "puteos" quos foderunt servi Abrahami et servi Isaci significantur vera doctrinae, quia per "Abrahamum," "Isacum" et "Jacobum" in Verbo intelligitur Dominus; per "Abimelechum" autem, regem Geraris seu Philisthaeorum, intelliguntur qui in solis veris absque bono vitae ponunt salutem, similiter ac faciunt hodie qui in sola fide. Et quia omne verum est ex bono, seu omne fidei est ex charitate, et illi qui separant et excludunt bonum a vero, seu charitatem a fide, non aliquod verum genuinum doctrinae possident, sed est omne verum Verbi apud illos sicut sensus vocum absque perceptione rei, ita sicut putamen absque nucleo, ideo de veris fidei rixantur: hoc repraesentatum

et significatum est per rixationes servorum Abimelechi cum servis Abrahami et Isaci de puteis. Sensus internus spiritualis est aeque in historicis Verbi ac in propheticis ejus, ut constare potest ex *Arcanis Caelestibus*, ubi historica, quae continentur in *Genesi* et in *Exodo*, quoad sensum internum spiritualem explicata sunt, etiam de puteis Abrahami et Isaci, quae videantur. Ad quid alioqui historica de puteis in Verbo? Apud *Lucam*,

> "Cujus vestrum aut asinus aut bos in puteum incidit, quem non statim extrahitis in die Sabbathi?" (xiv. 5:)

quod hoc statutum fuerit apud gentem Israeliticam et Judaicam, erat propter sensum spiritualem qui illi inest; omnia enim statuta, judicia et praecepta data filiis Israelis significabant spiritualia quae sunt caeli et ecclesiae; hoc itaque statutum significabat quod si aliquis labitur in falsum et in malum, educendus sit per verum quod docetur die Sabbathi a Domino: per "puteum" ibi significatur falsum et malum falsi; per "asinum" et "bovem" significatur verum et bonum naturalis hominis; per "incidere in puteum" significatur in falsum et in malum falsi; per "extrahi in die Sabbathi" significatur instrui et sic ab illis educi: "dies" enim "Sabbathi" significat ibi Dominum quoad instructionem et doctrinam; quare Se vocat "Dominum Sabbathi." (Quod "asinus" significet verum naturalis hominis, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 2781, 5741; et quod "bos" significet bonum naturalis hominis, n. 2180, 2566, [1]9134, ibi.)

[***b.***] Similem paene sensum spiritualem continent haec apud *Mosen*,

> "Cum aperuerit vir foveam, vel cum foderit vir foveam et non operuerit eam, et ceciderit in illam bos aut asinus, dominus foveae rependet, argentum reddet [2]domino ejus, et mortuum erit sibi" (*Exod.* xxi. 33, 34):

"cum aperuerit vir foveam" significat si quis falsum, quod apud se, propalaverit; "vel cum foderit vir foveam" significat si vel falsum finxerit aut excluserit; "et ceciderit illuc bos vel asinus" significat quod pervertit bonum et verum in naturali quod apud alterum; "dominus foveae rependet" significat quod is a quo falsum emendabit; "argentum reddet [2]domino ejus" significat per verum apud illum cujus et verum et bonum in naturali perversum est; "et mortuum erit sibi" significat quod malum aut falsum

apud eum maneat: (sed haec plenius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9084–9089:) hic "fovea" simile significat quod "puteus." Similiter apud *Matthaeum*,

> "Duces caeci caecorum; quando caecus caecum ducit, ambo in foveam incidunt" (xv. 14; *Luc.* vi. 39):

haec Dominus dixit ad Scribas et Pharisaeos, qui tametsi habebant Verbum, ubi omnia Divina vera sunt, usque nihil veri intellexerunt; et quia docebant falsa, et quoque a populo credebantur falsa, vocantur "duces caeci caecorum:" "caeci" in Verbo dicuntur qui non intelligunt verum; et quia "fovea" significat falsum, dicitur quod ambo in illam incidant. Apud *Davidem*,

> "Eripe me e luto ne submergar; eripiar ab osoribus meis, et e profunditatibus aquarum; ne obruat me fluctus aquarum, neque absorbeat me profunditas, nec claudat super me puteus os suum" (Ps. lxix. 15, 16 [*B. A.* 14, 15]):

quod "puteus" significet infernum ubi et unde falsa, hic manifeste patet; nam dicitur "ne claudat super me puteus os suum," hoc est, ne infernum unde falsa, seu ne falsa ab inferno me totum occupet, ut non evadam: per "eripere e luto ne submergar" significatur e malo falsi ne peream: "eripiar ab osoribus, et e profunditatibus aquarum," significat liberari a malis et falsis quae ab infernis; "osores" sunt mala inde, et "profunditas aquarum" sunt falsa inde: "ne absorbeat me profunditas" significat ne infernum ubi falsa mali, seu ne falsa mali quae ab inferno. Apud eundem,

> "Blandum faciunt ut butyra os suum, et cum appropinquat cor cujusvis, mollia sunt verba ejus prae oleo, cum illa stricti gladii;.... et Tu, Deus, dejicies eos in puteum foveae" (Ps. lv. [1]22, 24 [*B. A.* 21, 23]):

haec dicta sunt de illis qui simulant affectiones bonas, dum loquuntur falsa per quae seducunt: "blandum facere sicut butyra os suum" significat simulatum bonum per affectiones; "butyra" significat bonum affectionis externae: "mollia sunt verba ejus prae oleo" significant similia; "oleum" est bonum affectionis internae: "cum illa stricti gladii" significant cum tamen sunt falsa destruentia bonum et verum; "gladii stricti" sunt falsa destruentia: "Tu, Deus, dejicies eos in puteum foveae," significat in infernum ubi

falsa destructiva illius generis. Quoniam "foveae" in Verbo paene similia cum "puteis" significant, sunt enim sicut putei, velim aliqua loca etiam de illis adducere:— Apud *Jeremiam*,

> "Magnates illorum miserunt minorennes suos ad aquas; venerunt ad foveas, non invenerunt aquas, reversi sunt vasis suis vacuis" (xiv. 3):

per "magnates" intelliguntur qui alios ducunt et docent, per "minorennes" qui ducuntur et docentur, et per "aquas" vera; inde constat quid significatur per quod "magnates illorum miserint minorennes ad aquas:" per "foveas in quibus non aquae" significantur doctrinalia in quibus non vera; inde constat quid significatur per quod "venerint ad foveas, non invenerunt aquas:" quod illis non aliqua scientia nec intellectus veri, significatur per quod "reversi sint vasis suis vacuis;" "vasa" in Verbo significant recipientia veri, et inde scientifica et intellectualia. Apud *Sachariam*,

> "Per sanguinem foederis tui emittam vinctos e fovea, in qua non aqua" (ix. 11):

haec dicta sunt de liberatione fidelium a Domino, qui in terra inferiore usque ad adventum Ipsius detenti sunt; et quoque de illustratione gentium quae in falsis ex ignorantia fuerunt: per "sanguinem foederis tui" significatur Divinum Verum procedens a Domino, ita Verbum; hoc "foedus" vocatur quia per id est conjunctio; "foedus" significat conjunctionem: per "vinctos in fovea in qua non aqua" intelliguntur illi qui in falsis ex ignorantia sunt; "fovea" est doctrina non veri, et quoque est terra inferior ubi illi qui in falsis ex ignorantia usque ad adventum Domini detenti fuerunt; "ubi non aqua" est ubi non verum; illi "vincti" dicuntur quia a falsis non liberari potuerunt quam a Domino. Apud *Jeremiam*,

> "Duo mala fecit populus meus; Me deseruerunt, fontem aquarum vivarum, ad excidendum sibi foveas, foveas fractas quae non continere possunt aquas" (ii. 13):

per "excidere foveas, foveas fractas quae non continent aquas," significatur excludere doctrinalia ex propria intelligentia, quae quia ex proprio sunt, falsa sunt; nam proprium hominis non est nisi quam malum; et quia est malum,

ex eo etiam producitur falsum, malum enim non producere potest nisi quam falsum; sed haec videantur explicata supra (n. 483[b]). Apud eundem,

> "Jehovah,....qui ascendere fecit nos e terra Aegypti, qui duxit nos in deserto, in terra solitudinis et foveae, in terra siccitatis et umbrae densae, per quam non transiit vir nec habitavit homo" (ii. 6):

quod per "desertum," in quo ducti sunt filii Israelis, repraesentatus et significatus sit primus status ecclesiae instaurandae apud illos qui in mera ignorantia boni et veri sunt, ostensum est in *Arcanis Caelestibus*, in quibus explicata est *Exodus;* et quia ille status per errores illorum in deserto repraesentatus et significatus est, ideo dicitur quod "Jehovah duxerit illos in terra solitudinis et foveae, in terra siccitatis et umbrae densae:" per "terram solitudinis et siccitatis" intelligitur hic ut alibi in Verbo status non perceptionis boni; et per "terram foveae et umbrae densae" intelligitur status ignorantiae veri, et inde falsitatis: "per quam vir non transiit, neque homo habitavit," significat ubi non aliquis intellectus veri nec aliqua perceptio boni; per "virum" in Verbo significatur intellectus veri, et per "hominem" perceptio boni, et per utrumque non ecclesia quoad verum nec quoad bonum. Apud *Esaiam*,

> "Festinabit educens ut aperiatur; non autem moriatur in fovea, nec deficiat panis ejus" (li. 14):

hic de Domino; adventus Ipsius intelligitur per "festinabit educens;" liberatio a falsis ex ignorantia significatur per "ne moriatur in fovea;" quare simile per "foveam" hic intelligitur quod supra per "foveam in qua vincti:" quod non deficiet instructio et nutritio spiritualis, significatur per "ne deficiat panis ejus;" per "panem" enim intelligitur omnis cibus spiritualis, et per cibum spiritualem intelligitur instructio in veris et bonis, unde intelligentia et sapientia. Apud *Ezechielem*,

> "Ecce Ego adducens super te alienos, violentos gentium, qui evaginabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiae tuae, et profanabunt splendorem tuum, in foveam demittent te, et morieris mortibus confossorum in corde marium" (xxviii. 7, 8):

haec de principe Tyri, per quem intelliguntur illi qui ex propria intelligentia excludunt falsa, per quae cognitiones

veri et boni destruuntur; illorum interitus per sua falsa significatur per "Ecce Ego adducens super te alienos violentos gentium;" "alieni" significant falsa quae destruunt vera, et "violenti gentium" mala quae destruunt bona: quod destruentur per sua falsa quae ex propria intelligentia, significatur per quod "illi evanginabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiae tuae, et profanabunt splendorem tuum;" "gladii" sunt falsa destruentia vera: [[1]immersio illorum in falsa infernalia, ac interitus et damnatio per falsa in inferno, significatur per] "in foveam demittent te, et morieris mortibus confossorum in corde marium;" "fovea" significat falsum infernale, simile quod "puteus;" "confossi" significant illos qui pereunt per falsa, et "cor marium" significat infernum ubi et unde illa falsa, simile quod "abyssus." Per "foveam"

In quam demiserunt Jeremiam prophetam, et e qua Ebed-melech et viri cum illo per veteramenta extractorum et veteramenta detritorum extraxerunt illum (*Jerem.* xxxviii. 6–13),

significatur verum doctrinae falsificatum; per "prophetam" verum doctrinae, et per "demitti in foveam" falsificari: per "veteramenta extractorum et veteramenta detritorum," quibus extraxerunt illum, significatur vindicatio veri doctrinae et restitutio per talia bona et vera sensus litterae Verbi quae non percepta et intellecta sunt, et ideo neglecta et rejecta; haec per "veteramenta" illa significantur; quid alioqui foret quod in Verbo Divino memoraretur quod per talia extractus sit? Ex his paucis constare potest quid per "puteum" et per "foveam" in Verbo significatur; quod nempe Verbum ac verum doctrinae, ac in opposito sensu Verbum falsificatum et inde falsum doctrinae. Aliquibus in locis etiam simile significatur per "puteum" et "foveam" quod per "fontem," de cujus significatione in utroque sensu videatur supra (n. 483).

538[*a*]. Quod autem "abyssus" significet inferna ubi et unde falsa, est quia illa inferna, ubi falsa mali regnant, apparent sicut maria, in quorum profundis est turba infernalis quae in falsis mali est; quod appareant sicut maria, est quia inde continuo effluunt falsa, et falsa apparent sicut aquae, quapropter "aquae" in Verbo etiam significant falsa. Ex ipsis aquis etiam cognoscitur quale ibi falsum

est, falsa enim sunt plurium generum, quot nempe mala; falsa ex gravibus malis apparent super infernis illis sicut aquae crassae et nigrae, ac falsa ex malis amoris sui sicut aquae rubrae; ex crassitudine et colore apparet quale genus falsi est. Tenendum quod in mundo spirituali etiam vera appareant sicut aquae, sed sicut aquae tenues et purae. Causa est quia tres gradus vitae hominis sunt, sicut tres caeli. Illi quibus tertius gradus apertus est, sunt in atmosphaera pura sicut aetherea; in tali sunt illi qui in tertio seu intimo caelo sunt: illi autem quibus modo secundus gradus apertus est, sunt in atmosphaera sicut aerea; in tali sunt illi qui in secundo seu medio caelo sunt: at illi quibus modo primus gradus apertus est, sunt in atmosphaera sicut aquea, tenui et pura; in tali sunt illi qui in primo seu ultimo caelo sunt. Causa est quia perceptiones et cogitationes interiores, quia perfectiores, correspondent simili puritati atmosphaerae in quali illae sunt; effundunt enim se ab unoquovis angelo, et magis ab unaquavis societate angelica, et sistunt sphaeram correspondentem, quae sphaera apparet in simili puritate in qua sunt perceptiones et cogitationes angelorum, seu in qua est intelligentia et sapientia illorum; sphaera illa apparet sicut atmosphaera, sicut atmosphaera aetherea in intimo caelo, sicut aerea in medio caelo, et sicut tenuis aquea in ultimo caelo, ut dictum est. Inde patet quod atmosphaera sicut aquea correspondeat cogitationi et perceptioni naturali; sed sicut tenuis aquea, cogitationi et perceptioni spirituali naturali in qua sunt angeli ultimi caeli; at sicut crasse aquea, vergens vel ad nigrum vel ad rubrum, correspondet cogitationi naturali in qua nihil spirituale est: et cogitatio naturalis in qua nihil spirituale, est illis qui sunt in infernis ubi falsa regnant; nam omnes qui ibi sunt, mere naturales et sensuales sunt. (Quod tres gradus vitae homini sint, sicut tres caeli, et quod differant puritate, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 33, 34, 208, 209, 211.) Ex his constare potest, unde est quod illa inferna in Verbo dicantur "maria" et "abyssi;" "maria" quia apparent ut maria, et "abyssi" ex profunditate illorum. Quod per "maria," "profunditates" et "abyssos" significentur inferna ubi et unde falsa mali sunt, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Mosen*,

"Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare,....abyssi obtexerunt eos; descenderunt in profunditates sicut lapis:....e vento narium tuarum coacervatae sunt aquae; constiterunt sicut cumulus fluenta; congelatae sunt abyssi in corde maris" (*Exod.* xv. [4,] 5, 8):

haec in Cantico Mosis de Pharaone et exercitu illius, postquam submersi sunt in Mari Suph; per "Pharaonem et exercitum ejus" significantur illi qui in falsis ex malo sunt, et per "Mare Suph" significatur infernum ubi illa falsa sunt; inde patet quod per "obtexerunt illos abyssi," significetur quod inferna. (Quid reliqua in sensu spirituali significant, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 8272–8279, et 8286–8289, ubi explicata sunt.) Similia significantur per haec apud *Davidem*,

"Increpavit Mare Suph ut exsiccaretur, et duxit eos per abyssos, sicut in deserto;....obtexerunt aquae hostes [1]eorum" (Ps. cvi. 9, 11);

apud *Esaiam*,

"Nonne Tu Ille qui exsiccavit mare, aquas abyssi magnae? qui posuit profunditates maris in viam, ut transirent redempti?" (li. 10, 15;)

apud eundem,

"Qui discidit aquas coram illis,....qui duxit eos per abyssos, sicut equus in deserto, non offenderunt" (lxiii. [12,] 13):

per "filios Israelis," coram quibus exsiccabatur Mare Suph, et per quod exsiccatum tuti transibant, intelliguntur omnes qui in veris ex bono sunt, quos tutatur Dominus, ne falsa mali, quae jugiter ab infernis ascendunt, damno afficiant; hoc intelligitur per quod "exsiccaverit mare, aquas abyssi magnae," et per quod "posuerit profunditates ejus in viam ut transirent redempti," tum per quod "duxerit eos per abyssos;" falsa enim ab infernis exhalata continue obstipant hominem, proinde inferna, (nam sive dicas falsa ab illis, vel illa, idem est,) at Dominus jugiter dissipat ea apud illos qui in veris ex bono ab Ipso sunt; hoc itaque est quod significatur per "exsiccare mare," et "ducere eos per abyssos;" illi qui in veris ex bono a Domino sunt, intelliguntur per "redemptos." Simile significatur per "exsiccare abyssum et arefacere fluvios" apud *Esaiam*,

Jehovah "dicit Hierosolymae, Habitaberis; et urbibus Jehudae, Aedificabimini; et vastitates ejus erigam; dicens abysso, Exsiccare, et fluvios tuos arefaciam" (xliv. 26, 27):

per "Hierosolymam" significatur ecclesia Domini; et per "urbes Jehudae" significantur bona et vera doctrinae;

restauratio ecclesiae et doctrinae significatur per "habitari" et "aedificari;" dissipatio malorum et falsorum quae ab infernis, ac tutatio ab illis, significatur per "exsiccare abyssum et arefacere fluvios" (ut supra). Simile significatur apud *Sachariam*,

> Israel "transibit per mare angustiae, sed percutiet in mari fluctus, et exsiccabuntur omnes profunditates fluminis, et dejicietur superbia Aschuris, et baculus Aegypti recedet" (x. 11):

quod [1]illi qui in veris ex bono sunt tutati a Domino vivent, tametsi falsa ab infernis circumfundunt, significatur per quod "Israel transibit per mare, et percutiet in mari fluctus, et exsiccabuntur omnes profunditates fluminis;" per "Israelem" intelliguntur qui in veris ex bono sunt, per "mare" significatur infernum et omne falsum inde, per "fluctus maris" significantur ratiocinationes ex falsis contra vera, per "exsiccare omnes profunditates fluminis" significatur dissipare omnia falsa mali etiam profundiora, "flumen" Nilus significat scientificum falsum: quare sequitur, quod "dejicietur superbia Aschuris, et baculus Aegypti recedet;" per "Aschurem" significatur ratiocinatio ex falsis contra vera, et per "Aegyptum" scientificum applicatum ad confirmanda falsa; "superbia Aschuris" quae dejicietur significat propriam intelligentiam ex qua ratiocinatio, et "baculus Aegypti" qui recedet significat potentiam quae ratiocinationi accedit per scientifica quae applicantur ad confirmandum. Apud *Ezechielem*,

> "In die quo descensurus est in infernum, lugere faciam, obtegam super eo abyssum" (xxxi. 15):

haec de Pharaone et Aschure, et per "Pharaonem" significatur simile quod per "Aegyptum," nempe scientificum destruens verum ecclesiae per applicationem ad falsa, et per "Aschurem" significatur ratiocinatio ex illis; quod illi qui tales dejicientur in infernum ubi talia falsa et ratiocinia ex falsis sunt, significatur per quod "descendet in infernum et obtegetur abysso;" inde etiam patet quod "abyssus" sit infernum ubi et unde falsa mali. Apud *Micham*,

> Deus "revertetur, miserebitur nostri, supprimet iniquitates nostras, et projiciet in profunditates maris omnia peccata" nostra (vii. 19):

quia "profunditates maris," aeque ac "abyssi," sunt inferna

ubi et unde mala et falsa, ideo dicitur quod "projiciet in profunditates maris omnia peccata" nostra. Apud *Ezechielem*,

> "Cum dedero te urbem desolatam, sicut urbes quae non habitantur; cum ascendere fecero contra te abyssum, et obtexerint te aquae multae; et fecero descendere te cum descendentibus in foveam ad populum saeculi; et habitare te fecero in terra inferiorum in desolationibus a saeculo, cum descendentibus in foveam, ut non habites" (xxvi. 19, 20):

haec de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni; seu quoad vera naturalis hominis, nam vera naturalis hominis sunt cognitiones veri et boni: hic agitur de vastatione ecclesiae quoad illa; "dare Tyrum urbem desolatam, sicut urbes quae non habitantur," significat doctrinam ejus absque veris et sicut doctrinas quae sunt absque bono, nam vera doctrinae absque bono non sunt vera, quia omnia vera sunt boni; "ascendere facere contra Tyrum abyssum, ut obtegant illam aquae multae," significat immersionem in falsa ab inferno in pluri copia ("abyssus" est infernum, "aquae multae" sunt falsa in pluri copia): "cum descendentibus in foveam ad populum saeculi" significat ad illos in inferno qui ibi fuerunt ab Antiquissima Ecclesia mox ante diluvium; illi vocantur "populus saeculi" quia ab antiquo, et in diris falsis prae aliis: ex quibus patet quid significatur per "facere habitare in terra inferiorum in desolationibus a saeculo, cum descendentibus in foveam, ut non habites;" "non habitare" hic significat non in aliquibus veris esse, quia non in bono; illi etiam non habitant in domibus, sed in foveis.

[*b.*] Similia significantur apud *Sachariam*,

> "Ecce [1]Jehovah depauperabit Tyrum, et excutiet in mare opes ejus, et ipsa igne comederetur" (ix. 4):

"excutere in mare opes ejus" significat conjicere in infernum falsa; "mare" est infernum ubi falsa mali, et "opes" sunt ipsa falsa. Apud *Ezechielem*,

> "In aquas multas deduxerunt te contemnentes te, ventus orientalis fregit te in corde marium; opes tuae, negotiationes tuae, mercatus tuus, nautae tui et naucleri tui confirmantes fissuram tuam, et negotiantes negotiationem tuam, et omnes viri belli tui qui in te, et in omni congregatione tua, quae in medio tui, cadent in cor marium in die casus tui" (xxvii. 26, 27):

haec etiam de Tyro, et dicta sunt de "navibus" ejus, per

quas significantur cognitiones boni et veri, seu vera naturalis hominis quae sibi comparant et quae venditant ; hic autem falsitates: per "cor marium" in quo ventus orientalis fregit illam, et in quod cadent die casus sui, simile significatur cum abysso, nempe infernum unde falsa doctrinae ; "ventus orientalis" est influxus e caelo, et "dies casus ejus" est ultimum judicium : per "opes" significantur falsitates ; per "negotiationes" et "mercatus" significantur illarum acquisitiones et communicationes, per "nautas" ministri, per "naucleros" antistites qui ducunt et docent, per "viros belli" qui defendunt, et per "congregationem" falsa doctrinalia. Apud *Jonam*,

> "E ventre inferni vociferatus sum, exaudivisti vocem meam ; projeceras me in profunditatem usque in cor marium, et flumen circumdedit me ; omnes fluctus tui et undae super me transiverunt,....circumdederunt me aquae usque ad animam, abyssus circumcinxit me, alga alligata capiti meo ; ad excisiones montium descendi, terrae vectes super me in aeternum ; nihilominus ascendere fecisti e fovea vitam meam" (ii. [3,] 4, 6, 7 [*B. A.* 2, 3, 5, 6]) :

quod per Jonam, quod fuerit in ceto tribus diebus et tribus noctibus, repraesentatum sit quod Dominus ita esset in corde terrae, docet Ipse apud *Matthaeum* (cap. xii. 39, 40; cap. xvi. 4: *Luc.* xi. 29, 30) ; et per haec verba Jonae describuntur dirae tentationes Domini. Et quia tentationes existunt per inundationes malorum et falsorum, quae ascendunt ex inferno et quasi submergunt, dicitur quod "ex ventre inferni vociferatus sit," et quod "projectus sit in profunditatem usque in cor marium," per quae significatur infernum ; per "flumen" et per "aquas" quae circumdederunt, et per "fluctus et undas" quae transiverunt, significantur mala et falsa inde ; per "abyssum" quae circumcinxit, significantur inferna ubi et unde falsa ; per "excisiones montium" ad quas descendit, significantur inferna ubi et unde mala : quod ab illis sicut vinctus fuerit, significatur per "algam alligatam capiti," et per "vectes terrae qui super illum ;" quod sicut vinctus per falsa significatur per "algam," et quod sicut vinctus per mala per "vectes terrae :" victoria super illis ex propria potentia, significatur per "nihilominus ascendere fecisti e fovea animam meam ;" dicitur "ascendere fecisti," sed cum de Domino, intelligitur quod Ipse ex suo Divino Se ascendere fecerit, ita ex propria potentia. Similia significantur per sequentia

apud *Davidem*,

"Abyssus ad abyssum clamat, ad vocem canalium tuorum ; omnes confractiones tuae et fluctus tui super me transiverunt" (Ps. xlii. 8 [*B. A.* 7]);

apud eundem,

"Venerunt aquae usque ad animam ; submersus sum in luto profunditatis, nec consistens ; veni in profunditates aquarum, et fluctus obruit me. ....Eripe me e luto ne submergar ; eripiar ab osoribus, et e profunditatibus aquarum, ne obruat me fluctus aquarum,.... nec claudat super me fovea os suum" (Ps. lxix. 2, 3, 15[, 16] [*B. A.* 1, 2, 14, 15]):

apud eundem,

"Revertere, vivifica me ; et ex abyssis terrae, revertere, ascendere fac me" (Ps. lxxi. 20);

apud eundem,

"Reputatus sum cum descendentibus in foveam,....inter mortuos neglectus, sicut confossi cubantes in sepulchro, quorum non meministi amplius, quique a manu tua excisi sunt ; posuisti me in fovea inferiorum, in tenebris, in profunditatibus" (Ps. lxxxviii. 5–7 [*B. A.* 4–6]).

Tentationes Domini quando fuit in mundo, per quas subjugavit inferna et glorificavit Humanum suum, etiam per illa apud *Davidem* describuntur: per "fluctus" et "undas" significantur mala et falsa; et per "abyssos" et "profunditates maris," tum per "foveam," significantur inferna ubi et unde illa; nam, ut supra dictum est, tentationes sunt quasi immersiones in inferna, et obsessiones a malis et falsis. Haec significantur per lamentationes apud *Davidem* pluribus in locis, et quoque apud *Prophetas;* in sensu enim spirituali Verbi multis agitur de tentationibus Domini, per quas subjugavit inferna, ac disposuit omnia in ordinem in caelis et in infernis, et per quas glorificavit Humanum suum ; illae praecipue intelliguntur per "quae apud *Prophetas* et in *Psalmis Davidis*" praedicta sunt de Domino et impleta ab Ipso, apud *Lucam* (cap. xxiv. 44). Per "abyssum" et per "mare" et ejus "profunditates" etiam significantur inferna in sequentibus locis :—Apud *Jeremiam*,

"Fugite, averterunt se, in profundum demiserunt se habitatores Dedanis ....et Chazoris" ([1]xlix. 8, 30);

apud [2]eundem,

"Ascendit supra Babelem mare, multitudine fluctuum ejus obtecta est" (li. 42);

apud *Amos*,

"Videre fecit me Dominus Jehovih, et ecce vocans ad [1]contendendum per ignem,....comedit abyssum magnam" (vii. 4);

apud *Davidem*,

"Viderunt Te aquae, Deus, viderunt Te aquae, extimuerunt, etiam commotae sunt abyssi" (Ps. lxxvii. 17 [*B. A.* 16]);

apud eundem,

"Non timebimus cum mutabitur terra, et cum movebuntur montes in corde marium, tumultuabuntur, turbabuntur aquae ejus" (Ps. xlvi. 3, 4 [*B. A.* 2, 3]);

apud *Mosen*,

"Hoc ipso die disrupti sunt omnes fontes abyssi magnae, et cataractae caeli apertae sunt" (*Gen.* vii. 11);

et postea,

"Et obturati sunt fontes abyssi et cataractae caeli" (*Gen.* viii. 2);

apud *Hiobum*,

"Sapientia unde invenitur? et quis est locus intelligentiae? Non novit homo pretium ejus. ....Abyssus dicit, Non in me illa; et mare dicit, Non mecum" (xxviii. 12, [13,] 14);

apud eundem,

"Num venisti ad fletus maris, et in pervestigatione abyssi ambulasti? Num revelatae sunt tibi portae mortis, et portas umbrae mortis videras?" (xxxviii. 16, 17;)

apud *Evangelistas*,

"Qui scandalizaverit unum parvorum istorum credentium in Me, expedit ei ut suspendatur mola asinaria ad collum ejus, et demergatur in profundum maris" (*Matth.* xviii. 6; *Marc.* ix. 42; *Luc.* xvii. 2);

et alibi apud eosdem,

Daemones, qui obsiderunt virum, rogarunt Jesum ut non mandaret illis in abyssum abire; ideo permisit illis ingredi porcos (*Luc.* viii. 31, 33; *Matth.* viii. 32);

et in sequentibus in *Apocalypsi*,

"Bestia quae ascendit ex abysso et fecit bellum" (xi. 7);
"Bestia, quam vidisti, erat et non est, et ascensura est ex abysso" (xvii. 8);
"Vidi angelum descendentem e caelo, qui habebat clavem abyssi, et catenam magnam super manu sua;....et vinxit draconem mille annos, et conjecit eum in abyssum" ([2]xx. 1–3):

in his locis etiam per "abyssum" et per "profundum maris" significatur infernum ubi et unde falsa mali; ex causa quia illi spiritus, qui ibi, dum in mundo vixerunt homines, in falsis mali fuerunt, in fundo sicut marium apparent habi-

tare, et ibi eo profundius, quo malum ex quo falsum gravius fuit.

[*c.*] Sicut per "abyssos" significantur inferna ubi et unde falsa, ita quoque per "abyssos" significantur ultima caeli, ubi et unde cognitiones veri, quae sunt vera naturalis hominis. Causa est quia ultima caeli etiam apparent sicut in aquis, sed tenuibus et claris; nam, ut supra dictum est, atmosphaera supremi caeli est sicut aetherea, atmosphaera medii caeli est sicut aerea, et atmosphaera ultimi caeli est sicut aquea: quod haec sit sicut aquea, est quia vera apud illos sunt vera naturalis hominis, et naturalis hominis atmosphaera est sicut aquea. Inde quoque sunt apparentiae fluviorum, lacuum et marium in mundo spirituali. Quare per "maria" etiam significantur cognitiones et scientifica in communi seu in omni complexu: quod haec quoque per "maria" significentur, videatur supra (n. 275, 342). Similia etiam significantur per "abyssos" in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Jehovah Deus tuus deducens te ad terram bonam, terram fluviorum aquae, fontium et abyssorum exeuntium e valle et e monte" (*Deutr.* viii. 7);

(quae explicata videantur supra, n. 518[*a*]:) apud eundem,

> Deus benedicet Josepho "benedictionibus caeli desuper, benedictionibus abyssi cubantis infra" (*Gen.* xlix. 25; et *Deutr.* xxxiii. 13);

(quae quoque supra, n. 448[*a*], explicata sunt:) apud *Davidem*,

> "Per Verbum Jehovae caeli facti sunt, et per spiritum oris Ipsius [1]omnis exercitus illorum; colligens sicut cumulum aquas maris, dans in thesauris abyssos" (Ps. xxxiii. 6, 7);

(videatur supra, n. 275[*b*]), ubi explicata:) apud eundem,

> "Abysso sicut veste obvelasti terram" (Ps. civ. 6);

(de his etiam videatur supra, n. 275[*b*]:) apud eundem,

> "Laudate Jehovam e terra, balaenae et omnes abyssi" (Ps. cxlviii. 7):

per "abyssos" in illis locis significantur ultima caeli, in quibus sunt angeli spirituales naturales. Similiter apud *Ezechielem*,

> "Aquae crescere fecerunt [2]eam, abyssus altam fecit eam" (xxxi. 4).

(De hoc videatur supra, n. 518[*b*].) Praeterea per "abyssos" etiam significantur Divina vera in copia, et arcana sapientiae Divinae:—Ut apud *Davidem*,

"Diffidit petram in deserto, et bibere fecit abyssos magnas" (Ps. lxxviii. 15);

et apud eundem,

Jehovah, "justitia tua abyssus magna" (Ps. xxxvi. 7 [*B. A.* 6]);

et alibi.

539[*a*]. ***"Et ascendit fumus e puteo sicut fumus fornacis magnae."***—Quod significet *inde densa falsa ex malis amorum terrestrium et corporeorum*, constat ex significatione "fumi," quod sit falsum mali (de qua sequitur); ex significatione "putei abyssi," quod sit infernum ubi sunt qui falsificaverunt Verbum (de qua supra, n. 537), et ex significatione "fornacis magnae," quod sint mala amorum terrestrium et corporeorum, ex quibus talia falsa erumpunt (de qua in sequente articulo). Quod "fumus" significet falsum mali, est quia procedit ex igne, et "ignis" significat amores sui et mundi, et inde omnia mala; quare etiam inferna quae in falsis sunt ex malis illorum amorum, et magis ubi sunt qui falsificaverunt Verbum applicando ad favorem illorum amorum, apparent in igne sicut fornacis magnae, e qua densus fumus commixtus igni ascendit. Visa etiam mihi sunt, et patuit quod amores illi apud illos sistant apparentiam talis ignis, et quod falsa inde effluentia apparentiam fumi igniti: sed talia non apparent illis qui inibi sunt; sunt enim in amoribus illis et in falsis inde; est vita illorum in illis: ex his usque cruciantur multis modis, et non ex ignibus et fumis, quales sunt in mundo nostro naturali (ut melius constare potest ex articulo in opere *De Caelo et Inferno*, n. 566–575, ubi agitur de Igne Infernali et de Stridore Dentium.) Quod "fumus" significet densum falsum quod profluit ex malo, constare potest ex sequentibus locis:— Apud *Mosen*,

Abraham "prospexit contra facies Sodomae, et Amorae, et contra omnes facies terrae planitiei, et vidit et ecce ascendit fumus terrae sicut fumus fornacis" (*Gen.* xix. 28):

per "Sodomam et Amoram" in sensu spirituali intelliguntur illi qui prorsus in amoribus sui sunt; quare per "fumum," qui e terra eorum post combustionem visus Abrahamo est, significatur densum falsum quod est illis qui prorsus in eo amore sunt; qui enim se super omnia amant, illi in maxima caligine sunt quoad spiritualia et caelestia, sunt enim mere naturales et sensuales, et separati prorsus e caelo; et tunc non solum negant Divina, sed etiam excogitant falsa quibus

destruant illa: haec falsa sunt quae significantur per "fumum" visum ex Sodoma et Amora. Apud eundem,

"Et sol occidit, et caligo facta est, et ecce furnus fumi et fax ignis, quae transivit inter segmenta illa" (*Gen.* xv. 17):

haec dicta sunt de posteritate Abrahami ex Jacobo, ut constare potest ex praecedentibus in illo capite; quod "sol occidit" significat extremum tempus cum consummatio; "et caligo facta" significat cum loco boni malum, et loco veri falsum; "ecce furnus fumi" significat densissimum falsum a malis; "fax ignis" significat aestum cupiditatum; "transivit inter segmenta" significat quae separaverunt illos a Domino.. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1858–1862.) Apud eundem,

"Exire fecit Moses populum obviam Deo e castris, et constiterunt in inferioribus montis; et Mons Sinai fumabat totus ille, propter quod descendit super illum Jehovah in igne, et ascendit fumus sicut fumus fornacis; et tremiscebat totus mons valde" (*Exod.* xix. 17, 18);

et dein,

"Et omnis populus videntes voces et faces, et vocem buccinae, et montem fumantem; et vidit populus, et commoti sunt, et steterunt e longinquo, et dixerunt ad Mosen, Loquere tu cum nobis et audiemus, et ne loquatur cum nobis Deus, ne forte moriamur" (*Exod.* xx. 15, 16 [*B. A.* 18, 19]):

per haec repraesentabatur qualis ille populus fuit; nam Jehovah, hoc est, Dominus, apparet unicuivis secundum quale ejus; illis qui in veris ex bono sunt ut lux serena, at illis qui in falsis ex malo sunt ut fumus ex igne: et quia populus ille in amoribus terrestribus et corporeis fuit et inde in falsis mali, ideo Dominus e Monte Sinai illi apparuit sicut ignis comedens, et sicut fumus fornacis. (Quod tales fuerint filii Jacobi, multis ostensum est in *Arcanis Caelestibus*, ex quibus Collecta videantur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 248; et quod Dominus appareat unicuivis secundum quale ejus, ut ignis vivificans et recreans illis qui in bono sunt, ac ut ignis consumens illis qui in malo, in *Arcanis Caelestibus*, n. 934, 1861, 6832, 8814, 8819, 9434, 10551; quid reliqua in allatis locis significant, videatur explicatum in *Arcanis Caelestibus* quae super *Exodum*.)

[*b*.] Simile significatur per "fumum" et per "ignem" apud *Davidem*,

"Quando exarsit Illi, ... ascendit fumus ex naso Ipsius, et ignis ex ore Ipsius comedit, prunae arserunt ex Ipso, et inclinavit caelum et descendit, et caligo sub pedibus Ipsius" (Ps. xviii. [8,] 9, 10 [*B. A*. 7–9]; 2 *Sam.* xxii. 8, 9):

non intelligitur quod ascenderit fumus et ignis comedens

ex Ipso, quia non Ipsi ira; sed ita dicitur quia talis apparet Dominus illis qui in falsis et malis sunt, nam spectant Ipsum ex suis falsis et malis. Similia significantur per haec apud eundem,

> "Qui spectat terram, et contremiscit, tangit montes et fumigant" (Ps. civ. 32);

apud eundem,

> "Jehovah, inclina caelos tuos et descende, tange montes ut fumigent" (Ps. cxliv. 5).

Apud *Esaiam*,

> "Ejula porta, clama urbs, liquefacta est Philisthaea tu tota; quia a septentrione fumus venit" (xiv. 31):

per "portam" significatur verum introducens in ecclesiam; per "urbem" doctrina; per "Philisthaeam" fides; inde per "Ejula porta, clama urbs, liquefacta Philisthaea tu tota," significatur vastatio ecclesiae quoad verum doctrinae, et inde quoad fidem: per "septentrionem" significatur infernum ubi et unde falsa doctrinae et falsa fidei, ac per "fumum" illa falsa; inde per "a septentrione venit fumus" significatur falsum vastans ex infernis. Apud *Nahum*,

> "Ecce Ego accendam fumo currum ejus, et leones juvenes tuos comedet gladius" (ii. 14 [*B. A.* 13]):

agitur ibi etiam de vastatione ecclesiae; et per "accendere fumo currum" significatur pervertere omnia vera doctrinae in falsa; "fumus" est falsum, et "currus" est doctrina: et per quod "leones juvenes comedet gladius" significatur quod falsa destruent vera principalia ecclesiae; "leones juvenes" sunt ecclesiae vera principalia et tutantia, et "gladius" est falsum destruens verum. Apud *Joelem*,

> "Dabo prodigia in caelis et in terra, sanguinem et ignem et columnas fumi" (iii. 3 [*B. A.* ii. 30]):

haec de ultimo judicio; et per "sanguinem, ignem et columnas fumi," significatur verum Verbi falsificatum, bonum ejus adulteratum, et inde mera falsa; "sanguis" est verum Verbi falsificatum, "ignis" est bonum ejus adulteratum, et "columnae fumi" sunt inde mera ac densa falsa. Apud *Davidem*,

"Impii peribunt, et hostes Jehovae sicut gloria agnorum consumentur, in fumo consumentur" (Ps. xxxvii. 20):

quod impii et hostes Jehovae "consumentur fumo," significat quod perituri per falsa mali; "impii" dicuntur qui in falsis, "hostes" qui in malis, et "fumus" est falsum mali. Apud eundem,

"Secundum impellere fumum, impelles; sicut liquefieri ceram coram igne, peribunt impii coram Deo" (Ps. lxviii. 3 [*B. A.* 2]):

interitus impiorum comparatur fumo qui ab aere impellitur, ac cerae quae coram igne liquescit, quia "fumus" significat falsa, et "ignis" mala. Apud *Esaiam*,

"Caeli sicut fumus evanescent, et terra sicut vestis veterascet" (li. 6):

per "fumum" etiam hic significatur falsum, quo perituri sunt qui in priori caelo; et per "veterascentem vestem" significatur verum deperditum per falsa mali: comparatio fit cum fumo evanescente et cum veste veterascente, quia comparationes in Verbo etiam sunt correspondentiae, et aeque significant. Apud *Hoscheam*,

"Addunt peccare, et faciunt sibi fusile ex argento suo, in intelligentia sua idola, opus artificum totum;....propterea erunt sicut nubes matutae, et sicut ros mane cadens, abiens,....a turbine abigitur ex area, et sicut fumus ex fumario" (xiii. 2, 3):

ita describuntur doctrinalia quae ex propria intelligentia, in quibus mala falsi et falsa mali; talia doctrinalia significantur per "fusilia ex argento" et per "idola;" "argentum illorum" significat id quod ex propria intelligentia, ac "opus artificum" significat illam; quare etiam dicitur "In intelligentia sua fecerunt sibi idola, opus artificum totum:" quod illa doctrinalia, quia falsa, transitura sint, significatur per quod "abibunt sicut fumus ex fumario;" quod etiam "sicut nubes matutae, sicut ros mane cadens, et sicut ex area," est quia ecclesia in suo principio est sicut nubes matutae, sicut ros mane cadens, et sicut frumentum in area, per quae significantur vera boni et bona veri; quae tamen successive transeunt et vertuntur in falsa mali et in mala falsi. Per "fumum" etiam significatur falsum alibi in *Apocalypsi;* ut,

"Ex ore" equorum "exivit ignis et fumus et sulphur, et ex his occisi sunt tertia pars hominum, ab igne et a fumo et a sulphure" (ix. 17, 18);

alibi,

"Fumus cruciatus eorum ascendit in saecula saeculorum" (xiv. 11);

et alibi,

"Fumus" ex Babylone "ascendit in saecula saeculorum" ([1]xix. 3).

Quoniam "ignis" significat amorem in utroque sensu, tam amorem caelestem quam amorem infernalem, et inde "fumus" significat id quod profluit ex amore, falsum quod ex amore infernali, et verum quod ex amore caelesti, ideo "fumus" etiam in bono sensu significat sanctum verum; hoc significat "fumus" ex igne suffituum, de quo videatur supra (n. 494), et quoque in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Creabit Jehovah super omne habitaculum Montis Zionis, et super convocationes ejus, nubem interdiu, ac fumum et splendorem ignis flammae noctu; nam super omni gloria obtegumentum" (iv. 5);

(quae explicata videantur supra, n. 294[b], [2]504[b]:) apud eundem,

"Commoti sunt postes liminum voce" clamantium seraphorum, "et domus impleta est fumo" (vi. 4):

in *Apocalypsi*,

"Impletum est templum fumo ex gloria Dei et virtute Ejus" (xv. 8);

et alibi,

"Ascendit fumus suffituum precibus sanctorum de manu angeli coram Deo" (viii. 4).

540[*a*]. Quoniam dicitur quod "ascenderit fumus e puteo sicut fumus fornacis magnae," et hactenus ostensum est quod "fumus" significet densum falsum, interest ut etiam ostendatur quod "fornax" significet mala amorum terrestrium et corporeorum, et sic quod "fumus sicut fumus fornacis magnae" significet densa falsa ex illis amoribus. Quod "fornax" illos amores significet, est quoque ex apparentiis in mundo spirituali; inferna enim in quibus illi amores regnant, quando inspiciuntur, apparent sicut fornaces candentes igne, ac supra illa apparent fumi quales ascendunt ex fornacibus, et quales conspiciuntur in incendiis: inde est quod in Verbo "fornaces" significent vel inferna, vel coetum hominum, vel ipsum hominem, in quibus tales amores et cupiditates regnant; seu quod idem, ubi mala ex illis scaturientia. Haec significantur per "fornaces," "furnos," "caminos" et "clibanos" in sequentibus locis:—Apud *Matthaeum*,

"Mittet Filius hominis angelos suos, qui colligent e regno Ipsius omnia offendicula, et eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis. ....In consummatione saeculi exibunt angeli, et separabunt malos e medio justorum, et conjicient illos in caminum ignis; ibi erit ploratus et stridor dentium" (xiii. 41, 42, 49, 50):

quod hic per "caminum ignis" seu fornacem intelligantur inferna, patet; "consummatio saeculi" est ultimum tempus ecclesiae, quando judicium; quod tunc mali separandi sint a bonis, et illi in infernum conjiciendi, significatur per quod "angeli colligent omnia offendicula, et eos qui faciunt iniquitatem," et quod "separabunt malos e medio justorum, et illos conjicient in caminum ignis:" infernum vocatur "caminus ignis" quia apparet ignitum ex amoribus sui et mundi; quod cruciatus ex his amoribus intelligatur per "ignem infernalem," videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 566–575). Apud *Malachiam*,

"Ecce dies veniens ardens, sicut clibanus, quo erunt omnes insolenter peccantes et omnis operator malitiae stipula; et accendet eos dies veniens" (iii. 19 [*B. A.* iv. 1]):

haec quoque dicta sunt de ultimo tempore ecclesiae, et de ultimo judicio tunc; "dies veniens" hoc et illud significat: per "clibanum" etiam intelligitur infernum ubi illi qui confirmant se doctrina in falsis et vita in malis ex amoribus terrestribus et corporeis; quod illi ex suis amoribus perituri sint, intelligitur per quod "omnes insolenter peccantes et omnis operator malitiae erit stipula, et accendet eos clibanus;" "insolenter peccantes" sunt qui confirmant se doctrina in falsis, et "operator malitiae" sunt qui confirmant se vita in malis. Apud *Hoscheam*,

"Per malitiam suam laetificant regem, et per mendacia sua principes; omnes adulterantes sicut clibanus incensus a pistore; cessat excitator a subigendo massam usque ad fermentationem ejus. .... Quando converterint sicut clibanus animum suum in insidiari suo, tota nocte dormiens pistor eorum, mane ille ardens sicut ignis flammae: omnes incalescunt sicut clibanus, et comedent judices suos, omnes reges eorum cadent, non clamans inter eos ad Me. .... Ephraim factus collyra non conversa" ([1]vii. 3–8):

per haec in sensu spirituali describuntur filii Jacobi, quod ex amoribus sui et mundi converterint omne bonum in malum, et inde omne verum in falsum: per "regem" quem per malitiam laetificant, significatur omne falsum ex malo, "rex" enim significat verum ex bono, ac in opposito sensu falsum ex malo; et per "principes" quos per mendacia

laetificant, significantur principalia falsa: quod ex amoribus suis perverterint bona et vera, significatur per quod "omnes adulterantes sicut clibanus incensus a pistore;" "adulterari" significat pervertere bonum et inde verum; comparatur hoc "clibano incenso a pistore," quia compingunt falsa sicut in massam faventia suis amoribus: et quia mala et falsa non separantur a bonis et veris quae ex Verbi sensu litterae, sed cohaerent, ideo dicitur, "Cessat excitator a subigendo massam usque ad fermentationem;" "fermentatio" significat separationem, hic quod non separatio, quia dicitur "Cessat a subigendo massam ad fermentationem:" simile significatur per quod "Ephraim factus sit collyra non conversa;" "Ephraim" est intellectus veri: quod inde non nisi quam mala quae amorum illorum, quibus falsa favent, significatur per "Tota nocte dormiens pistor, mane ille ardens sicut ignis flammae, omnes incalescunt sicut clibanus;" comparantur pistori et clibano, quia compingunt ex falsis doctrinam, sicut pistor facit panes et collyras in clibano: quod sic omnia bona et vera, quae illis ex Verbo sunt, deperdant, significatur per quod "comedent judices suos, et omnes reges eorum cadent;" "judices" significant bona veri, et "reges" ipsa vera: quod hoc illis fiat, quia non a Domino sed a semet volunt sapere, significatur per "Non clamans inter eos ad Me." Quod similia per illa verba intelligantur, solum ex communi intuitione videri potest; sed quod singula significent et describant talia, non videri potest quam per sensum internum; ut quod per "reges," "principes," "judices" et "adulterantes," tum per "clibanum" et "pistorem," illa quae dicta sunt intelligantur; illi quoque qui compingunt vera aut falsa ut cohaereant, etiam in mundo spirituali apparent ut pistores subigentes massam, juxta quos etiam est clibanus. In *Threnis*,

> "Cutes nostrae sicut [1]clibanus denigratae sunt, propter procellas famis" (v. 10):

lamentatio super deprivatione veri ac inundatione falsi; "fames" significat deprivationem et defectum veri (videatur supra, n. 386[e]), ac "procellae famis" summum defectum, et quoque inundationem falsi, nam ubi non vera ibi sunt falsa; "procellae" in Verbo simile significant cum "inundatione:"

"cutes nostrae sicut [1]clibanus denigratae sunt," significat quod naturalis homo absque luce veri sit, et inde in tenebris falsi; etiam hic "clibanus" significat confectionem doctrinae ex falsis et non ex veris (sed videatur supra, n. 386[*e*], ubi haec amplius explicata sunt).

[*b*]. Apud *Ezechielem*,

> "Facti sunt Mihi domus Israelis in scoriam, omnes illi aes et stannum et ferrum et plumbum in medio fornacis; scoriae argenti facti sunt: ....ecce Ego congregans vos in medium Hierosolymae congregationem argenti et aeris et ferri et plumbi et stanni" congregabo vos "in medium fornacis, ad sufflandum super illo ignem ad fundendum; sic congregabo in ira mea et in excandescentia mea, et relinquam et fundam vos;....juxta fusuram argenti in medio fornacis, sic fundemini in medio ejus" (xxii. 18–22):

per haec describuntur falsa doctrinalia quae Judaei et Israelitae compegerunt ex sensu litterae Verbi, quem sibi solis et amoribus suis applicuerunt; quae "scoriae argenti" vocantur, quia "argentum" significat verum Verbi, ac "scoria" nihil veri seu abstractum a vero quod rejicitur: illa quae sensus litterae Verbi sunt, significantur per "aes, stannum, ferrum et plumbum," quia per illa significantur bona et vera naturalis hominis, pro quo homine sunt illa Verbi quae continentur in sensu litterae ejus; et quia ex illo compegerunt sua doctrinalia falsa, quae erant "traditiones," dicitur quod "fundentur una:" et quia applicata erant amoribus eorum, qui erant amores sui et mundi, dicitur quod "congregaret illos in medium fornacis ad sufflandum super illa ignem ad fundendum;" "ignis" significat illos amores: et quia intelliguntur doctrinalia illorum, dicitur, quod "congregaturus eos in medium Hierosolymae;" per "Hierosolymam" significatur ecclesia quoad doctrinam, ita quoque doctrina ecclesiae. Apud *Mosen*,

> "Sol occidit, et caligo facta est, et ecce furnus fumi et fax ignis, quae transivit inter segmenta illa" (*Gen.* xv. 17):

quod falsa mali et mala falsi scaturientia ex spurcis amoribus apud gentem Judaicam et Israeliticam hic per "furnum fumi" et per "facem ignis, quae transivit inter segmenta," intelligantur, videatur in superiori articulo: Abraham enim cupivit ut posteritas sua dominatura sit super totam terram Canaanem; et quia praevidit Dominus quod apud illam gentem ecclesia institueretur, ideo pepigit cum Abrahamo foedus: sed usque quales illi futuri essent, per illud visum

praedicitur. Apud *Nahum*,

> "Aquas obsidii hauri tibi, confirma munimenta tua, intra in caenum et calca bitumen, repara fornacem lateritiam; ibi comedet te ignis, exscindet te gladius" (iii. 14, 15):

per haec describitur destructio veri per falsa mali; "aquae obsidii" sunt falsa per quae conantur destruere vera; per "confirmare munimenta," significatur munire illa per talia quae apparent sicut vera; per "intrare in caenum et calcare bitumen" significatur facere ut appareant cohaerere ("bitumen" est falsum ex malo conjungens); per "reparare fornacem lateritiam" significatur reparare doctrinam compactam ex falsificatis veris et figmentis, "lateres" enim significant falsa quae finguntur, et non cohaerent cum veris; per "comedet te ignis," significatur quod perituri per mala amorum suorum; et per quod "exscindet te gladius," significatur quod perituri sint per falsa. Apud *Jeremiam*,

> "Sume in manu tua lapides magnos, et absconde eos....in fornace lateritia, quae ad ostium domus Pharaonis. ....Accipiam regem Babelis,....ponam thronum ejus super lapides hos quos [1]abscondisti;....veniet et percutiet terram Aegypti,....et incendam ignem in domibus [deorum] Aegypti....; tandem induet sibi terram Aegypti, sicut induit pastor vestem suam" (xliii. 9–12):

per haec repraesentata est profanatio veri per ratiocinia ex scientificis false applicatis: per "lapides magnos absconditos in fornace lateritia" significantur vera Verbi falsificata per figmenta quae ex propria intelligentia; "lapides" sunt vera Verbi, "fornax lateritia" est doctrina compacta ex fictitiis: per "domum Pharaonis" significatur naturalis homo quoad scientifica ibi, "ostium" est scientificum sensuale per quod introitus est in naturalem hominem; per id [2]fiunt falsificationes: per "regem Babelis" significatur profanatio veri; quod "ille thronum ponet super lapides illos, et percutiet Aegyptum, et incendet ignem in domibus ejus," significat quod per scientifica naturalis hominis pervertet omnia vera doctrinae, ac profanabit illa: quod subjiciet sibi naturalem hominem quod omnia ibi, quod fit per confirmationes falsorum ex scientificis, significatur per quod "induet sibi terram Aegypti sicut pastor vestem:" quod omnia naturalis hominis sic peritura sint per mala amorum terrestrium et corporeorum, significatur per "Incendam ignem in domibus Aegypti." Quoniam per "Ae-

gyptum" significatur naturalis homo quoad scientificum ibi, et per "fornacem ferri" similiter, ideo Aegyptus in Verbo vocatur "fornax ferri:"—Ut apud *Jeremiam*,

> "Quo die eduxi [1]eos ex Aegypto, ex fornace ferri" (xi. 4);

apud *Mosen*,

> "Eduxit [2]vos ex fornace ferri, ex Aegypto" (*Deutr.* iv. 20);

in *Libro Primo Regum*,

> "[3]Eduxisti ex Aegypto e medio fornacis ferri" (viii. 51);

apud *Davidem*,

> "Removi ab onere" Aegypti "humerum" Israelis, "manus ejus a fornace, transiverunt" (Ps. lxxxi. 7 [*B. A.* 6]):

naturalis homo quoad scientificum significatur per "fornacem ferri;" "fornax" est naturalis homo; et "ferrum" est scientificum, ibi scientificum falsum quia dicitur quod "educti sint;" naturalis enim homo, nisi ducatur a spirituali homine, est in falsis et in malis, ex causa quia non aliqua lux illi est e caelo; lux enim e caelo influit per spiritualem hominem in naturalem, ac illustrat, docet et ducit: contrarium prorsus, quando naturalis homo non sub auspicio spiritualis hominis cogitat et agit; tunc etiam in servitute est, nam cogitat et agit ex falsis et malis quae ab inferno; hoc significatur per quod dicantur "educti ex domo servitutis," dum "ex Aegypto;" omne enim liberum cogitandi et agendi est ex spirituali homine, quoniam is cogitat et vult e caelo a Domino, et duci a Domino est liberum. Ex his constare potest unde est quod Aegyptus dicatur "fornax ferri," et quod dicatur "domus servitutis;" quae servitus etiam significatur per "Removi ab onere Aegypti humerum Israelis." (Quod "ferrum" significet scientificum quod est naturalis hominis, videatur supra, n. 176.) Quoniam pleraque in Verbo etiam sensum oppositum habent, ita quoque "clibanus;" ut apud *Esaiam*,

> "Dictum Jehovae, Cui focus est in Zione, et clibanus Ipsi in Hierosolyma" (xxxi. 9):

per "focum" significatur bonum amoris, per "clibanum" verum ex illo bono, ita verum doctrinae; similia etiam per "Zionem" et "Hierosolymam," per "Zionem" ecclesia quoad bonum amoris, et per "Hierosolymam" ecclesia quoad verum doctrinae. Similiter per "clibanum" apud

Mosen, ubi agitur

> De mincha preparanda vel in clibano, vel in sartagine, vel in cacabo (*Levit.* ii. 4, 5, 7);

(quae explicata sunt in *Arcanis Caelestibus*:) similiter per "caminum" supra in *Apocalypsi*,

> Pedes Filii hominis "similes chalcolibano tanquam in camino igniti" (i. 15)

(de quibus supra, n. 69).

541. ***"Et obscuratus est sol et aer a fumo putei."***—Quod significet *quod lux veri a Domino caligo facta sit per falsa infernalia*, constat ex significatione "obscurari sol et aer," quod sit quod lux veri a Domino caligo facta sit (de qua sequitur); et ex significatione "a fumo putei," quod sit a densis falsis quae ab inferno, ita per falsa infernalia. (Quod "fumus" significet densa falsa, et quod "puteus abyssi" inferna ubi et unde illa, videatur supra, n. 536–539.) Quod "obscuratus sol et aer" significet quod lux veri a Domino caligo facta sit, est quia Dominus in caelo angelico est Sol, et Divinum Verum procedens a Domino ut Sole sistit omnem lucem ibi, ac illuminat angelorum tam visum quam intellectum; quare cum ille Sol ibi obscuratus est, fit lux veri, quae a Domino, caligo; falsa ab inferno obscurant illum. Ex luce caeli facta caligine per falsa mali, est omnis negatio Divini ac Divinorum ab illis qui mere naturales sunt; spectant enim Divina in caligine et inde sicut caliginem, quare negant illa. Etiam lux caeli, quando influit apud illos qui in falsis mali sunt, in mundo spirituali fit actualiter caligo; inde itaque est quod mali non solum non videant et intelligant spiritualia, hoc est, illa quae caeli et ecclesiae sunt, sed etiam quod corde negent illa. (Quod Dominus in Caelo Angelico appareat ut Sol, et quod Divinum Verum procedens a Domino ut Sole sistat omnem Lucem Caeli, ita omnem intelligentiam et sapientiam quae est Angelis, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 116–125, et n. 126–140.) Quod etiam dicatur quod "aer obscuratus sit," est quia intelligitur lux veri; "aer" enim lucet a sole. Simile per "aetheres" significatur apud *Davidem*,

> "Jehovah, in caelis misericordia tua, veritas tua usque ad aetheres" (Ps. xxxvi. 6 [*B. A.* 5]; Ps. lvii. 11 [*B. A.* 10]; Ps. cviii. 5 [*B. A.* 4]):

"misericordia" significat Divinum Bonum Divini Amoris, et "veritas" Divinum Verum; et quia Divinum Verum est lux caeli, ut modo dictum est, ideo dicitur "Veritas

tua usque ad aetheres;" per "aetheres" itaque in plurali significatur Divina lux usque ad caelum supremum, ubi est in summo gradu.

(Similia significantur per "aetheres," *Psalm.* lxxvii. 18 [*B. A.* 17]; Ps. lxxviii. 23, 24.)

VERSUS 3–12.

542. *"Et e fumo exiverunt locustae [in terram]; et data illis potestas sicut habent potestatem scorpii terrae. Et dictum illis ne laederent gramen terrae, neque ullum viride, neque ullam arborem, nisi homines solos, quicunque non haberent sigillum Dei in frontibus suis. Et datum illis ut non occiderent illos, sed ut cruciarent menses quinque; et cruciatus illarum sicut cruciatus scorpii cum percutit hominem. Et in diebus illis quaerent homines mortem et non invenient illam, et cupient mori et fugiet mors ab illis. Et similitudines locustarum similes equis paratis ad bellum, et super capitibus illarum sicut coronae similes auro; et facies illarum sicut facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, et dentes illarum sicut leonum erant. Et habebant thoraces sicut thoraces ferreos; et vox alarum illarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum. Et habebant caudas similes scorpiis, et aculei erant in caudis illarum; et potestas illarum laedere homines mensibus quinque. Et habebant super se regem, angelum abyssi; nomen ei Hebraice Abaddon, et in Graeca nomen habet Apollyon. Vae unum praeteriit, ecce veniunt adhuc duo vae post haec."*

3. ***"Et e fumo exiverunt locustae in terram,"*** significat *quod ex falsis infernalibus facti sint sensuales corporei in ecclesia* [n. 543]; ***"et data illis potestas sicut habent potestatem scorpii terrae,"*** significat *persuasivum illorum, ac ejus effectum et potentiam* [n. 544].

4. ***"Et dictum illis est ne laederent gramen terrae, neque ullum viride, neque ullam arborem,"*** significat *quod non damno afficerent aliquod scientificum verum et vivum ex Verbi sensu litterae, nec aliquas cognitiones veri et boni ibi* [n. 545]; ***"nisi homines solos, quicunque non haberent sigillum Dei in frontibus suis,"*** significat *quod modo intellectum veri et perceptionem boni apud illos qui non in veris ex bono a Domino sunt* [n. 546].

5. ***"Et [1] datum illis ut non occiderent illos,"*** significat *quod non deprivarentur facultate intelligendi verum et percipiendi bonum* [n. 547]; ***"sed ut cruciarent menses quinque,"*** significat *quod intellectus a falsis mali caligaret et abstraheretur a videndo verum quamdiu in illo statu sunt* [n. 548]; ***"et cruciatus illarum sicut cruciatus scorpii cum percutit hominem,"*** significat *quod caligatio et abstractio a videndo verum sit a persuasione qua mens infatuatur* [n. 549].

6. ***"Et in diebus illis quaerent homines mortem et non invenient illam,"*** significat *quod tunc perdere velint facultatem intelligendi verum, sed quod usque non possint* [n. 550]; ***"et cupient mori et fugiet mors ab illis,"*** significat *quod velint perdere facultatem percipiendi bonum, quae est vitae spiritualis, sed incassum* [n. 551].

7. ***"Et similitudines locustarum similes equis paratis ad bellum,"*** significat *quod homo sensualis factus, sit ratiocinans sicut ex intellectu veri* [n. 552]; ***"et super capitibus illarum sicut coronae similes auro,"*** significat *quod appareant sibi cum ratiocinantur sicut sapientes et victores* [n. 553]; ***"et facies illarum sicut facies hominum,"*** significat *quod appareant sibi sicut affectiones veri spirituales* [n. 554].

8. ***"Et habebant capillos sicut capillos mulierum,"*** significat *quod etiam appareant sibi sicut affectiones veri [2] naturales* [n. 556]; ***"et dentes illarum sicut leonum erant,"*** significat *quod sensualia quae sunt ultima vitae intellectualis sint illis apparenter sicut in potentia super omnia* [n. 556].

9. ***"Et habebant thoraces sicut thoraces ferreos,"*** significat *persuasiones quibus se accingunt ad pugnas, contra quas vera rationalis spiritualis hominis non valent* [n. 557]; ***"et vox alarum illarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum,"*** significat *ratiocinationes sicut ex veris doctrinae e Verbo intellectis, pro quibus ardenter pugnandum* [n. 558].

10. ***"Et habebant caudas similes scorpiis,"*** significat *scientifica sensualia quae persuasiva* [n. 559]; ***"et aculei erant in caudis illarum,"*** significat *astutias fallendi per illa* [n. 560]; ***"et potestas illarum laedere homines mensibus quinque,"*** significat *quod stuporem inducerent intellectui veri et perceptioni boni quamdiu in illo statu sunt* [n. 561].

11. ***"Et habebant super se regem, angelum abyssi,"*** significat *quod influxum reciperent ab inferno, ubi illi sunt qui in falsis mali et mere sensuales* [n. 562]; ***"nomen ei Hebraice Abaddon, et in Graeca nomen habet Apollyon,"*** significat *quale ejus, quod sit perdens omne verum et bonum* [n. 563].

12. ***"Vae unum praeteriit, ecce veniunt adhuc duo vae post haec,"*** significat *lamentationem unam super devastatione ecclesiae, et quod lamentatio super ulteriore devastatione ejus sequatur* [n. 564].

543[*a*]. [*Vers.* 3.] ***"Et e fumo exiverunt locustae in terram."***—Quod significet *quod ex falsis infernalibus facti sint sensuales corporei in ecclesia*, constat ex significatione "fumi," quod sit falsum infernale (de qua supra, n. 539); (quod sit falsum infernale quod per "fumum" hic significatur, est quia mox supra dicitur quod fumus ille "ascenderit ex puteo abyssi," et per "puteum abyssi" significatur infernum, ubi et unde sunt falsa mali quae falsificant vera Verbi;) ex significatione "locustarum," quod sit ultimum sensuale hominis quod in falso mali (de qua sequitur); et ex significatione "exire in terram," quod sit in ecclesiam, nam "terra" significat ecclesiam; etiam illa quae in *Apocalypsi* continentur, de ecclesia et ejus statu praedicta sunt. Quod "locusta" significet ultimum sensuale hominis quod in falso mali est, constare potest ex omnibus et singulis quae in hoc capite usque ad vers. 12 dicuntur; a quorum explicatione constare potest quod non aliud per "locustas" intelligatur. Sed hic primum dicetur quid intelligitur per ultimum sensuale hominis. Non intelligitur sensuale visus, auditus, olfactus, gustus et tactus, haec enim propria corporis sunt; sed ultimum cogitationis et affectionis quod primum apud infantes aperitur, quod tale est ut non cogitent aliud, nec afficiantur aliis objectis, quam quae unum faciunt cum sensibus nominatis. Discunt enim infantes cogitare per sensus, et affici objectis secundum illa quae sensibus placuerunt; quare primum internum, quod aperitur

apud illos, est sensuale quod vocatur ultimum sensuale hominis, et quoque sensuale corporeum: postea autem, dum infans adolescit et fit puer, aperitur sensuale interius, ex quo cogitat naturaliter et quoque afficitur naturaliter: demum cum fit adolescens et juvenis, aperitur sensuale ejus adhuc interius, ex quo cogitat rationaliter, et si in bono charitatis et fidei est, spiritualiter, et quoque afficitur rationaliter et spiritualiter. Haec cogitatio et affectio est quae vocatur rationalis et spiritualis homo, prior autem naturalis homo, et prima sensualis homo. Apud unumquemvis hominem aperiuntur interiora, quae sunt cogitationis et affectionis ejus, sucessive, et hoc per influxum e caelo a Domino continuum: per illum primo formatur sensuale proxime adhaerens corpori, unde homo fit sensualis; deinde naturale, unde fit naturalis; et postea rationale et cum illo spirituale, unde fit rationalis et spiritualis homo; sed hic quantum homo cogitat de Deo, ac de Divinis quae a Deo; ac formatur et perficitur quantum afficitur illis, hoc est, quantum vult et vivit secundum illa: sed si hoc non fit, tunc spiritualis homo aperitur communiter, sed non formatur, minus perficitur. Per quod spiritualis homo aperiatur communiter, fit homini facultas cogitandi, et ex cogitatione rationaliter loquendi, hoc enim est communis effectus influxus caeli apud unumquemvis hominem. Inde constare potest quod cogitationes et affectiones hominis dentur spirituales, tum naturales, et quoque sensuales; et quod cogitationes et affectiones spirituales dentur apud illos qui cogitant ex Deo de Deo et de Divinis; at quod solum cogitationes et affectiones naturales dentur apud illos qui non cogitant ex Deo de Deo et de Divinis, sed modo ex se aut ex mundo de se aut de mundo. At sciendum est quod ex se aut ex mundo cogitare non sit ex illis sed ex inferno; nam qui non cogitat ex Deo, cogitat ex inferno; non aliquis potest cogitare simul ex utroque. Illi autem qui negant Deum, et inde Divina quae caeli et ecclesiae sunt, et se confirmant contra illa, fiunt omnes sensuales homines plus aut minus secundum confirmationes; cogitant modo falsa cum de spiritualibus, et afficiuntur malis; et si cogitant aliqua vera, sive sint spiritualia, sive moralia, sive civilia, est modo ex scientia talium quae insunt memoriae; et ultra

causas proximas, quas etiam confirmare possunt, nihil vident: et si afficiuntur bonis, est modo ex jucundo propter se aut mundum, ita ex cupiditate quae est amoris sui, aut quae est amoris mundi. Cogitatio sensualis hominis est quae vocatur cogitatio materialis, et affectio ejus quae vocatur affectio corporea, quae est cupiditas.

[**b.**] Porro sciendum est quod omnia mala quae homo trahit a parentibus, quae mala hereditaria vocantur, insideant ejus naturali et sensuali homini, non autem spirituali. Inde est quod naturalis homo, et maxime sensualis, sit oppositus spirituali homini. Spiritualis enim homo ab infantia est occlusus, et aperitur modo ac formatur per Divina vera recepta intellectu et voluntate; et quantum ac qualiter ille aperitur et formatur, tantum removentur mala naturalis et sensualis hominis, et loco illorum implantantur bona. Quia omnia mala insident naturali et sensuali homini, sequitur quod etiam falsa, ex causa quia omnia falsa sunt mali; homo enim dum ex malo cupit et vult, ex falso cogitat et loquitur: malum enim voluntatis, cum format se in cogitatione, ut manifestetur aliis aut sibi quale est, vocatur falsum; quare falsum est forma mali, sicut verum est forma boni. Ex his constare potest quis et qualis est homo qui vocatur sensualis homo; et quod homo sensualis fiat, quando mala, in quae nascitur, actu persequitur, et eis plura ex se superaddit: quantum hoc facit, et se in illis confirmat, tantum homo spiritualis clausus tenetur; quo clauso, naturalis et sensualis homo negat Divina quae caeli et ecclesiae sunt, et solum agnoscit illa quae mundi et Naturae sunt; immo sensualis homo tunc tam caecus est ut nihil credat nisi quod oculis videt et manibus tangit. Tales sunt multi ex eruditis, utcunque putantur intelligentes et sapientes, quia loqui possunt ex scientiis quae insunt memoriae, et hoc apparenter sicut rationalis homo; quia spiritualis mens apud illos, ut apud unumquemvis hominem, communiter apertus est, ut supra dictum est. Quoniam in nunc sequentibus in hoc capite multis agitur de "locusta," et per illam significatur sensuale, quod est ultimum seu extremum naturalis hominis, interest ut plene sciatur quid et quale est illud sensuale, et inde quis et qualis est sensualis homo; propterea velim ex *Arcanis Caelestibus* hic afferre quae de illo dicta et

ostensa sunt, quae sunt sequentia :—

Quod sensuale sit ultimum vitae hominis adhaerens et inhaerens corporeo ejus, n. 5077, 5767, [1]9212, 9216, 9331, 9730. Quod is sensualis homo dicatur qui omnia judicat ex sensibus corporis, et qui nihil credit nisi quae oculis videre et manibus tangere potest, haec dicens esse aliquid, cetera rejiciens, n. 5094, 7693. Quod talis homo cogitet in extremis, et non interius ex aliqua luce spirituali, n. 5089, 5094, 6564, 7693. Quod interiora mentis ejus, quae videt ex luce caeli, clausa sint, ut ibi nihil veri quod est caeli et ecclesiae videat, n. 6564, 6844, 6845. Verbo, quod in crasso lumine naturali sit, et quod sic nihil percipiat quod e luce caeli, n. 6201, 6310, 6564, 6844, 6845, 6598, 6612, 6614, 6622, 6624. Quod inde interius sit contra illa quae caeli et ecclesiae sunt, n. 6201, [2]6317, 6844, 6845, 6948, 6949. Quod eruditi qui confirmaverunt se contra vera ecclesiae sensuales sint, n. 6316. Quod sensuales homines ratiocinentur acriter et solerter, quia cogitatio illorum est tam prope loquelam ut paene in illa, et quia in loquela ex sola memoria ponunt omnem intelligentiam, n. 195, 196, 5700, 10236; sed quod ex fallaciis sensuum ratiocinentur, quibus captatur vulgus, n. 5084, 6948, 6949, 7693. Quod sensuales homines astuti sint et malitiosi prae reliquis, n. 7693, 10236. Quod avari, adulteri, voluptuosi, et dolosi imprimis sensuales sint, n. 6310. Quod interiora eorum sint foeda et spurca, n. 6201. Quod per illa communicent cum infernis, n. 6311. Quod illi qui in infernis sunt sensuales sint, et eo plus quo profundius ibi, n. 4623, 6311. Quod sphaera spirituum infernalium se conjungat cum sensuali hominis a tergo, n. 6312. Quod illi qui ratiocinati sunt a sensuali, et inde contra genuina vera fidei, ab antiquis dicti fuerint serpentes arboris scientiae, n. 195, 196, 197, 6398, 6949, 10313. Porro sensuale hominis et sensualis homo describitur, n. 10236. Et extensio sensualis apud hominem, n. 9731. Quod sensualia ultimo loco esse debeant, non primo; et quod apud hominem sapientem et intelligentem ultimo loco sint et subjecta interioribus; at quod apud hominem insipientem primo loco sint, et dominantia; hi sunt qui proprie vocantur sensuales, n. 5077, 5125, 5128, 7645. Si sensualia ultimo loco sunt, quod per illa aperiatur via ad intellectum, ac elimentur vera per modum extractionis, n. 5580. Quod sensualia illa hominis proxime exstent mundo, et admittant quae e mundo alluunt, et quasi cribrent illa, n. 9726. Quod externus seu naturalis homo per illa communicet cum mundo, et per rationalia cum caelo, n. 4009. Quod sensualia sic subministrent illa quae inserviunt interioribus, quae sunt mentis, n. 5077, 5081. Quod sint sensualia subministrantia parti intellectuali, et subministrantia parti voluntariae, n. 5077. Quod nisi cogitatio a sensualibus elevatur, homo parum sapiat, n. 5089. Quod sapiens homo supra sensuale cogitet, n. 5089, 5094. Quod homo, cum cogitatio ejus supra sensualia elevatur, in lumen clarius veniat, et tandem in lucem caelestem, n. 6183, 6313, 6315, 9407, 9730, 9922. Quod elevatio supra sensualia et abductio ab illis, antiquis nota fuerit, n. 6313. Quod homo spiritu suo videre possit quae in mundo spirituali, si abduci possit a sensualibus quae ex corpore, et elevari in lucem caeli a Domino, n. 4622. Causa est quia non corpus [3]cogitat, sed spiritus hominis in corpore: et quantum in corpore, tantum crasse et obscure, ita in tenebris, [3]cogitat; at quantum non in corpore, tantum clare et in luce, n. 4622, 6614, 6622. Quod ultimum intellectus sit scientificum sensuale, et quod ultimum voluntatis sit jucundum sensuale, de qui-

bus, n. 9996. Quae differentia inter sensualia communia cum bestiis, et inter sensualia non communia cum illis, n. 10236. Quod sint sensuales non mali, quia interiora eorum non ita clausa sunt; de quorum statu in altera vita, n. 6311.

[*c*.] Quod non aliud per "locustam" significetur quam id sensuale hominis quod nunc descriptum est, constare etiam potest ex aliis locis in Verbo ubi "locusta" memoratur:—Ut apud *Mosen*,

> "Extendit Moses baculum suum super terram Aegypti, et Jehovah adduxit ventum orientalem....tota die et tota nocte: cum primum mane factum est, ventus orientalis produxit locustam: et ascendit locusta super omnem terram Aegypti, et conquievit in omni termino Aegypti, gravis valde; ante illam non fuit talis locusta, nec post illam futura est talis: et obtexit superficiem omnis terrae, ut obtenebraretur terra: et comedit omnem herbam terrae, et omnem fructum arboris, quem residuum fecit grando, ita ut non residuum esset ullum viride in arbore et in herba agri in omni Aegypto." Et implevit locusta domum Pharaonis, et domum omnium servorum ejus, et domum omnium Aegyptiorum (*Exod.* x. 13–15, 6):

omnia miracula in Aegypto, prout omnia miracula in Verbo memorata, involvunt et significant spiritualia quae caeli et ecclesiae sunt, ita plagae Aegyptiacae plagas spirituales; haec plaga, nempe locustarum, destructionem totius naturalis hominis per irruptionem mali et falsi e sensuali; per "Aegyptum" significatur naturalis homo quoad scientificum et quoad volupe ibi, et per "locustam" falsum et malum sensualis hominis vastans naturalem hominem, hoc est, omne verum et bonum ecclesiae inde expellens et ibi destruens; ideo dicitur quod "ascenderit locusta super omnem terram Aegypti, et conquieverit in termino ejus;" per "terram Aegypti" significatur naturale apud homines ecclesiae, et per "terminum ejus" significatur sensuale apud illos, nam sensuale est ultimum seu extremum naturalis, quare est terminus ejus; "locusta" est falsum et malum ibi. Quia falsum et malum sensualis hominis est gravissimum, est enim id corporeum et terrestre, ideo dicitur quod locusta illa esset "gravis valde," et quod "ante illam non fuerit talis, et post illam non ventura talis;" et hoc ex causa quia Aegyptii fuerunt in scientia correspondentiarum, et inde sciverunt spiritualia quae caeli sunt, at illa verterunt in magica. Quia falsum et malum ibi, cum inde irrumpit in naturalem hominem, eum totum depopulatur, perdendo omne verum et omne bonum ibi,

ideo dicitur quod "locusta obtexerit omnem superficiem terrae, ut obtenebraretur terra, et comederit omnem herbam [1]agri, et omnem fructum arboris;" "terra Aegypti" est naturale apud homines ecclesiae, "herba [1]agri" est verum ibi, et "fructus arboris" est bonum ibi. Simile etiam intelligitur per quod "locusta impleverit domum Pharaonis, servorum ejus, et omnium Aegyptiorum;" nam per "domum Pharaonis, servorum ejus, et omnium Aegyptiorum" significatur mens naturalis in tota sua extensione; "domus" enim in Verbo significat interiora hominis quae ejus mentis et animi sunt, hic illa quae mentis naturalis sunt. Dicitur quod hic per "locustam ascendentem super omnem terram Aegypti" significetur irruptio falsi et mali e sensuali homine in naturalem; cum tamen naturalis homo est interior et sensualis exterior, et non datur irruptio seu influxus ab exteriore in interiorem, sed ab interiori in exteriorem: quare sciendum quod per irruptionem seu influxum sensualis hominis in naturalem intelligatur obstipatio naturalis hominis usque ut similis sit sensuali, unde extensio mali et falsi major, et uterque similiter corporeus et terrestris. Alioqui discit homo ab infantia separare sensualem hominem a naturali per loqui verum et facere bonum, tametsi ex sensuali homine cogitat falsum et vult malum, et hoc usque dum prorsus separantur, quod fit quando homo reformatur ac regeneratur a Domino; si vero non separantur, homo non potest aliter quam insane cogitare et velle, et inde insane [2]loqui et facere. Quoniam per "locustam" ibi significatur sensuale quoad falsum et malum, seu quod idem, falsum et malum sensualis hominis, ideo simile per "locustam" et "bruchum" significatur apud *Davidem*,

> "Misit in eos colluviem quae consumpsit eos, et ranam quae perdidit eos, et dedit brucho proventum eorum, et laborem eorum locustae" (Ps. lxxviii. 45, 46);

et apud eundem,

> "Dixit ut veniret locusta et bruchus, et non numerus, qui comedit omnem herbam in terra eorum, et comedit fructum terrae eorum" (Ps. cv. 34, 35);

sed hic per "locustam" significatur falsum sensualis hominis, et per "bruchum" malum ejus, seu falsum et malum in sensuali homine et ex illo; quod hoc significetur per "bruchum" et illud per "locustam," est quia bruchus etiam

est locusta; quod patet ex eo quod illa a Davide dicta sint de locustis in Aegypto, et tamen apud *Mosen* dicitur solum "locusta" et non bruchus. Simile per "locustam" et "bruchum" significatur apud *Joelem*,

"Residuum erucae comedit locusta, et residuum locustae melolontha, et residuum melolonthae comedit bruchus: expergiscimini ebrii, et flete; et ejulate, omnes potantes vinum, propter mustum quod excisum est ex ore vestro" (i. 4, 5);

et alibi apud eundem,

"Plenae erunt areae frumento puro, et exundabunt torcularia mustum et oleum, et compensabo vobis annos quos consumpsit locusta, melolontha, et bruchus et eruca, exercitus meus magnus, quem misi inter vos" (ii. 24, 25):

quod per noxia illa animalcula significentur falsa et mala vastantia seu consumentia vera et bona apud hominem ecclesiae, patet, quoniam dicitur quod "ejularent omnes potantes vinum propter mustum quod excisum est ex ore vestro;" per "vinum" et "mustum" significatur verum ecclesiae: tum quia dicitur quod "plenae erunt areae frumento, et exundabunt torcularia mustum et oleum;" per "aream" enim significatur doctrina ecclesiae, per "frumentum" et "oleum" bona ejus, et per "mustum" vera ejus. Similiter apud *Nahum*,

"Comedet te ignis, exscindet te gladius, comedet te sicut bruchus; multiplica te sicut bruchus, multiplica te sicut locusta: multiplicasti mercatores tuos prae stellis caelorum: bruchus diffudit se et avolavit, coronati tui sicut locusta, et imperatores tui sicut locusta locustarum; [1]quae consident in maceriis die frigoris, sol oritur, ita avolat, ut non noscatur locus ejus ubi illae" (iii. 15–17):

haec dicta sunt de "urbe sanguinum," per quam significatur doctrina conflata ex falsificatis veris, ita ex falsis: interitus illorum qui in fide et vita secundum illam doctrinam sunt, significatur per "Comedet te ignis, exscindet te gladius;" per "ignem" qui comedet significatur malum destruens bonum, et per "gladium" falsum destruens verum: et quoniam intelligitur malum et falsum ex sensuali homine, ideo dicitur, "Comedet te bruchus, multiplica te sicut bruchus, multiplica te sicut locusta, multiplicasti mercatores tuos prae stellis caelorum;" quod dicatur multiplicatio sicut "bruchi" et sicut "locustae," est quia falsificationes Verbi in maxima copia fiunt ab illis qui sensuales sunt, ita a sensuali homine, nam hic per "bruchum"

et "locustam" significatur, ut supra dictum est. Causa quod sensualis homo prae aliis falsificet Verbum, est quia ultimus sensus Verbi, qui est sensus litterae ejus, est pro naturali et sensuali homine, at interior sensus pro spirituali homine; inde est, quod homo cum non est spiritualis homo, sed naturalis et sensualis qui in malo et inde falsis, non videat vera et bona ibi, sed applicet ultimum Verbi sensum ad confirmandum sua falsa et mala. "Mercatores" significant illos qui falsificant, ac communicant et venditant; "coronati tui sicut locusta, et imperatores tui sicut locusta locustarum," significat quod primaria et principalia doctrinae (quae est "urbs sanguinum") sint falsa mali, et ex his etiam falsa mali: "[1]quae consident in maceriis in die frigoris" significat in veris Verbi, quae non apparent ut vera, quia falsificata, et quia ex malo sunt; "maceriae" sunt vera non apparentia quia falsificata, et "dies frigoris" est status amoris mali: "sol oritur et avolat, ut non noscatur locus ejus ubi illae," significat quod consumant omne verum et bonum, ut non sit residuum.

Simile per "multiplicationem sicut locustae" significatur apud *Jeremiam* (cap. xlvi. 20, 22, 23), tum in *Libro Judicum* (cap. vi. 5; cap. vii. 12).

Falsum in extremis, seu densissimum falsum, etiam significatur per "locustam" apud *Mosen*,

"Semen multum educes in agrum, sed parum colliges, quia consumet illud locusta" (*Deutr.* xxviii. 38);

inter maledictiones si non custodirent et facerent praecepta Jehovae: per "semen agri" intelligitur verum Verbi, et per "locustam" densum falsum e sensuali homine, quod consumet et destruet.

Simile significatur per "locustam" apud *Amos* (cap. [2]vii. 1, 2), apud *Esaiam* (cap. xxxiii. 3, 4), et apud *Davidem* (Ps. cix. 22, 23).

[*d.*] Quoniam sensuale hominis est ultimum et infimum vitae cogitationis et affectionis hominis, ut supra dictum est, et quia infimum spectatum ab illis qui in loco superiori et eminentiori sunt est parvum, ideo hoc comparatur locustis:—Ut apud *Esaiam*,

Jehovah "qui habitat super circulo terrae, et habitatores ejus sicut locustae" (xl. [3]22);

per quod etiam significatur quod homines quoad intelligentiam in infimis sint, et Dominus in supremis. Similiter homines, spectati ab illis qui in persuasione suae eminentiae super alios sunt, comparantur locustis, apud *Mosen*,

> Exploratores terrae Canaanis dixerunt, "Vidimus Nephilim filios Enakim de Nephilim, et fuimus in oculis nostris sicut locustae, et sic fuimus in oculis eorum" (*Num.* xiii. 33):

quod per "Nephilim" et "Enakim" in Verbo significentur illi qui in maxima persuasione suae eminentiae ac sapientiae sunt prae aliis, et in sensu abstracto dirae persuasiones, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 311, 567, 581, 1268, 1270, 1271, 1673, [1]3686, 7686); quod visi fuerint et sibi et illis "sicut locustae" est secundum apparentias in mundo spirituali; nam ibi quando illi qui in persuasione suae eminentiae sunt spectant alios, vident illos sicut parvos et viles, et quoque hi tunc videntur sibi tales. Quoniam per "locustam" significatur sensuale, quod est ultimum vitae cogitationis hominis, seu ultimum in quod desinit et super quo subsistit intellectus, inde hoc ultimum est sicut basis et fundamentum super quo consistunt interiora seu superiora, quae sunt intellectus et voluntatis hominis; similiter interiora et superiora, quae spiritualia et caelestia vocantur, in Verbo; et quia omnia fundanda sunt ut consistant et subsistant, ideo sensus litterae Verbi, quae est ultimus et basis, est naturalis et sensualis, et quoque in bono sensu intelligitur per "locustam," proinde etiam verum et bonum ejus. Ex eo est quod Johannes Baptista comederit locustas, et quod filiis Israelis concessum sit illas edere. De Johanne Baptista dicitur,

> Quod habuerit indumentum ex pilis cameli, et cingulum coriaceum circum lumbos, et comederit locustas et mel agreste (*Matth.* iii. 4; *Marc.* i. 6):

quod Johannes Baptista ita indutus fuerit, erat quia repraesentabat Verbum, simile quod Elias; et per "indumentum ex pilis cameli," perque "cingulum coriaceum," ac per esum "locustae et mellis agrestis," repraesentabat ejus ultimum sensum, qui, ut dictum, est naturalis sensualis, quia pro naturali sensuali homine. Per "vestimentum" significatur verum induens bonum; per "pilos cameli" significatur ultimum naturalis hominis, quod est sensuale:

per "locustam et mel agreste" etiam significatur ultimum illud quoad appropriationem, seu sensuale; per "locustam" sensuale quoad verum, per "mel agreste" sensuale quoad bonum, et per "comedere" appropriari. Sciendum est quod antiquis temporibus, quando ecclesiae erant ecclesiae repraesentativae, omnes in ministeriis vestiti fuerint secundum repraesentationes suas, et quoque quod secundum illas comederint. Quod concessum fuerit filiis Israelis comedere locustas, constat ex his apud *Mosen*,

> "Omne reptile avis, quod incedit super quatuor pedibus, erit abominatio:....at quod incedit super quatuor, cui crura super pedes ejus ad saltandum illis super terra, comedetis:" inter quae etiam nominatur locusta (*Levit.* xi. 20–22):

quod ideo concessum sit locustas comedere, quia locustis sunt "crura super pedibus ad saltandum," est quia "crura" significant bonum naturale conjunctum bono spirituali, et "pedes" verum naturale ex illo bono; et omne verum quod ex bono appropriari et conjungi debet homini, non autem verum quod non ex bono, hoc enim verum conjunctum est cum aliquo malo; quare dicitur quod "reptile avis incedens super quatuor," cui non crura super pedibus, "abominatio" esset: dicitur etiam "ad saltandum super terra," quia per "saltare" cum de avibus significatur vivere, aeque ac per "ambulare" cum de animalibus terrae, et vivitur spiritualiter ex veris quae ex bono, quae significantur per "saltare pedibus super quibus sunt crura;" at spiritualiter mori est ex veris conjunctis malo, quod significatur per "incedere super quatuor pedibus" super quibus non sunt crura; quare dicitur quod illa comedere sit "abominatio." Quia per "equum" significatur intellectuale, et per "locustam" sensuale, quod ultimum intellectus est, ac intellectus vivit dum est in suo ultimo, ideo antiqui de equis dixerunt "saltare" et "subsaltare sicut locustae;" ut apud *Hiobum*,

> "Num das equo robur? num induis collum ejus emotione? num facis ut subsultet sicut locusta? gloria naris ejus terror" (xxxix. 19, 20);

describitur hic intellectus per "equum," qualis est; quod nempe similiter ac equus sit robustus, emoveat et incurvet collum, et subsultim ambulet; et quia ultimum intellectus est sensuale, et hoc significatur per "locustam," et intel-

lectus vita in hoc ultimo per "saltare" et "subsultim ambulare," ideo dicitur quod equus "subsultet sicut locusta." Antiquissimi libri, inter quos est *Hiobus*, scripti erant per meras correspondentias; scientia enim correspondentiarum tunc fuit scientia scientiarum, et illi prae reliquis aestimati fuerunt qui per plures et significantiores correspondentias libros concinnare potuerunt: talis est *Liber Hiobi;* sed sensus spiritualis ex correspondentiis ibi collectis non agit de sanctis caeli at ecclesiae, sicut sensus spiritualis apud *Prophetas;* quare ille Liber non est inter Libros Verbi; sed usque ex illo adducuntur loca propter correspondentias, quibus est plenus.

544. ***"Et data illis potestas sicut habent potestatem scorpii terrae."***—Quod significet *persuasivum illorum, ac ejus effectum et potentiam*, constat ex significatione "scorpii," quod sit persuasivum infatuans et suffocans (de qua sequitur); et ex significatione "potestatis," quod sit potentia et effectus, hic potentia sensualis hominis ex persuasivo, et effectus quod infatuet et suffocet. Quid et quale hoc persuasivum est, quod per "scorpium" significatur, vix aliquis in mundo adhuc novit, ex causa quia est persuasivum spiritus hominis sensualis, in quo est quando fit spiritus, non autem quando vivit homo in mundo. Causa est quod homo in mundo raro eloquatur quod ejus spiritus cogitat et intime amat; doctus enim est ab infantia ore producere talia quae vitae civilis et moralis, immo etiam spiritualis sunt, tametsi spiritus ejus, qui interius cogitat et vult, ad aliud inclinat: spiritus hominis, dum in corpore manet, profert talia coram mundo, quia aliter non potest captare animos, ut ejus spiritus obtineat fines quos intendit, qui sunt praecipue honores et lucra, ac nomen et famam propter illa. Haec causa est quod in mundo nesciatur quid et quale est persuasivum infatuans et suffocans, quod significatur per "scorpium:" illud tamen usque est tale apud spiritus, quibus id persuasivum est, ut infundat se in alterius animum et mentem, ac sopiat et paene exstinguat ejus rationale et intellectuale; unde non scire aliter potest quam quod verum sit quod loquitur, tametsi foret falsissimum. Qui in tali persuasivo sunt, non loquuntur ex aliqua ratione, sed ex caeca fide absque ratione, quia ex ultimo sensuali; in hoc enim non datur ratio, sed

modo fides persuasiva ex talibus quae ex corpore ascendunt et ex mundo influunt, insufflata ab igne amoris sui; hic ignis est qui insufflat, educit, et in alterum infundit: quapropter illi imprimis in eo persuasivo sunt, qui imbuerunt falsa ex amore sui, et se crediderunt sapientes prae aliis. Hoc persuasivum dicitur infatuans, quia stuporem inducit intellectui; et dicitur suffocans, quia respirationem liberam alterius tollit; quisque enim respirat conformiter cogitationi suae mentis. Sed quia tale persuasivum maxime noxium et perniciosum est, quia inducit quasi deliquium menti alterius, usque ut non videre possit aliquid rationaliter, ideo spiritibus severe prohibitum est illo uti; et qui utuntur, separantur ab aliis, et vel castigantur vel demittuntur in infernum; nam in mundo spirituali licet cuivis confirmare sui animi sensa, sive vera sive falsa sint, per rationalia et intellectualia; non autem per aliquam fascinationem persuasivam. (Sed plura de hoc persuasivo videantur in *Arcanis Caelestibus:* ut, Quod illi, qui ab eo perstringuntur, interius vincti sint, n. 5096. Quod qui illo persuasivo utuntur, occludant rationale aliorum, et quasi suffocent illos, n. 3895, 5128. Quod Nephilim, Enakim et Rephaim, qui in Verbo memorantur, in diris persuasionibus falsi prae aliis fuerint, n. 581, 1268, 1270, 1271, 1673, 7686: quod illi ante adventum Domini per diras suas persuasiones infestaverint omnes in altera vita, et eorum vitam spiritualem paene exstinxerint, n. 7686: quod a Domino, cum fuit in mundo, conjecti sint in infernum; et quod infernum illud adhuc appareat sicut sub petra nimbosa, et quod in deliquium cadant qui illuc accedunt, n. 311, 581, 1268, 1270, 7686: experientia propria ex aliquibus diabolis inde, quibus permissum fuit apud me influere, n. 1268–1271. Persuasio falsi, quam damnosa, n. 794, 806. Quod plura genera persuasionum falsi sint, n. 1673, 1675 fin.) Quod letale persuasivum significetur per "scorpium," est quia scorpius, dum pungit hominem, [1]inducit simile deliquium menti ejus, ac inde mortem si non sanatur. Persuasiones necativae etiam per "scorpios" significantur in sequentibus locis:—Apud *Lucam*,

> Jesus dixit ad septuaginta quos emiserat, "Vidi satanam sicut fulmen e caelo cadentem; ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpios, et super omnem potentiam inimici, ut nihil quicquam noceat" (x. 18, 19):

quod hic per "serpentes" et "scorpios" non intelligantur serpentes et scorpii, patet; nam dicit Dominus, quod "viderit satanam sicut fulmen e caelo cadentem," et quod "det illis potestatem super omnem potentiam inimici;" quare per "serpentes" et "scorpios" in sensu interno significatur turba satanae, quae in astu et in diro persuasivo falsi fuerat, quo spiritualiter necantur homines post mortem, nisi

tutentur a Domino. Antediluviani qui "Nephilim" vocati sunt, in tali persuasivo fuerunt prae aliis; quos nisi Dominus, cum fuit in mundo, subjugaverit et conjecerit in infernum, et id occluserit, nemo mortalium potuisset salvari; nam infestabant et paene necabant quemcunque obvium in mundo spirituali: quod Dominus mundum spiritualem ab illis et similibus liberaverit, intelligitur per quod "viderit satanam e caelo cadentem," et quod daret illis qui in veris ex bono sunt a Domino "potestatem calcandi super serpentes et scorpios." Per "scorpios" etiam significatur dirum persuasivum apud *Ezechielem*,

> "Fili hominis, ne timeto tibi ab illis, et a verbis eorum, nam refractarii et spinosi tecum, et inter scorpios tu habitas; a verbis eorum ne timeto tibi, et a faciebus eorum ne consternator;"....sunt "duri faciebus et obfirmati corde" (ii. 6, 4):

per "habitare inter scorpios" intelligitur inter illos qui persuaserunt sibi et fortiter persuadent aliis falsa, et non admittunt aliquod verum; quare vocantur "refractarii et spinosi," tum "duri faciebus et obfirmati corde:" sunt etiam interiora, quae mentis rationalis sunt, apud illos qui in forti persuasione falsi sunt, occlusa; et ideo solum ex sensuali ultimo cogitant et loquuntur: hoc sensuale, quando accensum est igne amoris sui, durum et obfirmatum est, et quoque indurat et obfirmat interiora aliorum quos alloquuntur; nam in mundo spirituali est animorum, hoc est, cogitationum et affectionum, communicatio, et ab illis qui in persuasivo illo sunt, infusio; inde sunt effectus supramemorati. Apud *Mosen*,

> Jehovah Deus "te ducens per desertum magnum et formidabile, serpentis, presteris et scorpii" (*Deutr.* viii. 15):

per itinera et errores filiorum Israelis quadraginta annis in deserto repraesentatae et significatae sunt tentationes fidelium; quae quia fiunt per injectiones et persuasiones falsorum a spiritibus malis, dicitur quod ducti "per desertum formidabile, serpentis, presteris et scorpii." Praeterea per "serpentes" in genere significatur ultimum sensuale hominis, et per varias species serpentum significantur varii status illius sensualis quoad mala et falsa; sunt enim sensuales homines prae reliquis malitiosi et astuti, ac credunt ipsi, et inducunt aliis credere, quod ingenio, intellectu et

judicio polleant; sed asseverare possum quod nihil intellectus et judicii illis sit, sed quod tantum stupidi sint in talibus quae essentialia fidei et vitae sunt, quantum ingeniosi sunt ad machinandum mala et ad persuadendum falsa: et malitia, ut notum est, non est sapientia; sapientia enim est veri ex bono, at malitia est falsi ex malo; ac falsum ex malo destruit verum ex bono, quia sunt opposita, et oppositum destruit.

545. [*Vers.* 4.] ***"Et dictum illis est ne laederent gramen terrae, neque ullum viride, neque ullam arborem."***—Quod significet *quod non damno afficerent ullum scientificum verum et vivum ex sensu litterae Verbi, nec aliquas cognitiones veri et boni ibi*, constat ex significatione "non laedere," quod sit non damno afficere; ex significatione "graminis" quod sit scientificum verum, et ex significatione "viridis" quod sit scientificum vivum (de quibus supra, n. 507); et quia omne scientificum verum et vivum ex Verbo est, inde per "non laedere gramen terrae neque ullum viride" significatur scientificum verum et vivum ex Verbo: et ex significatione "arborum," quod sint cognitiones veri et boni, etiam ex Verbo (de qua supra, n. 109, 420). Per scientifica ex Verbo intelliguntur omnia sensus litterae ibi, in quibus non apparet doctrinale; per cognitiones autem veri et boni intelliguntur omnia sensus litterae Verbi, in quibus et ex quibus est doctrinale. Per hoc, quod non damno afficerent aliquod scientificum verum et vivum, nec cognitiones veri et boni ex Verbo, intelligitur, quod sensualis homo per suum persuasivum non pervertet aliquem sensum litterae Verbi, negando quod verum sit; nam si hoc facit, actum est cum illo, quia tunc non aliqua spes reformationis ejus est, nec facultas intelligendi verum ecclesiae: qui enim negat Verbum esse Divinum in omni sensu litterae, rumpit nexum cum caelo, quoniam per Verbum est conjunctio homini cum caelo (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 303–310). Describitur hic qualis status hominis ecclesiae est circa finem, quod nempe ab interno seu spirituali fiat externus et sensualis; sed usque ne prorsus pereat, providetur et cavetur a Domino ne damno afficiat aliquid in Verbi sensu litterae, negando illud esse verum et vivum, hoc est, Divinum, tametsi per sensum litterae sua falsa et mala confirmat: quamdiu enim non negat Divinum in Verbo, usque legit aut audit

illud, et per id in aliqua conjunctione est cum caelo. Inde patet quod per illa verba significetur quod hoc ecclesiae adhuc remansurum sit; at per sequentia, quod "laederet solos homines quicunque non haberent sigillum Dei in frontibus," significatur quod ultimum illud sensuale modo damno afficiat intellectum veri apud illos qui non in veris ex bono a Domino sunt.

546. ***"Nisi homines solos, quicunque non haberent sigillum Dei in frontibus suis."***—Quod significet *quod modo intellectum veri et perceptionem boni apud illos qui non in veris ex bono a Domino sunt*, constat ex significatione "hominis," quod sit affectio veri et inde intelligentia et sapientia (de qua supra, n. 280), hic intellectus veri et perceptio boni (de qua sequitur); et ex significatione "sigillum Dei habere in frontibus," quod sit in veris ex bono esse a Domino (de qua supra, n. 427). Quod per "hominem" significetur intellectus veri et perceptio boni, est quia homo est homo ex illis; quare cum dicitur in Verbo "homo," in sensu spirituali intelligitur id ex quo homo est homo, hoc enim est spirituale ejus. Sunt homini binae facultates, in quibus omnis ejus vita consistit, intellectus et voluntas; qualis itaque est ei intellectus et voluntas, talis est homo. Si ei est intellectus veri et voluntas boni, est vere homo, nam verum et bonum sunt a Domino, et a Domino solo est quod homo sit homo (ut constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59–102, ostensa sunt): at si ei non intellectus veri et voluntas boni est, sed loco veri falsum, et loco boni malum, tunc quidem vocatur homo, sed usque non est homo; nisi solum ex eo, quod ei facultas intelligendi verum et percipiendi bonum sit (de qua facultate in sequenti articulo). Ex his constare potest quod per "homines" in Verbo intelligantur illa ex quibus sunt homines; hic itaque intellectus veri et perceptio boni. Quod intellectus veri et perceptio boni hic per "homines" intelligantur, constare potest ex eo, quod dicatur de locustis quod "homines laederent," et "non gramen terrae, viride, et arbores," et per "locustam" significatur ultimum vitae hominis quod vocatur sensuale: hoc quando in persuasione falsi est, cum legit aut audit Verbum, usque non laedit seu damno afficit aliquid Verbi in sensu ejus litterae, nam hoc pro naturali sensuali homine est; hoc credit, tametsi applicat ad confirmandum sua falsa: sed laedit et damno

afficit intellectum veri et perceptionem boni; nam sensualis homo non cogitationem suam supra sensum litterae Verbi potest elevare; si conatur elevare, vel labitur in falsum, vel perit ei fides persuasiva de Verbo. Ex his nunc sciri potest quid intelligitur per illa verba, quod locustae "non laederent gramen terrae, nec ullum viride, neque ullam arborem, nisi homines solos quicunque non haberent sigillum Dei in frontibus suis."

547. [*Vers.* 5.] ***"Et [1]datum illis, ut non occiderent illos."***— Quod significet *quod non deprivarentur facultate intelligendi verum et percipiendi bonum*, constat ex significatione "hominum," quod sint intellectus veri et perceptio boni (de qua mox supra, n. 546); et ex significatione "occidere illos," quod sit perdere quoad vitam spiritualem (de qua supra, n. 315); hic autem deprivare facultate intelligendi verum et percipiendi bonum. Quod hoc significetur hic per "occidere homines," est quia unusquisque homo nascitur in facultatem intelligendi verum et percipiendi bonum, est enim illa facultas ipsum spirituale, per quod omnis homo distinguitur a bestiis. Hanc facultatem homo nusquam perdit; nam si illam perdit, non amplius est homo sed bestia. Apparet quidem sicut sensualis homo qui in falsis mali est perdiderit, quia non intelligit verum et percipit bonum dum legit Verbum aut audit id ab aliis; sed usque non perdiderat ipsam facultatem intelligendi et percipiendi, sed modo intellectum veri, et perceptionem boni, quamdiu est in falsis in quibus se ex malo confirmaverat; tamdiu enim aversatur audire verum, quod apparet sicut non posset intelligere; at si removeretur persuasio falsi quae obstat, tunc intelligit et percipit quod verum sit verum, et quod bonum sit bonum, sic ut homo rationalis spiritualis. Quod ita sit, ex multa experientia mihi datum est scire: fuerunt enim plures ex infernali turba, qui se confirmaverunt in falsis contra vera et in malis contra bona, qui inde tales facti sunt ut nihil veri audire minus intelligere vellent; de quibus ideo alii captarunt opinionem quod verum non possent intelligere; sed iidem, cum persuasio falsi illis remota est, venerunt in potentiam et facultatem intelligendi verum prorsus sicut illi qui in intellectu veri et in perceptione boni fuerunt: at illico cum relapsi sunt in pristinum statum, apparuerunt iterum sicut non possent intelligere verum; immo indig-

nati sunt valde quod intellexerint, dicentes tunc quod usque non verum esset. Affectio enim quae est voluntatis facit omnem intellectum qui est apud homines, nam ipsa vita intellectus est inde. Expende num aliquis cogitet absque affectione, et annon affectio sit ipsa vita cogitationis, proinde vita intellectus. Dicitur affectio, ac intelligitur affectio quae est amoris, seu amor in suo continuo. Ex his patet quod homo quidem intellectum veri et perceptionem boni possit perdere, quod fit per falsa mali, sed quod usque non ideo perdat facultatem intelligendi verum et percipiendi bonum ; si illam perdit, non amplius est homo, ipsum enim humanum in illa facultate consistit ; ex illa est quod homo vivat post mortem, et quod appareat tunc sicut homo ; Divinum enim cum illa facultate conjunctum est. Inde est, quod tametsi homo quoad binas suas vitas, quae sunt vita intellectus et vita voluntatis, a Divino aversus sit, usque per id quod possit intelligere verum et percipere bonum conjunctionem cum Divino habeat, et inde vivat in aeternum. Ex his nunc constare potest quod per [quod] "datum sit locustis ut non occiderent homines," significetur quod usque non deprivarentur facultate intelligendi verum et percipiendi bonum.

548. *"Sed ut cruciarent menses quinque."*—Quod significet *quod intellectus a falsis mali caligaret et abstraheretur a videndo verum quamdiu in illo statu sunt*, constat ex significatione "cruciare," quod sit quoad intellectum caligare et abstrahi a videndo verum (de qua sequitur) ; et ex significatione "mensium quinque," quod sit quamdiu in illo statu sunt. Quod "cruciare" hic significet caligare quoad intellectum, et abstrahi a videndo verum, est quia hoc dicitur de locustis et illarum potestate laedendi, quae sicut scorpii ; et per "locustas" intelligitur ultimum vitae hominis, quod vocatur sensuale, et per "potestatem laedendi, sicut scorpii," significatur persuasivum, quod tale est ut auferat intellectui lucem veri, ac inducat tenebras infernales ; quare sequitur nunc quod "cruciatus illarum esset sicut cruciatus scorpii cum percutit hominem," per "scorpium" enim significatur tale persuasivum (videatur supra, n. 544). Dicitur hoc "cruciare," quia supra dicitur quod "locustae laederent homines," at "non occiderent ;" et qui laedit et non occidit, is cruciat ; et quoque persuasivum, quod est

sensuali homini qui in falsis mali est, laedit intellectum caligando et abstrahendo a videndo verum, tametsi illum non deprivat facultate intelligendi et percipiendi: et quia comparatur cum dolore a scorpio, dum percutit hominem, dicitur "cruciare." Quod "menses quinque" [1]significent quamdiu homines in illo statu sunt, est quia "mensis" significat statum, et "quinque" significant aliquid, et inde quoque tamdiu. Quod "menses" significent status, est quia omnia tempora in Verbo, sicut "saecula," "anni," "septimanae," "dies," "horae," significant status vitae (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 162–166); inde quoque "menses." Quod "quinque" significent aliquid, constare potest a locis in Verbo ubi is numerus occurrit; numeri enim "decem," "centum," "mille," significant multum et omne; inde "quinque" significant aliquid; exsurgunt enim illi numeri qui significant multum, a numero quinque qui significat aliquid, et numeri compositi et derivati trahunt suam significationem a numeris simplicibus a quibus per multiplicationem componuntur et derivantur (videatur supra, n. 429, 430[*a*,*b*]). Quod "quinque" etiam significent quamdiu, est quia dicitur "menses quinque," et per "menses" ibi significatur status durationis. Quod hoc per "menses quinque" significetur, apparet remotum, ex causa quia homo, quamdiu vivit in mundo, est in cogitatione naturali; et cogitatio naturalis trahit suas ideas ex spatiis et temporibus, et quoque ex numeris et mensuris; haec enim propria Naturae sunt, quia in Natura sunt omnia determinata per illa; spiritualis autem cogitatio est absque idea determinata spatii, temporis, numeri et mensurae: inde est quod appareat sicut remotum et alienum homini in mundo quod "menses quinque" significent quamdiu ille status est, hoc est, quamdiu status persuasionis falsi est; nam tamdiu intellectus caligat et abstrahitur a videndo verum; at cum persuasio falsi removetur, venit homo in facultatem videndi verum, si videre vult, quae facultas cuivis homini datur. Quod "quinque" in Verbo significent aliquid et aliquos, tum omnes tales, ac similia, constare potest a sequentibus locis:—Apud *Matthaeum*,

> Jesus dixit, quod regnum caelorum simile sit decem virginibus, quarum "quinque erant prudentes, quinque stultae" (xxv. 1, 2):

quod Dominus comparaverit regnum caelorum decem vir-

ginibus, est quia "regnum caelorum" significat ecclesiam, similiter "virgo;" et "decem virgines" significant omnes qui ab ecclesia: quod dixerit quod "quinque essent prudentes et quinque stultae," erat quia "quinque" significant quosdam ex illis, seu omnes qui tales ab una parte. Quod "virgo" significet ecclesiam, constare potest ex pluribus locis in Verbo ubi dicitur "virgo Zion," "virgo Hierosolyma," "virgo Israel," per quas significatur ecclesia. Simile significatur per "decem" et "quinque" in parabola Domini

De homine nobili qui dedit minas servis suis ut negotiarentur, et quod unus ex mina acquisiverit decem minas, et quod alter ex mina acquisiverit quinque minas, et quod ideo potestatem habituri super tot urbes (*Luc.* xix. 13–20):

numerus decem et numerus quinque dicti sunt a Domino, quia "decem" significant multum, et "quinque" aliquid; per "negotiationem" autem illorum significatur acquisitio et comparatio intelligentiae caelestis; et per "potestatem super urbes" significatur intelligentia et sapientia, "urbs" enim in Verbo significat doctrinam, at potestatem super illam habere significat intelligens et sapiens esse, et "super decem urbes" significat multum, et "super quinque" aliquid. Etiam aliqui et omnes qui tales significantur per "quinque" in parabola Domini

De divite et Lazaro, quod dives dixerit Abrahamo se habere quinque fratres, et rogaverit ut Lazarus ad illos mitteretur (*Luc.* xvi. 27, 28):

dixit dives quod haberet quinque fratres, quia per "quinque" significantur omnes qui tales sunt. Similiter in parabola Domini de illis qui invitati ad cenam magnam,

Quod unus se excusaverit, quia emerat quinque juga boum, ad quae probanda abiret (*Luc.* xiv. 19):

per "boves" in Verbo significantur affectiones naturales, et per "quinque juga boum" significantur omnes illae affectiones, seu cupiditates quae abducunt a caelo; caelum et ecclesia quoad nutritionem spiritualem seu instructionem significatur per "cenam magnam," ad quam invitati sunt. Quis non videre potest quod numerus "quinque" in quatuor illis parabolis arcanum involvat, quia a Domino dictus est? Similiter apud *Esaiam*,

"In die illo erunt quinque urbes in terra Aegypti loquentes labiis Cana-

anis, et jurantes Jehovae Zebaoth :....in die illo erit altare Jehovae in medio terrae Aegypti" (xix. 18, 19):

"in die illo" significat adventum Domini; et "quinque urbes in terra Aegypti loquentes labiis Canaanis" significat quod aliqui tunc qui naturales sunt fient spirituales, et agnoscent genuinae doctrinae vera, et quod ex bono charitatis colent Dominum; (sed haec singillatim explicata videantur supra, n. 223[*c*];) hic itaque dicuntur "quinque urbes," ut intelligantur aliqui tunc, et quoque vera doctrinae aliqua. Apud eundem,

"Relinquentur in eo racemationes sicut in decussione oleae, duae tres baccae in capite rami, quatuor quinque in ramis fructiferae" (xvii. 6);

et apud *Lucam*,

Jesus dixit, "Erunt ex nunc quinque in domo una divisi, tres contra duos, et duo contra tres" (xii. 52):

quod in his locis "quinque" etiam significent aliquos et omnes qui tales, videatur supra (n. 532), ubi bina illa loca explicata sunt. Lex lata est apud filios Israelis,

Quod qui bovem furatus fuerit, vel mactaverit, vel vendiderit, rependet quinque boves (*Exod.* xxi. [1]37 [*B. A.* xxii. 1]):

per "bovem" ibi in sensu spirituali intelligitur bonum naturalis hominis; quod "rependet quinque boves pro bove" significat quod emendabit quantum satis quae perverterat et exstinxerat; "furari" est auferre, "mactare" est exstinguere, et "vendere" est pervertere. Per "partem quintam" etiam significatur quantum satis

Levit. v. 16, 24 [*B. A.* 16, vi. 5]; cap. xxii. 14; cap. xxvii. 13, 15, 19, 27, 31: *Num.* v. 6–8:

similiter per "quintas"

Quas Pharao sumeret ex terra Aegypti in septem annis saturitatis (*Gen.* xli. 34; cap. xlvii. [2]24):

pariter per "ad quintam,"

Ad quam Abnerus percussit Asahelem posteriore hastae parte (2 *Sam.* ii. 23);

"ad quintam" significat quantum satis ad mortem; idem enim numerus qui significat aliquid et omne quod ab una parte, etiam significat quantum satis cum praedicatur de quantitate, et tamdiu quando predicatur de tempore. Quia

numerus ille significat aliquid et omne unius partis, inde etiam significat parum et paucos cum sequitur aut praecedit quantitas magna etiam per numeros designata; nam tunc omne unius partis est respective paucum:—Ut apud *Esaiam*,

"Mille unum coram increpatione unius, coram increpatione quinorum fugietis" (xxx. 17);

et apud *Mosen*,

Quod quinque persequerentur centum, et centum myriadem, inter maledictiones (*Levit.* xxvi. 8);

et apud *Evangelistas*,

Quod Dominus cibaverit quinque millia hominum ex quinque panibus et duobus piscibus (*Matth.* xiv. 15–22; *Marc.* vi. 38–43; *Luc.* ix. 13–16; *Joh.* vi. 9–13):

quod tunc sustulerint "duodecim cophinos fragmentorum" significat plenum, ita plenam instructionem et plenam benedictionem. Per "quinque" etiam significantur pauci apud *Lucam*,

"Nonne quinque passeres venduntur assariis duobus? unus tamen ex illis non est oblivioni datus coram Deo:....ideo ne timete, multis passeribus praestatis" (xii. 6, 7):

quod dicantur "quinque passeres" est quia intelligitur paucum et parvi pretii respective ad homines, nam sequitur quod illi "multis passeribus praestent." Quisque videre potest, quod is numerus toties a Domino non dictus fuisset nisi esset significativus. Quoniam "quinque" significant omne unius partis, ideo quoque mandatum est

Ut super habitaculum facerent decem aulaea, et quinque aulaea essent conjuncta quodvis ad alterum, et quinque aulaea essent conjuncta quodvis ad alterum (*Exod.* xxvi. 1, 3);

quod "decem" significent omnia in toto complexu, et "quinque" omne unius et alterius partis, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 9595 et 9604).

549. ***"Et cruciatus illarum sicut cruciatus scorpii cum percutit hominem."***—Quod significet *quod caligatio et abstractio a videndo verum sit a persuasione qua mens infatuatur*, constat ex significatione "cruciatus," quod sit mentis caligatio et abstractio a videndo verum (de qua mox supra, n. 548); et ex significatione "scorpii," quod sit persuasivum infatuans et suffocans (de qua etiam supra, n. 544): quare per

quod "cruciatus [1]illarum sicut cruciatus scorpii cum percutit hominem" significatur quod caligatio et abstractio a videndo verum sit a persuasione qua mens infatuatur. De persuasivo quod infatuat et quasi suffocat, quale illud et unde, supra (n. [2]544) dictum est. Quod persuasivum illud dicatur infatuans, est quia aufert rationis usum, usque ut ratio seu mens rationalis nihil videat quam id quod ille qui in eo persuasivo est, loquitur; excitat enim momento omne quod consentit, et obvelat omne quod dissentit; unde mens infatuatur per id quod in caligine sit et in abstractione a videndo verum. Quod persuasivum illud dicatur suffocans, est quia deprivat intellectum facultate cogitandi libere, et extendendi visum undequaque, ut fit ab omni rationali homine, et cum hoc fit respiratio laborat: nam respiratio voluntaria trahit omne suum ab intellectu; quare etiam illa se cogitationi ejus accommodat; sicut motus cordis omne suum trahit a voluntate, et ejus affectioni se accommodat. Quod respiratio pulmonum correspondeat intellectui et ejus cogitationi, ac motus cordis voluntati et ejus affectioni, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 1119, 3883-3896, 9281). Quod forte persuasivum non modo vim infatuandi sed etiam suffocandi habeat, ab ipsa experientia scire datum est.

550. [*Vers.* 6.] ***"Et in diebus illis quaerent homines mortem et non invenient illam."***—Quod significet *quod tunc perdere velint facultatem intelligendi verum, sed quod usque non possint*, constat ex significatione "in diebus illis," quod sit tunc, nempe cum homo ecclesiae ab interno factus sit externus, seu a rationali sensualis; ex significatione "quaerere mortem," quod sit velle perdere facultatem intelligendi verum (de qua sequitur); et ex significatione "non invenire illam," quod sit non posse perdere. Quod per "quaerere mortem," hic significetur velle perdere facultatem intelligendi verum, patet a praecedentibus, quia est consequens; dictum enim est quod "locustae laederent homines solos quicunque non haberent sigillum Dei super frontibus suis," et dein quod "datum illis sit ut non occiderent illos, sed cruciarent," per quae significatur quod modo damno afficerent intellectum veri et perceptionem boni apud illos qui non in veris ex bono a Domino sunt; at quod usque non deprivarentur facultate intelligendi verum et percipiendi bonum, videatur supra (n. 546, 547): inde nunc sequitur

quod per "mortem" quam quaerent, et quam cupient, significetur privatio facultatis intelligendi verum et percipiendi bonum; nam hanc et illam perdere, est vitam proprie humanam, sic enim homo non amplius homo est, sed bestia, ut supra dictum est; inde patet quod privatio illius vitae sit quae per "mortem" hic significatur. Quod velint perdere binas facultates vitae vere humanae, est quia sensuales homines, ex persuasione de falsis mali in quibus sunt, non volunt intelligere verum et percipere bonum; delectantur enim suis falsis mali, et inde ex jucundo falsi cogitare, et ex jucundo mali velle; quare ad verum et ad bonum, quia opposita sunt, se avertunt; quidam contristantur, quidam ad illa nauseant, et quidam illa rejiciunt cum ira, quisque secundum quale et quantum falsi quod sibi persuasit: [1]verbo, sensualis homo talis non admittit rationes ex intellectu contra falsa mali in quibus est, ita non vult intelligere et rationalis fieri, tametsi potest fieri, quia est homo. Hoc itaque est quod significatur per quod "quaerent mortem et non invenient illam."

551. ***"Et cupient mori et fugiet mors ab illis."***—Quod significet *quod velint perdere facultatem percipiendi bonum, quae est vitae spiritualis, sed incassum*, constat ex significatione "mori," quod hic sit perdere facultatem percipiendi bonum (de qua sequitur); et ex significatione "fugiet mors ab illis," quod sit quod non possint perdere, ita quod incassum velint. Quod hic per "mori" significetur perdere facultatem percipiendi bonum, ac quod supra per "mori" significetur perdere facultatem intelligendi verum, est quia binae vitae cuivis homini sunt, vita intellectus et vita voluntatis; vita intellectus est facultas intelligendi verum, ac vita voluntatis est facultas percipiendi bonum; inde "mors" est deprivatio unius et alterius. Quod "mors" in primo loco significet deprivationem facultatis intelligendi verum, et in secundo loco deprivationem facultatis percipiendi bonum, est quia in praecedentibus de utraque illa vita actum est, et quia in Verbo ubi agitur de vero etiam agitur de bono, propter conjugium boni et veri in singulis ejus (de qua re videatur supra, n. 238, 288[*b*], 484); inde constare potest quod hic per "mortem" significetur deprivatio facultatis percipiendi bonum: ex illa causa est quod paene similia bis dicantur, et quoque "quaerere mortem" prae-

dicatur de illis quae intellectus sunt, et "cupere mortem" de illis quae voluntatis sunt. Quia vita spiritualis homini propria in binis illis facultatibus consistit, ideo etiam significatur quod vitam spiritualem velint perdere. Data etiam est cuivis homini facultas percipiendi bonum, sicut est data facultas intelligendi verum; nam verum amat bonum, et bonum amat verum, et ideo continuo volunt conjungi, et conjunguntur sicut voluntas et intellectus, aut sicut affectio et cogitatio. Quando conjuncta sunt, tunc intellectus cogitat verum ex affectione cogitandi illud, et tunc intellectus videt illud, et voluntas percipit illud. Percipere verum ex affectione voluntatis est percipere bonum; vertitur enim verum in bonum dum homo vult seu afficitur illo, hoc est, dum amat illud, ex causa quia omne quod amatur vocatur bonum.

552. [*Vers.* 7.] ***"Et similitudines locustarum similes equis paratis ad bellum."***—Quod significet *quod homo sensualis* [1]*factus, sit ratiocinans sicut ex intellectu veri*, constat ex significatione "locustarum," quod sint homines ecclesiae sensuales facti per falsa quae ex malo (de qua supra, n. 543); ex significatione "equorum paratorum ad bellum," quod sint ratiocinationes, hic sicut ex intellectu veri, quia dicitur quod "similes" illis; (quod per "equos" significetur intellectus, videatur supra, n. 355, 364; et omnis intellectus est veri;) et quia per "bellum" in Verbo significatur pugna spiritualis, quae est falsi contra verum et veri contra falsum, ideo per "equos paratos ad bellum" significantur ratiocinationes, hic sicut ex intellectu veri; per ratiocinationes enim fiunt pugnae spirituales. Agitur in nunc sequentibus, usque ad vers. 12, de sensuali homine qui in falsis ex malo est, qualis ille est quoad intellectum et voluntatem, et describitur ille per "locustas" et varias illarum apparentias; omnes enim affectiones et inde cogitationes hominis repraesentantur in mundo spirituali per varias bestias terrae et aves, ac sistuntur in talibus formis quae correspondent; et bestiae ibi repraesentatae secundum affectiones spirituum, ex quibus illae, apparent similes bestiis in nostro mundo, sed quandoque cum successiva mutatione et varietate accedente ad formas compositas ex aliis bestiis; praeter quod etiam variis insignibus amiciantur et decorantur quoad capita et quoad corpora: talia mihi saepius visa sunt, ex quibus patuit mihi quales illorum affectiones et inclinationes erant.

Quia affectiones et inde cogitationes repraesentantur in mundo spirituali per bestias et aves, ideo etiam per "bestias" et "aves" in Verbo similia significantur. Quod sensuales homines, qui in falsis ex malo sunt, repraesententur et inde significentur per locustas, supra (n. 543) ostensum est; nunc describitur quales illi sunt per varias illarum formas et per varia insignia; sicut quod "similes essent equis paratis ad bellum," quod "super capitibus illarum essent coronae similes auro," quod "facies illarum sicut facies hominum," quodque "capilli sicut mulierum," "dentes sicut leonum," quod haberent "thoraces," et plura; quae omnia sunt repraesentativa qualia sunt in mundo spirituali, correspondentia falsis ex malo et persuasivo sensualis hominis; quae tamen nemo scire potest nisi cui datum est nosse correspondentias, tum qualis est sensualis homo, et quale ejus persuasivum. Quod sensualis homo, qui in falsis ex malo est, ratiocinetur sicut ex intellectu veri, est quia est in persuasione quod falsum sit verum, et malum sit bonum; et quamdiu in illa persuasione est, non rationaliter et intellectualiter aliquid videre potest, sed credit id summae rationis et eminentis intellectus esse, quod sibi persuaserat; est enim apud illum rationale et intellectuale occlusum, et inde in persuasiva fide est de illis quae cogitat et loquitur. Quod sensualis homo ratiocinetur acriter et solerter, quoniam cogitatio ejus est tam prope loquelam ut paene sit in illa, et quia in loquela ex sola memoria ponit omnem intelligentiam, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 195, 196, 5700, 10236).

553. ***"Et super capitibus illarum sicut coronae similes auro."***— Quod significet *quod appareant sibi cum ratiocinantur sicut sapientes et victores*, constat ex significatione "capitis," quod sit sapientia et intelligentia (de qua sequitur); et ex significatione "coronae ex auro," quod sit victoriae praemium (de qua supra, n. 358). Quod "corona similis auro" significet victoriae praemium, est quia reges antiquis temporibus, quando in pugnis cum hostibus fuerunt, gerebant coronas ex auro super capitibus suis, praeter plura insignia quae tunc fuerunt regibus: causa erat quia reges repraesentabant Dominum quoad Divinum Verum, et Divinum Verum pugnat ex Divino Bono; hoc itaque repraesentabatur per coronam ex auro, et ipsa sapientia et intelligentia per

caput super quo corona. Inde fuerunt coronae martyribus; hi enim, contra falsa ex malo quae ex inferno, ex Divino Vero pugnarunt, et victores evaserunt, quia usque ad mortem, quam nec timuerunt. Ex his constare potest quod per "super capitibus sicut coronae similes auro" significetur quod illi, qui sensuales homines sunt, ex persuasione falsi in qua sunt, appareant sibi sicut sapientes et victores. Quoniam describuntur locustae quoad capita, quoad facies, quoad pectora super quae thoraces, et quoad caudas, et quoad capillos et dentes, interest scire quid per "capita" eorum significatur, et dein quid per reliqua. Per "caput" in Verbo significatur sapientia et intelligentia, quia resident in illo; at quando agitur de illis qui non in aliqua sapientia et intelligentia sunt, quia in falsis ex malo sunt, tunc per "caput" significatur stultitia et insania, ex causa quia falsa et mala sunt ibi et inde: hic autem, ubi agitur de illis qui sensuales sunt et in persuasione falsi, per "caput" proprie significatur stultitia et insania; nam illi vident falsa sicut vera, ac mala sicut bona, sunt enim perpetuo in visionibus ex fallaciis: inde est quod de illis dicatur quod "super capitibus eorum essent sicut coronae similes auro, et facies sicut facies hominum," et plura quae sequuntur, quae omnia fuerunt apparentiae ex phantasia apud illos; quare dicitur "sicut" coronae, et "similes" auro; unde patet quod apparentiae illae non essent apparentiae reales sed fallaces. Apparentiae enim omnes quae in caelis existunt sunt reales, quia sunt correspondentiae; interiora enim quae sunt affectionum et inde cogitationum apud angelos, dum transeunt ad visum oculorum illorum, induuntur formis quales apparent in caelis; et quia visibiles sunt vocantur apparentiae, et dicuntur correspondentiae, et sunt reales quia ex creatione. Aliter autem apparentiae in quibusdam infernis, ubi sunt illi qui in persuasionibus falsi ex malo sunt; ex persuasionibus illis existunt visiones phantasticae, in quibus intus nihil reale est; quare etiam evanescunt, dum modo radius e luce caeli influit: tales apparentiae sunt quae de "locustis" hic memorantur. (Ast de apparentiis in mundo spirituali, tam realibus quam non realibus, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. [1]170–176; ut et supra, in explicatione, n. 369, 395[*a*].)

554. ***"Et facies illarum sicut facies hominum."***—Quod significet *quod appareant sibi sicut affectiones veri spiri-*

tuales, constat ex significatione "facierum," quod sint interiora quae mentis et affectionis sunt (de qua supra, n. 412); et ex significatione "hominis," quod sit affectio veri spiritualis, et inde intelligentia et sapientia (de qua etiam supra, n. 280): et quia facies sunt typi interiorum hominis, inde per "facies" simile significatur quod per ipsos homines, nempe affectiones veri; hic autem quod appareant sibi sicut affectiones veri, et inde intelligentes et sapientes, quia dicitur de locustis quod illarum facies visae sint "sicut" facies hominum. Quod tali facie apparuerint locustae, est ex forti persuasivo in quo sunt sensuales homines qui in falsis ex malo sunt, qui per "locustas" significantur; ipsum persuasivum sistit talem apparentiam, sed modo coram se ipsis et coram aliis qui etiam in falsis ex malo sunt, non autem coram angelis caeli; causa est quia hi angeli in luce caeli sunt, et quicquid vident ex illa luce vident; et lux caeli, quia est Divinum Verum, dissipat omne phantasticum quod ex persuasivo. Quod sensuales homines sibi appareant tales, est quia sensuales homines persuadent sibi quod in veris ex bono sint prae aliis, tametsi in falsis ex malo sunt; non enim possunt interius ex caelo aliquid perspicere, sed solum exterius ex mundo; et qui solum ex mundo, ii solum ex fatuo lumine vident, ex quo putant se intelligentes et sapientes esse prae aliis; non enim sciunt quid intelligentia et sapientia, et unde illa. Ex hac fide persuasiva est quod credant se in affectione veri spirituali esse: hoc itaque est quod significatur per quod "facies locustarum visae essent sicut facies hominum." Sed haec illustranda sunt per experientiam e mundo spirituali. Omnes qui in caelis sunt, homines sunt quoad facies et quoad reliqua corporis; sunt enim in affectione veri spirituali, et ipsa affectio veri spiritualis est homo in forma, ex causa quia illa affectio est a Domino, qui est solus Homo, et quia ex Ipso universum caelum conspirat ad formam humanam; inde est quod angeli sint formae affectionum suarum, quae etiam apparent ex faciebus illorum. (Sed haec ample exposita sunt in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59–102.) In inferno autem, ubi omnes sunt externi et sensuales, quia in falsis ex malo, apparent etiam sibi sicut homines, etiam quoad facies, sed modo inter suos: at quando conspiciuntur in luce caeli, apparent sicut monstra, facie dira, et quandoque loco faciei modo

crinitum, aut cum crate dentium horribili; quandoque luridum sicut mortuum, in quo non aliquod vivum humanum; sunt enim formae odiorum, vindictarum et saevitiarum, in quibus est mors spiritualis, quia in opposito ad vitam quae a Domino. Quod inter se appareant facie sicut homines, est ex phantasia et inde persuasione. (Sed de his apparentiis videatur etiam in opere *De Caelo et Inferno*, n. 553.)

555[*a*]. [*Vers.* 8.] ***"Et habebant capillos sicut capillos mulierum."***—Quod significet *quod etiam appareant sibi affectiones veri naturales*, constat ex significatione "capillorum," quod sint illa quae naturalis hominis sunt, et in specie vera scientifica ibi (de qua supra, n. 66); et ex significatione "mulierum," quod sint affectiones (de qua sequitur). Quod "capilli" significent illa quae naturalis hominis sunt, est quia "caput" significat illa quae spiritualis hominis sunt, ac omnia naturalis hominis investiunt omnia spiritualis hominis, sicut capilli caput; etiam caput correspondet spiritualibus, et capilli correspondent naturalibus, inde etiam illa significant. Ex correspondentia illa est quod angeli appareant pulchre comati, et quod secundum comarum ordinatam pendentiam, decorem et nitorem, sciatur qualis correspondentia est naturalis hominis cum spirituali apud illos. Nunc quia "mulieres" significant affectiones, constare potest quod per quod "haberent capillos sicut capillos mulierum" significetur quod appareant sibi sicut affectiones [veri] naturales: quod haec significentur, etiam ex serie patet, nam per "facies sicut facies hominum" significatur apparentia sicut essent spirituales affectiones veri; inde nunc sequitur quod per "capillos sicut capillos mulierum" significetur apparentia sicut essent naturales affectiones veri; mox etiam dicitur de dentibus, quod illi essent "sicut dentes leonum," et per illos significantur ultima naturalis hominis quoad scientiam et quoad potentiam. In Verbo Prophetico multoties dicitur "mulier," et quoque "filia" et "virgo;" sed hactenus ignotum fuit quid per illas significatur; quod non mulier, nec filia et virgo intelligantur, clare patet, nam nominantur ubi agitur de ecclesia; quid autem per illa significatur, videri potest ex serie rerum de quibus agitur, in sensu spirituali. Quod per "mulierem" significetur ecclesia quoad affectionem veri, et inde affectio veri ecclesiae, constare potest a sequentibus locis in Verbo:—Apud *Jeremiam*,

"Quare facitis malum....contra amimas vestras, ad exscindendum vobis virum et mulierem, infantem et lactentem, e medio [1]Jehudae?" ([2]xliv. 7;)

apud eundem,

"Dispergam....virum et mulierem, dispergam....senem et parvum, et dispergam....juvenem et virginem" (li. 22);

apud *Ezechielem*,

"Senem, juvenem, virginem, infantem et mulieres occidite ad perditionem" (ix. 6);

et in *Threnis*,

"Mulieres in Zione compresserunt, virgines in urbibus Jehudae, principes manu eorum suspensi sunt, facies senum non honoratae sunt" (v. 11, 12):

hic per "virum et mulierem," "senem et infantem," "juvenem et virginem" non intelliguntur vir, et mulier, senex, infans, juvenis et virgo, sed omnia quae ecclesiae sunt; per "virum et mulierem" verum et ejus affectio, per "senem et infantem" sapientia et innocentia, per "juvenem et virginem" intelligentia veri et affectio boni: quod illa significentur, constat ex eo, quod in illis capitibus agatur de ecclesia, et de ejus desolatione quoad verum et bonum ibi; quare per nomina illa significantur talia quae ecclesiae sunt. Verbum enim interius est spirituale, quia est Divinum; quare si per "virum et mulierem," "senem et infantem," "juvenem et virginem," intelligeretur illi, foret Verbum naturale et non spirituale; at tunc fit spirituale cum per "virum et mulierem" significatur ecclesia quoad verum et ejus affectionem, per "senem et infantem" ecclesia quoad sapientiam et innocentiam, ac per "juvenem et virginem" ecclesia quoad intelligentiam et ejus affectionem. Etiam homo est homo quia in eo est ecclesia, et ubi ecclesia ibi caelum; quare cum "homo senex," "homo juvenis," "homo infans," "homo vir," "mulier" et "virgo," dicitur, intelligitur id quod est ecclesiae correspondens aetati, sexui, inclinationi, affectioni, intelligentiae et sapientiae, quae apud illos. Quod per "mulierem" significetur ecclesia quoad affectionem veri, seu affectio veri ecclesiae, etiam constare potest ex his apud *Esaiam*,

"Tunc apprehendent septem mulieres virum unum in die illo, dicendo, Panem nostrum comedemus, et veste nostra induemus nos; tantum modo nominetur nomen tuum super nos, collige opprobrium nostrum" (iv. 1):

agitur ibi de fine ecclesiae, quando non verum amplius, nam praecedit,

"Homines tui gladio cadent, et robur tuum in bello" ([cap. iii. 25]),

per quae significatur quod intellectus veri per falsa destruetur, ut non resistentia in pugnis amplius; et sequitur,

"In die illo erit germen Jehovae in decus et gloriam" ([cap. iv. 2]),

per quae significatur quod verum in ecclesia e novo enascetur, quia illa dicta sunt de adventu Domini. Per quod "septem mulieres apprehendent unum virum" significatur quod ex affectione desideraturi et quaesituri sint verum, sed non inventuri; per "virum" significatur verum, per "mulieres" affectiones seu desideria ad verum, et per "septem" sanctum: quod non inventuri instructionem in genuinis veris et sic nutritionem spiritualem, significatur per quod dicent "Panem nostrum comedemus, et veste nostra induemus nos;" "panis" significat instructionem et nutritionem spiritualem, et "vestis" verum induens bonum; quod modo sit verum quod applicari possit, et per applicationem conjungi, significatur per "tantum modo nominetur nomèn tuum super nos:" et quia omne decus est ex affectione spirituali veri et inde conjunctione, et alioqui non decus, ideo dicitur "Collige" seu tolle "opprobrium nostrum." Apud *Jeremiam*,

"Revertere, virgo Israel, revertere ad urbes tuas [has]; quousque circumvagaberis....? quia creavit Jehovah novum in terra, femina circumdabit virum" (xxxi. 21, 22):

agitur hic de captivitate spirituali, in qua fuit ecclesia ante Domini adventum. Ecclesia dicitur in captivitate spirituali esse quando non verum et usque desideratur; in tali captivitate fuerunt gentes apud quas ecclesia instaurata est. "Revertere, virgo Israel, revertere ad urbes tuas," significat quod redituri sint ad vera doctrinae; "virgo Israel" est ecclesia, et "urbes ejus" sunt vera doctrinae: "quia creavit Jehovah novum in terra, femina circumdabit virum," significat quod instauranda sit nova ecclesia, in qua verum conjungetur suae affectioni; "creare novum in terra" est instaurare novum illud, "femina" est ecclesia quoad affectionem veri, "vir" est verum, et "circumdare" est conjungi. Apud *Esaiam*,

"Quasi mulierem desertam et afflictam spiritu vocavit te Jehovah, et mulierem juventutis, cum repudiata, dixit Deus tuus; momento parvo deserui te, sed cum miserationibus magnis recolligam te" (liv. 6, 7):

etiam hic per "mulierem desertam et afflictam spiritu" intelligitur ecclesia quae non in veris, sed usque in affectione seu desiderio ad illa; "mulier" est ecclesia, quae "deserta" dicitur cum non in veris, et "afflicta spiritu" cum in dolore ex affectione seu desiderio ad vera: per "mulierem juventutis" intelligitur Ecclesia Antiqua, quae fuit in veris ex affectione; et per "repudiatam" intelligitur Ecclesia Judaica, quae non in veris ex aliqua affectione spirituali: quod instauranda sit a Domino, et liberanda a captivitate spirituali, intelligitur per "Momento parvo deserui te, sed cum miserationibus magnis recolligam te."

[**b.**] Apud *Jeremiam*,

"Audite, mulieres, verbum Jehovae, et percipiat auris vestra verbum oris Ipsius, ut doceatis [1]filios vestros luctum, et mulier sociam suam lamentationem; quia ascendit mors per fenestras, venit in palatia nostra, ad exscindendum infantem e platea, et juvenem e vicis" (ix. 19, 20 [*B. A.* 20, 21]):

quod dicatur ad "mulieres" quod audirent et perciperent, est quia per illas significatur ecclesia ex affectione et receptione veri: per "[2]filios" quos mulieres docerent luctum, et per "sociam" quam mulier doceret lamentationem, significantur omnes qui ab ecclesia; per "[3]filios" qui in veris ecclesiae, per "sociam" quae in bono ejus, "luctus" et "lamentatio" significat propter vastatam ecclesiam quoad vera et quoad bonum: "mors ascendit per fenestras, venit in palatia nostra," significat quod falsum infernale intraverit in intellectum et inde in omnia cogitationis et affectionis; "fenestrae" significant intellectum, et "palatia" omnia cogitationis et affectionis: "ad exscindendum infantem e platea et juvenem e vicis," significat vastationem veri nascentis et veri nati; "infans in platea" est verum nascens, et "juvenis in vicis" est verum natum. Apud *Ezechielem*,

"Duae mulieres filiae unius matris, quae scortatae sunt in Aegypto, in adolescentia sua scortatae sunt;....nomen majoris natu Ohola, et nomen sororis ejus Oholiba,....et pepererunt filios et filias. .... Samaria est Ohola, et Hierosolyma est Oholiba" (xxiii. 2–4):

quoniam per "Samariam," metropolin Israelitarum, in

Verbo significatur ecclesia spiritualis, et per "Hierosolymam," metropolin Judaeorum, ecclesia caelestis, utraque quoad doctrinam, ideo vocantur "mulieres;" et quia utraque illa ecclesia unum agit, ideo dicuntur "filiae unius matris," "mater" enim etiam significat ecclesiam; et quoque "Ohola et Oholiba," seu "tentorium" seu "habitaculum" Dei, hoc enim significat caelum ubi Divinum Verum et Divinum Bonum, et inde quoque ecclesiam, quia ecclesia est caelum Domini in terris. Quod "scortatae sint in Aegypto in adolescentia sua" significat quod tunc in nullis veris fuerint, sed in falsis; non enim in Aegypto fuit illis Verbum; hoc per Mosen et prophetas postea illis datum est, et sic instituta est apud illos ecclesia: "scortari in Aegypto" significat falsificare vera per scientifica quae naturalis hominis; et falsificare vera ibi, est vertere sancta in magica, ut fecerunt Aegyptii; "filii et filiae" quos pepererunt, significant falsa et mala ecclesiae. Apud *Micham*,

> "Tunicam extrahitis a transeuntibus secure, reducibus belli: mulieres populi mei expellitis e domo deliciarum ejus" (ii. 8[, 9]):

"tunicam extrahere a transeuntibus secure, reducibus belli," significat deprivare veris omnes qui in veris sunt et pugnarunt contra falsa; "transeuntes secure" significant omnes qui in veris sunt, et "reduces belli" illos qui in tentationibus fuerunt et pugnarunt contra falsa: "mulieres populi expellere e domo deliciarum ejus" significat affectiones veri destruere, et sic amoena et felicia caeli; "mulieres populi" sunt affectiones veri, "domus deliciarum" significat amoena et felicia caeli, haec enim sunt affectiones boni et veri. Apud *Sachariam*,

> "Congregabo omnes gentes ad Hierosolymam in bellum, et capietur urbs, et [1]deripientur domus, et mulieres vim patientur" (xiv. 2):

per "omnes gentes" significantur mala et falsa omnis generis, per "Hierosolymam" ecclesia, per "urbem" doctrina, per "domum" omne sanctum ecclesiae, per "mulieres" affectiones veri; quod hae "vim patientur" significat quod vera pervertentur et inde affectiones veri periturae. Apud eundem,

> "In die illo crescet planctus in Hierosolyma,....et planget terra et singulae familiae seorsim; familia domus Davidis seorsim et mulieres

eorum seorsim; familia domus Nathanis seorsim et mulieres eorum seorsim; familia domus Levi seorsim et mulieres eorum seorsim; familia domus Schimeonis seorsim et mulieres eorum seorsim; omnes familiae reliquae, singulae familiae seorsim et mulieres eorum seorsim" (xii. 11–14):

quid per "Davidem" et ejus domum, tum quid per ["Nathanem,"] "Levin" ac "Schimeonem" et eorum domus significatur, supra in explicationibus ostensum est; quod nempe per "Davidem" Divinum Verum, per "Nathanem" doctrina veri, per "Levin" bonum charitatis, et per "Schimeonem" verum et bonum quoad perceptionem et obedientiam: quod dicatur quod "familiae plangent seorsim et mulieres seorsim," est quia per "familias" significantur vera ecclesiae, et per "mulieres" affectiones veri, quae "plangunt seorsim" quando verum plangit quod ei affectio non sit, et affectio quod ei verum non sit: haec dicta sunt de planctu super omnia et singula ecclesiae, quod vastata et destructa sint; omnia enim et singula ecclesiae significantur per "omnes reliquas familias," per quas intelliguntur tribus; quod per "duodecim tribus" significentur omnia ecclesiae in complexu, videatur supra (n. 430[*a,b*], 431): "Hierosolyma" significat ecclesiam et ejus doctrinam. Apud *Matthaeum*,

"Tunc duo erunt in agro, unus assumetur et alter derelinquetur; duae molentes in mola, una assumetur, et altera derelinquetur" (xxiv. 40, 41):

per "duos" intelliguntur viri, et per "duas" feminae, et per "viros" significantur qui in veris sunt, et per "feminas" qui in bono ex affectione veri; hic quoque per "viros" qui in falsis, et per "feminas" qui in malis ex affectione falsi; quia dicitur quod unus et una "assumentur" ac alter et altera "derelinquentur," hoc est, quod salvabuntur qui in veris ex affectione, et condemnabuntur qui in malis ex affectione: "ager" significat ecclesiam, "molere" significat comparare sibi vera doctrinae ex Verbo; et qui applicant illa ad bonum significantur per illos qui "assumentur," at qui applicant illa ad malum significantur per illos qui "derelinquentur." (Sed hoc explicatum videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 4334, 4335.) Apud *Mosen*,

"Fracturus sum vobis baculum panis, ut coquant decem mulieres panem vestrum in furno uno, et referant panem vestrum in pondere, et comedatis sed non satiemini" (*Levit.* xxvi. 26):

per haec in sensu spirituali intelligitur quod deficiet verum ex bono, quo spiritualiter nutriantur, "panis" enim significat omnem cibum spiritualem, quo homo ecclesiae nutritur; et per "mulieres" significantur qui ab ecclesia in affectione veri sunt: quod "decem mulieres coquent panem in furno uno" significat quod indagaturi verum quod conjungatur bono, sed quod non inventuri nisi perparum, "coquere" enim significat praeparare et conjungere ut serviat usui vitae: "referre panem in pondere" significat quod rarum sit; ac "comedere et non satiari" significat quia verum ex bono tam paucum et rarum est quod vix cessurum alicui nutritioni pro anima. Apud eundem,

> "Non erit vestis viri super muliere, neque induet vir vestem mulieris, nam abominatio Jehovae Dei tui quisquis faciens illa" (*Deutr.* xxii. 5):

per "virum" et ejus vestem significatur verum, ac per "mulierem" et ejus vestem significatur affectio veri; haec distincta sunt apud unumquemvis hominem sicut intellectus et voluntas, seu sicut cogitatio quae est intellectus et affectio quae est voluntatis; quae nisi distincta essent confunderentur sexus, et non daretur conjugium, in quo vir est verum quod cogitationis, et mulier affectio.

[*c.*] Quod uterque, vir et mulier, ita creati sint, ut duo sint et tamen unum, constat ex *Libro Geneseos*, in quo de creatione utriusque haec dicuntur,

> "Et creavit Deus hominem in imaginem Ipsius, in imaginem Dei creavit [1]illum, masculum et feminam creavit illos" (*Gen.* i. 27; cap. v. 2);

et postea,

> "Dixit homo, Hac vice os de ossibus meis, et caro de carne mea; propter hoc vocabitur uxor, quia ex viro sumpta est: propterea relinquet vir patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt in carnem unam" (*Gen.* ii. 23, 24; *Marc.* x. 6–9):

per "hominem" ibi intelligitur ecclesia in communi et in particulari; ecclesia in particulari est homo ecclesiae, seu homo in quo ecclesia: quod "Deus creaverit hominem in imaginem Ipsius" significat quod in imaginem caeli; per "Deum" enim, seu "Elohim," *in plurali*, significatur Divinum procedens quod facit caelum, et homo qui est ecclesia est caelum in minima forma, nam correspondet omnibus caeli (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 7–12, 51–58): per "mascu-

lum" significatur, hic ut supra, verum quod est intellectus, et per "feminam" bonum quod est voluntatis; quod uxor dicatur esse "os ex ossibus et caro ex carne" viri, significat quod bonum quod est "uxor" sit ex vero quod est "vir;" "os" significat verum antequam vivificatum est, hoc est, conjunctum bono, quale verum est verum memoriae apud hominem; et quia omne bonum formatur ex veris, dicitur "quia ex viro sumpta est:" quod "vir relinquet patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae," significat quod verum erit boni, et quod inde ambo fient unum bonum; hoc significatur per quod "erunt in carnem unam;" "caro" significat bonum, et quoque hominem. Sed haec quae nunc dicta sunt, non intrant intellectum hominis, nisi paucorum, nisi sciatur quod in binis capitibus primis *Geneseos* agatur de nova creatione seu de regeneratione hominum ecclesiae; in primo capite de regeneratione illorum, et in altero de intelligentia et sapientia illorum: ac per "masculum et feminam," seu per "virum et uxorem," intelligitur in spirituali sensu conjunctio veri et boni, quae conjugium caeleste vocatur, in quod conjugium venit homo cum regeneratur et fit ecclesia; et tunc homo regeneratus est et factus ecclesia quando in bono et inde veris est, quod intelligitur per quod "vir relinquet patrem et matrem, et adhaerebit uxori, et erunt in carnem unam." (Sed clarior adhuc idea de his haberi potest ex illis quae in *Doctrina Novae Hierosolymae* dicta sunt De Bono et Vero, n. 11–19; De Voluntate et Intellectu, n. 28–33; De Regeneratione, n. 173–182; tum de bono ex quo vera, n. 24.) Quoniam per "virum et mulierem" significatur conjunctio veri et boni, ideo

> Dixit Moses, cum vidit quod filii Israelis captivas sumpserint ex Midianitis hostibus suis, quod occiderent omnem mulierem quae cognoverat virum concubitu maris, at quod vivificarent illas feminas quae non cognoverunt (*Num.* xxxi. 16–18):

haec mandata sunt, quia "femina non conjuncta viro" significabat ecclesiam quoad affectionem ad verum seu ad conjunctionem cum vero, at "mulier conjuncta viro Midianitae" significabat bonum adulteratum; nam Midianitae repraesentabant et inde significabant verum quod non verum quia non ex bono, ita falsum: inde erat quod occiderentur mulieres quae cognoverunt virum, et vivificarentur quae non cognoverunt. Quod "mulieres Midianitides" significaverint conspurcationem boni per falsa, et inde bonum adulteratum et profanatum, quod est foedum adulterium,

constat ex illis quae de scortatione filiorum Israelis cum mulieribus Midianitarum (*Num.* cap. xxv.) memorantur. Qui non scit quod "mulier" significet affectionem veri spiritualem, tum qui non scit quod mala et falsa, quae unicuivis, sint in naturali homine et non aliqua in spirituali, non scire potest quid significant haec de muliere captiva, apud *Mosen*,

> "Si videris in captivitate mulierem pulchram forma" ex hostibus, "et desideraveris illam in uxorem, deduces eam in medium domus tuae, ubi tondebit caput suum, et faciet ungues suos, deinde removebit vestem capitivitatis suae desuper se,....et deflebit patrem suum et matrem suam mense dierum: postea intrabis ad illam, et cognosces illam, et erit tibi in uxorem" (*Deutr.* xxi. 11–13):

per "mulierem" significatur ecclesia quoad affectionem veri spiritualem, seu affectio veri spiritualis quae homini ecclesiae; sed per "mulierem captivam pulchram forma" significatur religiosum apud gentes quibus est desiderium seu affectio veri: quod "deducetur in medium domus, et ibi tondebit caput, faciet ungues, et postea removebit vestem captivitatis," significat quod ducetur in ecclesiae interiora seu spiritualia, et per illa rejiciet mala et falsa naturalis et sensualis hominis; "medium domus" significat interiora quae spiritualia, "capilli capitis" quos tondebit significant falsa et mala naturalis hominis, et "ungues" quos faciet falsa et mala sensualis hominis, et "vestis captivitatis" significat falsum religionis in quo sicut captivus tenetur qui ex affectione desiderat verum; haec et illa itaque rejiciet, quia sunt in naturali et sensuali homine, ut supra dictum est: quod "deflebit patrem et matrem mense dierum" significat quod oblivioni tradentur mala et falsa suae religionis: quod vir "postea intraret ad illam," "cognosceret illam," et quod "illa esset ei in uxorem," significat quod sic conjungi possit verum quod "vir" cum affectione ejus quae "uxor." Quare hoc statutum datum est, nemo scire potest nisi ex sensu spirituali sciat quid significat "mulier captiva ex hostibus," quid "medium seu intimum domus," quid significant "capilli," "ungues" et "vestes captivitatis," et nisi sciat aliquid de conjunctione veri et boni; nam super illa fundantur omnia praecepta in Verbo de conjugiis. Ecclesia quoad affectionem veri significatur etiam

Per mulierem circumdatam sole, parturientem, ad quam draco stetit cum peperit masculum; et quae postea fugit in desertum (*Apoc.* xii. 1 ad fin.):

quod ibi per "mulierem" significetur ecclesia, et per "masculum" quem peperit doctrina veri, videbitur in explicatione infra.

[***d.***] Quoniam per "mulierem" significatur ecclesia quoad affectionem veri ex bono, seu affectio veri ex bono quae homini ecclesiae, etiam in opposito sensu per "mulierem" significatur cupiditas falsi ex malo; pleraque enim in Verbo etiam opposita significant. Hoc per "mulierem" et per "mulieres" significatur in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

"Nonne tu vides quid illi facientes in urbibus Jehudae et in plateis Hierosolymae? Filii colligunt ligna, et patres accendunt ignem, et mulieres depsunt massam, ad faciendum placentas melecheth caelorum, simul ad libandum libamina diis aliis" (vii. 17, 18):

quid haec prophetica involvunt, non sciri potest, nisi sciatur quid significant "urbes Jehudae," "plateae Hierosolymae," quid "filii," "patres," "mulieres," et quid "colligere ligna," "accendere ignem," "depsere massam," quid "placentae," "melecheth caelorum," et "libamina." Dum scitur quid illa significant, et ea loco illorum assumuntur, resultat inde sensus spiritualis, quem illa prophetica involvunt. Per "urbes Jehudae" significantur doctrinalia ecclesiae; per "plateas Hierosolymae" vera illorum, hic falsa; "filii" sunt illi qui in veris doctrinae, hic qui in falsis, qui "colligere ligna" dicuntur cum comparant sibi falsa ex malis; "patres" sunt illi qui in bonis ecclesiae, hic qui in malis, qui "accendere ignem" dicuntur cum ex amore mali approbant et excitant; "mulieres" sunt affectiones veri ex bono, hic cupiditates falsi ex malo, quae "depsere massam" dicuntur cum doctrinam ex illis et secundum illa conflant: "ad faciendum placentas melecheth caelorum" significat ad colendum omnis generis mala infernalia; "facere placentas" est colere ex malis, "melecheth caelorum" sunt omnia mala in complexu, "melecheth" enim "caelorum" simile significat cum "exercitu caelorum:" "libare libamina diis aliis" significat colere ex falsis; "dii alii" sunt falsa infernalia, "Deus" enim in bono sensu significat Divinum Verum procedens, at "dii alii" falsa infer-

nalia, quae sunt falsa ex malo. Apud *Esaiam*,

"Quoad populum meum, exactores ejus, infantes et mulieres dominantur [1]illis; popule mi, ductores tui seducentes, et viam semitarum tuarum deleverunt" (iii. 12):

per "exactores," "infantes" et "mulieres," significantur illi qui vera violant, ignorant et pervertunt; per "exactores" qui vera violant, per "infantes" qui illa ignorant, et per "mulieres" cupiditates quae pervertunt: "ductores tui seducentes" significant illos qui docent: "viam semitarum delere" significat ut non sciatur verum ducens. Apud eundem,

"Quando exarescit messis...., confringentes, mulieres venientes incendent illam, non enim populus intelligentiarum ille" (xxvii. 11):

haec de vastata ecclesia; per "messem exarescentem" significantur vera boni deperdita per amores malos; per "mulieres" quae "incendent illam" significantur cupiditates falsi quae prorsus consumunt. Apud eundem,

"Mulieres securae consistite, audite vocem meam, [2]filii confidentes auribus percipite sermonem meum;....consumetur vindemia, collectio non veniet" (xxxii. 9, 10):

per "mulieres securas" significantur cupiditates quae sunt illis quibus nihil curae est quod ecclesia vastetur; per "[2]filios confidentes" significantur falsitates quae sunt illis quibus fiducia est in propria intelligentia; per "mulieres" et per "[2]filios" significantur omnes in ecclesia qui tales, sive viri sint sive feminae: per "vindemiam quae consumetur," et per "collectionem quae non veniet," significatur quod ecclesiae verum non erit amplius, simile enim per "vindemiam" significatur quod per "vinum," nempe verum ecclesiae; inde patet quid intelligitur per "collectionem" ejus. Apud *Ezechielem*,

"Vir justus....qui super montibus non comedit, et non oculos suos attollit ad idola domus Israelis, et uxorem socii non polluit, et ad mulierem menstruatam non accedit" (xviii. 5, 6):

describitur justus, quod sit qui non "super montibus comedit," per quod significatur cui non cultus ex amoribus infernalibus; nam "sacrificare super montibus," et "ex sacrificatis comedere," id significat: "qui non oculos attollit ad idola domus Israelis" significat cui non cultus ex falsis doctrinae; nam "idola" significant falsa doctrinae, "domus

Israelis" est ecclesia perversa ubi illa falsa: "qui uxorem socii non polluit" significat qui non adulterat bonum ecclesiae et Verbi: "qui ad mulierem menstruatam non accedit" significat qui non conspurcat vera per cupiditates falsi. In *Threnis*,

"Manus mulierum misericordium coxerunt liberos suos ut fierent in cibum illis, in confractionem filiae populi mei" ([1]iv. 10):

per haec significatur destructio veri et boni doctrinae ex Verbo per falsa, ac horum appropriatio, et inde vastatio ecclesiae; per "mulieres misericordes" significantur affectiones falsi sicut veri; per "coquere liberos" significatur per falsa destruere vera et bona doctrinae ex Verbo; per "fieri in cibum illis" significatur appropriare falsa; et per "confractionem filiae populi" significatur vastatio ecclesiae. Per "mulieres" etiam significantur cupiditates malae in *Apocalypsi* cap. xiv. 4; cap. xvii. 3 (de quibus infra in explicatione).

556[*a*]. ***"Et dentes illarum sicut leonum erant."***—Quod significet *quod sensualia quae sunt ultima vitae intellectualis sint illis apparenter sicut in potentia super omnia*, constat ex significatione "dentium," quod sint sensualia, quae sunt ultima vitae naturalis quoad intellectum (de qua sequitur); et ex significatione "leonum," quod sint vera ecclesiae quoad potentiam, hic autem falsa destruentia vera, ita quoque quoad potentiam (de qua supra, n. 278); quod hic sint falsa, est quia per "locustas" significantur sensuales corporei qui in falsis mali sunt. Quod appareant sibi in intellectu et inde in potentia super omnia, est quia ipsum persuasivum, de quo supra actum est, residet in sensuali quod est ultimum vitae naturalis; hoc enim, seu homo sensualis, est in confidentia sui et in fide quod prae omnibus sapiat, non enim expendere et explorare se potest, quia non interius cogitat; et cum id sibi persuadet, tunc in omnibus quae loquitur est illa confidentia et fides. Inde loquela, quia ex illis sonat, fascinat et infatuat mentes aliorum; sonus enim confidentiae et fidei talem effectum edit, quod imprimis se manifestat in mundo spirituali, ubi homo ex spiritu suo loquitur; nam affectio confidentiae sui, et inde fidei quod ita sit, est in spiritu hominis, et spiritus hominis ex affectione loquitur: aliter in mundo naturali; in hoc spiritus hominis per corpus sermocinatur, et

propter mundum producit talia quae non affectionis ejus spiritus sunt, quae raro propalat, ne sciatur qualis est: inde quoque est quod in mundo nesciatur quod detur persuasivum infatuans et suffocans, quale inest spiritui sensualis hominis, qui credit se prae aliis sapere. Ex his constare potest unde est quod per "dentes illarum sicut leonum" significetur quod sensuales homines appareant sibi sicut in intellectu et inde potentia esse super omnia. Quod "dentes" significent sensualia quae sunt ultima vitae naturalis quoad scientiam, constare potest ex correspondentia dentium (de qua in opere *De Caelo et Inferno*, n. 575; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 5565–5568). Quod "dentes" illa significent constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Davidem*,

"Anima mea in medio leonum cubo,....dentes eorum hasta et tela, et lingua eorum gladius acutus" (Ps. lvii. 5 [*B. A.* 4]):

per "leones" significantur qui per falsa destruunt vera ecclesiae; "dentes eorum" quae "hasta et tela," significant scientifica quae applicant ad confirmandum falsa et mala, et sic ad destruendum vera et bona ecclesiae; "lingua eorum gladius acutus" significat astuta ratiocinia ex falsis, quae vocantur "gladius acutus" quia "gladius" significat falsum destruens verum. Apud eundem,

"Deus, destrue dentes eorum in ore eorum; molares leonum juvenum [1]averte" (Ps. lviii. 7 [*B. A.* 6]):

"dentes in ore eorum" significant scientifica ex quibus falsa producunt; "molares leonum juvenum" significant vera Verbi falsificata, quae in se sunt falsa, per quae maxime destruere valent vera ecclesiae. Apud *Joelem*,

"Gens ascendit super terram meam, robusta et non numerus; dentes ejus dentes leonis, et molares leonis immanis illi; [2]redigit vitem meam in vastitatem, et ficum meam in spumam" (i. 6, 7):

per "gentem" quae "ascendit super terram" significatur malum devastans ecclesiam ("gens" est malum, et "terra" est ecclesia); "robusta et non numerus" significat potens et multiplex ("robustum" praedicatur de potentia mali, et "non numerus" de potentia falsi); "dentes ejus dentes leonis" significant falsa destruentia; "molares leonis immanis" significant falsificata; "[2]redigit vitem in vastitatem, et ficum in spumam," significat destruens vera spiri-

tualia et naturalia; vera spiritualia sunt illa quae sunt sensus spiritualis Verbi, et vera naturalia quae sunt sensus litterae ejus. (Videatur etiam supra, n. 403[*b*], ubi hoc explicatum est.) Per "dentes leonum" in his locis similia significantur quae per "dentes sicut leonum" hic in *Apocalypsi*. Per "dentes" proprie significantur illa quae solum memoriae insunt et inde depromuntur, nam illa quae insunt memoriae sensualis hominis correspondent ossibus et dentibus. Apud *Danielem*,

> Ascendit e mari "bestia secunda similis urso;....tres costae in ore ejus inter dentes ejus; cui dicebatur, Surge, comede carnem multam. ....Postea ascendit bestia quarta, terribilis et formidabilis et robusta valde, cui dentes ferri magni, comedit et contrivit, et reliquum pedibus conculcavit" (vii. 5, 7):

per "bestiam e mari" intelligitur amor dominii, cui inserviunt sancta pro mediis; et per "quatuor bestias" significantur incrementa ejus successiva: per "secundam hanc bestiam similem urso" significatur secundus status, quando dominium illud confirmatur per Verbum; qui id faciunt, etiam in mundo spirituali apparent similes ursis: "tres costae in ore inter dentes" significat omnia Verbi quae applicant, quae non intelligunt nisi secundum litteram; "tres costae" sunt omnia Verbi, "in ore" est quae applicant docendo, "inter dentes" est quae non intelligunt nisi quoad litteram, hoc est, qualiter homo sensualis: "cui dicebatur, Surge, comede carnem multam," significat quod multa applicarent, et per id genuinum sensum Verbi perderent: per "quartam bestiam ascendentem e mari, terribilem, formidabilem et robustam valde," significatur quartus et ultimus status, quando per sancta ut media stabiliverunt sibi dominium super caelum et terram; qui status, quia profanus et valens, dicitur "terribilis, formidabilis et robustus valde:" "cui dentes ferri magni" significat cui falsa e sensuali homine dura contra vera et bona ecclesiae: "comedit et contrivit" significat pervertit et destruxit: "et reliquum pedibus conculcavit" significat quae non pervertere et destruere poterant quod conspurcaverint et deleverint per mala amorum naturalium et corporeorum. (Reliqua de his bestiis videantur explicata supra, n. 316[*c*].) Apud *Mosen*,

> "Dentem bestiarum immittam in eos cum veneno reptilium terrae" (*Deutr.* xxxii. 24):

inter plura etiam hoc malum denuntiatum est populo Israelitico et Judaico, si non custodirent et facerent statuta et praecepta: per "dentem bestiarum" significantur falsa ex malis omnis generis, et per "venenum reptilium terrae" significantur illa necantia et prorsus exstinguentia vitam spiritualem; per "bestias" in Verbo significantur talia quae sunt naturalis hominis, et per "reptilia terrae" quae sunt sensualis hominis: haec et illa quando separata sunt a spirituali homine sunt mere falsa ex malis, quia solum talia quae sunt corporis cui adhaerent, et quae sunt mundi cui proxime exstant; et ex corpore et mundo est omnis caligo in spiritualibus. Apud *Davidem*,

> "Surge, Jehovah; serva me, Deus mi; quia percutis omnes hostes meos maxillam, dentes impiorum confringes" (Ps. iii. 8):

"percutere hostes maxillam" significat destruere falsa interiora apud illos qui contra bona et vera ecclesiae sunt; hi et eorum falsa mali in Verbo intelliguntur per "hostes:" et "confringere dentes impiorum" significat destruere falsa exteriora, quae sunt quae fundantur super fallaciis sensuum et per illas confirmantur.

[*b*.] Quoniam apud *Davidem* dicitur "percutere maxillam" et "confringere dentes," et per illa significatur destruere falsa interiora et exteriora, constare potest quid intelligitur per "impingere alapam in maxillam" apud *Matthaeum*,

> "Audivistis quod dictum sit, Oculum pro oculo, et dentem pro dente: Ego vero dico vobis, non resistendum esse malo; sed quicunque tibi impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obverte illi etiam alteram; et si quis velit te in jus trahere, et tunicam tuam auferre, permitte illi etiam pallium: quisquis te adegerit ad milliare unum, abito cum illo duo: omni a te petenti, dato; et cupienti mutuum accipere a te, ne averseris" (v. 38–42):

quod haec non secundum litteram intelligenda sint, cuivis patet; quis enim ex amore Christiano tenetur obvertere sinistram maxillam ei qui impingit alapam in dextram, et dare pallium ei qui auferre vult tunicam? verbo, quis est cui non licet resistere malo? Sed quia omnia quae Dominus locutus est, in se Divina caelestia fuerunt, constare potest quod sensus caelestis his verbis, sicut reliquis quae Dominus locutus est, insit. Quod apud filios Israelis illa lex fuerit quod darent "oculum pro oculo, dentem pro dente" (*Exod.*

xxi. 23, 24; *Levit.* xxiv. 20; *Deutr.* xix. 21), fuit causa, quia externi homines erant, et inde solum in repraesentativis caelestium, et non in ipsis caelestibus; inde nec in charitate, misericordia, patientia, et in aliquo bono spirituali: ideo erant in jure talionis; nam lex caelestis et inde lex Christiana est quam Dominus docuit apud *Evangelistas*,

> "Omnia quaecunque volueritis ut faciant vobis homines, sic et vos facite illis; haec est Lex et Prophetae" (*Matth.* vii. 12; *Luc.* vi. [1]31):

quia haec lex in caelo est, et ex caelo in ecclesia, inde etiam omne malum secum poenam correspondentem habet, quae poena mali vocatur, et inest sicut conjuncta malo; ex hoc fluit poena talionis, quae dictata fuit filiis Israelis, quia externi homines et non interni erant. Interni homines, ut sunt angeli caeli, non volunt retributionem mali pro malo, sed ex charitate caelesti condonant: sciunt enim quod Dominus tutetur omnes qui in bono sunt contra malos; et quod tutetur secundum bonum apud illos; et quod non tutaretur, si, ex malo quod sibi faciunt, accenderentur inimicitia, odio et vindicta, haec enim avertunt tutelam. Haec itaque sunt quae involvunt illa quae Dominus dixit; quid autem significant, ordine dicetur. "Oculus pro oculo, et dens pro dente," significat quantum aliquis alteri aufert intellectum veri et sensum veri, tantum illi auferrentur; per "oculum" significatur intellectus veri, et per "dentem" sensus veri, nam "dens" significat verum et falsum quale est sensuali homini; quod ille qui in bono Christiano est, permittet ut malus illa auferat quantum potest, describitur per illa quae Dominus de eadem re respondit: "non resistendum esse malo" significat non repugnandum nec retribuendum illi; angeli enim non pugnant cum malis, minus retribuunt malum pro malo; sed permittunt ut faciant, quia tuti sunt a Domino, et inde non aliquod malum ab inferno illis damnum potest inferre: "quicunque tibi impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obverte illi etiam alteram," significat, si quis damnum inferre vult perceptioni et intellectui veri interioris, ut permittatur quantum tentat; per "maxillam" significatur perceptio et intellectus veri interioris; per "maxillam dextram" affectio et inde perceptio ejus, et per "maxillam sinistram" intellectus ejus; et quia dicitur "maxilla," ideo etiam dicitur

"alapam infligere," per quod intelligitur damnum inferre; omnia enim quae oris sunt, prout guttur, os, labia, maxillae, dentes, significant talia quae perceptionis et intellectus veri sunt, quia illis correspondent; quare per illa in sensu litterae Verbi, qui ex meris correspondentiis consistit, exprimuntur: "si quis velit te in jus trahere, et tunicam auferre, permitte etiam pallium," significat si quis auferre vult verum interius quod apud te, ut liceat etiam auferre verum exterius; "tunica" significat verum interius, et "pallium" verum exterius; hoc quoque faciunt angeli quando apud malos sunt, mali enim nihil veri et boni possunt angelis auferre, sed possunt illis qui propterea flagrant inimicitia, odio et vindicta, nam haec mala avertunt et rejiciunt tutationem a Domino: "quisquis te adegerit ad milliare unum, abito cum illo duo," significat qui vult abducere a vero ad falsum et a bono ad malum, ut non obstet, quia non potest; per "milliare" simile significatur quod per "viam," nempe id quod abducit et ducit: "omni a te petenti, dato" significat ut permittatur: "et cupienti mutuum accipere a te, ne averseris," significat si desiderat instrui, ut instruat; nam mali hoc desiderant ut pervertant et deprivent, sed usque non possunt. Hic est sensus spiritualis illorum verborum, in quibus recondita latent quae nunc dicta sunt, quae imprimis sunt pro angelis, qui Verbum modo secundum sensum ejus spiritualem percipiunt; sunt etiam pro hominibus in mundo qui in bono sunt, quando mali illos tentant seducere. Quod tales sint mali contra illos quos Dominus tutatur, ex pluri experientia scire datum est; continuo enim ac omni modo et nisu allaborarunt me deprivare veris et bonis, sed incassum. Ex allatis etiam aliquantum constare potest quod per "dentem" significetur verum aut falsum in sensuali, quod est ultimum vitae intellectualis apud hominem; quod id per "dentem" significetur, patet a responso Domini, in quo agitur de perceptione et intellectu veri, quae mali intentant bonis auferre.

[*c.*] Quod per "dentes" illa significentur, adhuc constare potest a sequentibus:—Apud *Jeremiam*,

"In diebus illis non dicent amplius, Patres comederunt labruscam, ac dentes filiorum hebetati sunt: sed quisque in iniquitate sua morietur; omni homini qui comederit labruscam, hebetabuntur dentes" (xxxi. 29, 30; *Ezech.* xviii. 2–4):

quod hoc involvat quod filii ac posteri non luent poenam propter mala parentum, sed quod quisque propter suum malum, patet; per "comedere labruscam" significatur appropriare sibi falsum mali, "labrusca" enim, quae est uva amara et mala, significat falsum mali, et "comedere" significat appropriare sibi; et per "hebetari dentes" significatur in falso mali inde esse, "dentes" enim hic ut supra significant falsa in ultimis seu in sensuali homine, in quo imprimis latent mala parentum, quae hereditaria vocantur, apud liberos, et "hebetari" significat appropriationem falsi ex malo: homo enim propter hereditaria mala non punitur, sed propter sua, et quoque si hereditaria facit actualia apud se; quare dicitur quod "quisque in iniquitate sua morietur, et omni homini qui comederit labruscam, hebetabuntur dentes." Apud *Hiobum*,

"Abominantur me omnes homines,....cuti meae et carni meae adhaeret os meum, evasi cum cute dentium meorum" (xix. 19, 20):

per haec in sensu litterae intelligitur quod tam macilentus et macer factus sit; sed in spirituali sensu significatur quod tentationes suppresserint interiora mentis ejus, ut sensualis factus sit, et modo cogitet in extremis; at usque non falsa sed vera: hoc significatur per "Evasi cum cute dentium meorum," nam "dentes" absque cute significant falsa, ast cum cute non falsa, quia usque aliqualiter vestiti. Apud *Amos*,

"Ego dedi vobis vacuitatem dentium in omnibus urbibus vestris, et defectum panis in omnibus locis vestris" (iv. 6):

"vacuitas dentium in urbibus" pro penuria veri in doctrinis, et "defectus panis in [omnibus] locis" pro penuria boni ex illis in vita. Apud *Sachariam*,

"Removebo sanguines ejus ex ore ejus, et abominationes ejus ab inter dentes ejus" (ix. 7):

haec de Tyro et Sidone, per quas significantur cognitiones veri et boni, hic illae falsificatae; per "sanguines ex ore" significantur falsificationes cognitionum veri; et per "abominationes ab inter dentes" significantur adulterationes cognitionum boni; cognitiones boni sunt etiam vera, nam cognoscere bona fit ex intellectu, ac intellectus est veri. Apud *Davidem*,

"Aquae submersissent nos, ... aquae superbi transivissent super animam nostram; benedictus Jehovah, qui non tradidit nos rapinam dentibus eorum" (Ps. cxxiv. 4-6):

per "aquas" quae submersissent, significantur falsa quae inundant et quasi submergunt hominem dum in tentationibus est; quare dicitur, "Benedictus Jehovah qui non tradidit nos rapinam dentibus eorum," hoc est, infernis quae per falsa destruunt vera, ita falsis destruentibus. Apud *Hiobum*,

"Confregi molares iniqui, et e dentibus ejus eripui praedam" (xxix. 17):

haec Hiobus de se; quod pugnaverit contra falsa et vicerit illa, significatur per "Confregi molares iniqui;" "molares" significant scientifica ex Verbi sensu litterae applicata ad confirmandum falsa, per quae destruunt vera; et quod liberaverit alios a falsis instruendo, significatur per "E dentibus ejus eripui praedam." Quoniam "dentes" significant falsa in extremis, inde per "frendere dentibus" significatur ex falsis cum vehementia et ira pugnare contra vera, in sequentibus locis:—Apud *Hiobum*,

"Ira ejus discerpit, et odio habet me, frendet contra me dentibus suis hostis meus; acuit oculos suos contra me" (xvi. 9);

apud *Davidem*,

"Congregantur contra me claudi quos non novi, distorquent nec tacent, ... frendent contra me dentibus suis" (Ps. xxxv. 15, 16);

apud eundem,

"Meditatur malum impius justo, et frendet super eo dentibus suis" (Ps. xxxvii. 12);

apud eundem,

"Impius videbit et succensebit, dentibus suis frendet et [1]colliquescet" (Ps. cxii. 10);

apud *Micham*,

"Contra prophetas seducentes populum . . . ., qui mordent dentibus suis" (iii. 5);

in *Threnis*,

"Aperuerunt contra te," filia Hierosolymae, "os suum omnes hostes tui, exsibilarunt, frenduerunt dente" (ii. 16);

apud *Marcum*,

Quidam dixit ad Jesum, "Attuli filium meum ad Te, habentem spiritum [2]mutum; et ubicunque illum apprehendit, lacerat illum; spumat et stridet dentibus, et exarescit: dixi discipulis tuis ut illum eji-

cerent, sed non potuerunt." Et Jesus dixit ad illum, "Spiritus mute et surde, Ego tibi mando, exi ex illo, et non amplius ingredere in illum" (ix. 17, 18, 25).

Qui non scit sensum Verbi spiritualem autumare potest quod dictum sit quod "frenderent dentibus" solum quia irati fuerunt et malum intentarunt, ex causa quia tunc comprimunt dentes; sed quod "frenderent dentibus" dictum est quia intelligitur conatus et actus destruendi vera per falsa; hoc dicitur in Verbo quia "dentes" significant falsa in extremis, et "frendor" vehementiam pugnandi pro illis; conatus et actus ille est quoque ex correspondentia. Talis quoque fuit spiritus surdus et mutus quem Dominus ejecit: omnes enim spiritus sunt ex humano genere; ille fuit ex illo genere hominum qui vehementer pugnaverat pro falsis contra vera; inde est quod obsessus ab illo "spumaverit et frenduerit dentibus;" qui a Domino "surdus et mutus" vocatur, quia non voluit percipere et intelligere verum, "surdi" enim et "muti" illos significant: et quia obnixus et obstinatus contra vera fuerat, et in falsis se confirmaverat, non potuit ille spiritus a discipulis ejici; nam falsa pro quibus pugnaverat, ab illis nondum potuerunt discuti, non enim adhuc tales fuerunt; quare etiam discipuli propterea a Domino increpati sunt. Quod spiritus talis fuerit, et obsessus ab illo non talis, significatur per quod "spiritus ille laceraret illum," et quod "obsessus exaresceret," et quod Dominus dixerit ad spiritum quod "non amplius ingrederetur in illum." Ex his etiam constare potest quid significatur per

"Stridorem dentium" (*Matth.* viii. 12: cap. xiii. 42, 50; cap. xxii. 13; cap. xxiv. 51; cap. xxv. 30: *Luc.* xiii. 28).

Per "stridorem dentium" in infernis intelligitur continua disceptatio et pugna falsorum inter se et contra vera, proinde illorum qui in falsis sunt, conjuncta cum contemptu aliorum, inimicitia, irrisione, subsannatione, blasphematione; quae quoque erumpunt in dilaniationes, quisque enim pro suo falso ex amore sui, eruditionis et famae pugnat. Hae disceptationes et pugnae extra illa inferna audiuntur sicut stridores dentium, et quoque in stridores dentium vertuntur cum vera e caelo illuc influunt. (Sed de hac re videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, n. 575.) Ex eo quod dentes apud malos correspondent falsis quae eis sunt in ultimis

vitae intellectualis, quae sensualia corporea vocantur, ideo spiritus qui tales sunt apparent deformi facie, cujus multam partem faciunt dentes; qui exstant late sicut crates in diducto rictu, et hoc quia talis rictus dentium correspondet amori et cupiditati pugnandi pro falsis contra vera. Quoniam dentes correspondent ultimis vitae intellectualis hominis, quae sensualia vocantur, et haec sunt in falsis mali quando separata sunt a veris interioris intellectus, quae spiritualia vocantur, at iidem correspondent veris boni in sensuali quando non separata, inde est quod "dentes" in Verbo etiam significent vera ultima

(Ut apud *Hiobum*, cap. xix. 19, 20; et apud *Amos*, cap. iv. 6; quae supra explicata videantur).

Et quoniam Dominus totum Humanum suum glorificavit, hoc est, Divinum fecit, ideo de Ipso dicitur apud *Mosen*,

"Ruber oculis a vino, et albus dentibus a lacte" (*Gen.* xlix. 12):

per "ruber oculis a vino" significatur quod Intellectuale Ipsius fuerit Divinum Verum ex Divino Bono; et per "albus dentibus a lacte" significatur quod Sensuale Ipsius similiter fuerit Divinum Verum ex Divino Bono, nam per "Schiloh" ibi [vers. 10], intelligitur Dominus. Quia dentes correspondent ultimis vitae intellectualis, quae sensualia vocantur, ideo spiritus boni et angeli aeque gaudent dentibus sicut homines; sed apud illos correspondent veris in sensuali ultimo, sensuale enim apud illos non separatum est a veris interioris intellectus quae spiritualia vocantur.

557. [*Vers.* 9.] ***"Et habebant thoraces sicut thoraces ferreos."***—Quod significet *persuasiones quibus se accingunt ad pugnas, contra quas vera rationalis spiritualis hominis non valent*, constat ex significatione "thoracum" seu "loricarum," quod sint tutationes contra mala et falsa in pugnis; hic autem tutationes malorum et falsorum contra bona et vera, quia agitur de illis qui in falsis mali contra vera sunt. Quod sint *persuasiones* quae hic per "thoraces" significantur, est quia sensuales homines qui in falsis mali sunt, qui hic describuntur, non pugnant ex ratione contra vera, non enim vident vera sed solum falsa; inde in persuasione sunt quod falsa sint vera; quare ex persuasione falsi solum

pugnant, et persuasio falsi apud illos talis est ut vera, quae rationalis spiritualis homo producit, non valeant; repelluntur enim sicut ensis a thorace seu lorica: ideo per "thoraces sicut thoraces ferrei" significantur persuasiones contra quas vera non valent. Quod persuasivum quod apud illos est, sit infatuans et suffocans, usque adeo ut rationale spirituale contra illud non valeat, videatur supra (n. 544, 549, 556[a]). Praeterea thoraces seu loricae tegunt partem pectoralem seu thoracicam corporis, per quam significatur affectio veri spiritualis; etiam omnis affectio inest sono, qui una cum loquela e pectore emittitur: illis autem, qui hic per "locustas" significantur, qui sunt homines sensuales qui in falsis, non alia affectio est quam affectio amoris sui; quae quia plena est confidentia sui et plena persuasione quod falsum eorum sit verum, et quia haec inest sono qui una cum loquela e pectore emittitur, ideo apparuerunt locustae "in thoracibus qui sicut thoraces ferrei:" "ferrum" etiam significat verum in ultimis, et quoque falsum ibi, ac simul durum; et persuasivum, quod illis est, facit ut falsum sit ita durum ut vera contra illud resiliant sicut forent nullius rei et valoris. Quia talis est persuasio sensualium hominum qui in falsis sunt ex confidentia sui, et illa apud spiritus tam potens est ut rationale aliorum spirituum, cum quibus sermo est, suffocet et exstinguat, ideo in mundo spirituum severe prohibita est; et qui illa utuntur, mittuntur inter spiritus ubi usque ad deliquium ab aliis spiritibus per persuasiones adhuc fortiores vexantur, et hoc usque dum desistunt. Quoniam thoraces seu loricae in usu fuerunt in bellis, et induere illas significabat accingere se ad bellum et sic pugnare, ideo in Verbo dicuntur "induti loricis" qui accincti erant ad pugnandum:—Ut apud *Jeremiam*,

"Alligate equos, et ascendite equites, et sistite vos in galeis, expolite lanceas, induite loricam" (xlvi. 4):

per haec verba non intelligitur pugna unius exercitus contra alterum, sed pugna rationalis spiritualis hominis contra naturalem hominem qui ex scientificis false applicatis contra vera et bona pugnat: haec enim dicta sunt de exercitu Pharaonis regis Aegypti, quem percussit rex Babelis; et per "Pharaonem regem Aegypti" intelligitur naturalis

ille homo, et per "regem Babelis," juxta Euphratem, intelligitur rationalis spiritualis homo; quare per "Alligate equos, ascendite equites, sistite vos in galeis, expolite lanceas, et induite loricam," significantur talia quae sunt pugnae rationalis spiritualis hominis contra naturalem hominem qui in falsis: "equi" sunt illa quae intellectus sunt; "currus," cui alligarentur, illa quae doctrinae; "equites" sunt intelligentes; "galeae" sunt quae rationis; "lanceae" sunt vera pugnantia; et "lorica" est vis et robur pugnandi et resistendi: causa quod "lorica" id sit, est quia cingit pectus, et ex pectore per brachia est omne robur pugnandi et resistendi. Apud eundem,

> "Contra" Babelem "tendat, tendat tendens arcum suum, contra extollet se in lorica sua" (li. 3):

etiam hic "lorica" pro vi pugnandi et resistendi. Apud *Esaiam*,

> "Induit justitiam sicut loricam, et galeam salutis super caput suum" (lix. 17):

ibi de Domino, et de subjugatione infernorum ab Ipso; et per "justitiam sicut loricam" significatur zelus vindicandi fideles ab inferno, et Divinus amor salvandi genus humanum; et quia zelus ex Divino Amore, et inde robur, fuit ex quo pugnavit et vicit, ideo justitia vocatur "lorica:" per "galeam salutis" autem significatur Divinum Verum ex Divino Bono, per quod salus; nam "galea" simile significat cum "capite," quia caput illa induitur; quod "caput," cum de Domino, significet Divinum Verum et Divinam Sapientiam, videbitur in sequentibus.

558. ***"Et vox alarum illarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum."***—Quod significet *ratiocinationes sicut ex veris doctrinae ex Verbo intellectis, pro quibus ardenter pugnandum*, constat ex significatione "vocis alarum," quod sint ratiocinationes (de qua sequitur); ex significatione "vocis curruum," quod sint doctrinalia seu vera doctrinae ex Verbo (de qua etiam sequitur); ex significatione "equorum," quod sint intellectus Verbi (de qua supra, n. 355, 364, 372[*a*], 373, 381, 382); et ex significatione "currere ad bellum," quod sit ardor pugnandi; nam "bellum" significat pugnam spiritualem, et "currere" ardorem ad illam. Ex his constare potest quod "vox alarum illarum sicut vox curruum equo-

rum multorum currentium in bellum," significet ratiocinationes sicut ex veris doctrinae ex Verbo intellectis, pro quibus ardenter pugnandum est. Ut haec intelligantur, dicendum est quod pugnae spirituales, quae sunt pro veris contra falsa, fiant ex Verbo, et confirmentur per series argumentorum et conclusionum, per quas mens illustrata plene convincitur; hoc itaque est quod significatur per "vocem alarum sicut vocem curruum equorum multorum currentium in bellum." Ratiocinationes sensualis hominis ex falsis et pro falsis plane similes apparent ratiocinationibus spiritualis hominis, in externa forma, sed prorsus dissimiles sunt in interna; non enim illis aliquae series argumentationum et conclusionum sunt, sed solum persuasiones ex scientificis sensualibus (quae quales sunt in sequente articulo dicetur), quibus mens infatuatur sed non convincitur. (Quod "alae" significent vera spiritualia, et inde "vox alarum" ventilationes ex illis, proinde ratiocinationes, ac in supremo sensu Divinum Spirituale quod est Divinum Verum, videatur supra, n. 283. Quod autem "currus" significent doctrinalia seu vera doctrinae, ostensum est supra, n. 355, ubi actum est de significatione "equi," quod sit intellectuale, et ubi agitur de Verbo, quod sit intellectus Verbi.)

559. [*Vers.* 10.] ***"Et habebant caudas similes scorpiis."***—Quod significet *scientifica sensualia quae persuasiva*, constat ex significatione "caudarum," quod sint scientifica sensualia, de qua sequitur; et ex significatione scorpiorum, quod sint persuasiva infatuantia et suffocantia (de qua supra, n. 544); inde "caudae similes scorpiis" significant scientifica sensualia quae persuasiva. Quod "caudae" significent scientifica sensualia, est quia caudae, quae exporrectae exstant apud animalia terrae, sunt continuationes spinae dorsi quae medulla spinalis vocatur, et haec est continuatio cerebri, ac per "cerebrum" significatur intelligentia et sapientia similiter ac per "caput," ex causa quia intelligentia et sapientia ibi in suis principiis resident; et quia caudae sunt ultima ejus, ideo per illas significantur scientifica sensualia, haec enim sunt ultima intelligentiae et sapientiae. Scientifica sensualia sunt illa scientifica quae ex mundo per quinque sensus corporis intrant, et inde in se spectata sunt prae interioribus materialia, corporea et mundana. Omnes illi qui in amore sui sunt, et se confirmaverunt contra Divina et spiritualia, sensuales homines sunt; et cum sibi relicti in spiritu suo cogitant, de Divinis et spiritualibus ex scienti-

ficis sensualibus cogitant; et inde Divina et spiritualia rejiciunt sicut non credenda, quia illa non oculis vident et manibus tangunt; et scientifica sua, quae sensualia et materialia fecerunt, applicant ad destruenda illa. Sint pro exemplo, ex illo genere eruditi, qui physica, anatomica, hortulana, et plura quae eruditionis humanae sunt, norunt; cum vident mirabilia in regno animali et in regno vegetabili, dicunt corde quod illa omnia sint ex Natura, et non a Divino, et hoc ex causa quia non credunt nisi quae oculis vident et manibus tangunt; non enim possunt elevare mentes suas sursum, et sic videre illa e luce caeli, haec enim lux illis est caligo; sed detinent mentes in terrestribus, similiter paene sicut animalia terrae, cum quibus etiam ipsi se comparant. Verbo, sunt apud tales omnes scientiae factae sensuales; qualis enim ipse homo est, talia sunt omnia quae intellectus et voluntatis ejus sunt: si homo spiritualis est, fiunt omnia spiritualia; si homo modo naturalis est, fiunt omnia naturalia et non spiritualia; si homo sensualis est, fiunt omnia sensualia; et hoc utcunque apparuerint coram mundo eruditi et docti. Sed quia unicuivis homini est facultas intelligendi vera et percipiendi bona, possunt illi ex ea facultate illa loqui sicut rationales spirituales, sed usque sunt sensuales quoad spiritum; nam talis, cum coram mundo loquitur, non ex spiritu sed ex memoria corporis loquitur. Haec allata sunt ut sciatur quid sunt scientifica sensualia. Quod haec maxime persuadeant, seu maxime persuasiva sint, est quia ultima intellectus sunt; intellectus enim in illa ut in sua ultima desinit, quae captant vulgus, quia sunt apparentiae ex talibus quae in mundo vident per oculos; et quamdiu cogitatio illis inhaeret, mens non potest disponi ad cogitandum interius aut supra illa, priusquam remota sunt; nam interiora quae mentis sunt, omnia desinunt in ultima, ac illis innituntur sicut domus suo fundamento: quapropter maxime persuadent, sed solum illis quorum mens non elevari potest super sensualia; et mens supra illa elevatur apud illos qui in luce caeli sunt a Domino, et lux caeli discutit illa. Inde spirituales homines raro ex sensualibus cogitant, cogitant enim ex rationalibus et intellectualibus; at sensuales homines, qui confirmaverunt se in falsis contra Divina et spiritualia, dum sibi relicti sunt, non cogitant nisi ex sensualibus.

Quod "caudae" significent scientifica sensualia, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Exscindet Jehovah ex Israele caput et caudam, ramum et juncum.... ; senex et honoratus caput [ille], propheta autem doctor mendacii cauda est [ille]" (ix. 13, 14 [*B. A.* 14, 15]):

per haec intelligitur quod peritura sit omnis intelligentia et sapientia, et quod omnis scientia veri: per "caput" significatur intelligentia et sapientia; quare dicitur "senex et honoratus caput," "senex" enim significat intelligentiam veri, et "honoratus" sapientiam boni: per "caudam" autem significatur scientificum sensuale, quod est ultimum intelligentiae et sapientiae; hoc quando non conjunctum est cum intelligentia spirituali, fit scientificum falsum, seu scientificum applicatum ad confirmandum falsa, quod est scientificum sensuale, quale est sensuali homini qui nihil ex intellectu videt: inde est quod "propheta qui docet mendacium" dicatur "cauda," per "prophetam" enim significatur doctrina veri, et inde scientia veri; hic autem doctrina et scientia falsi, nam "mendacium" significat falsum, et "doctor mendacii" illum qui docet falsum applicando scientifica ex sensu litterae Verbi ad confirmandum falsa. Apud eundem,

> "Non erit Aegypto opus quod faciat caput et caudam, ramum et juncum" (xix. 15):

per "Aegyptum" significatur scientia tam spiritualium quam naturalium; quod "non ei opus quod faciat caput et caudam" significat quod non ei spiritualia, nec naturalia quae confirmant spiritualia; "caput" significat ibi cognitiones spiritualium per quas intelligentia, et "cauda" scientifica naturalia quae inserviunt spiritualibus pro intelligentia; similia per "ramum et juncum" significantur, per "ramum" verum spirituale, et per "juncum" scientificum sensuale, quod verum ultimum: si enim prius et posterius, seu primum et ultimum, non faciunt unum apud hominem, tunc non ei est "caput et cauda." Apud *Mosen*,

> "Ita dabit Jehovah te in caput, et non in caudam; ut sis tantum sursum, non autem sis deorsum, quando obediveris praeceptis [Jehovae,] Dei tui" (*Deutr.* xxviii. 13):

"dare in caput" est facere spiritualem et intelligentem, ut elevetur e luce mundi in lucem caeli; et "dare in cau-

dam" est facere sensualem et stultum, ut non spectet ad caelum sed ad mundum; quare dicitur "ut sis tantum sursum, non autem deorsum:" "esse sursum" est elevari a Domino ut spectet ad caelum, et "esse deorsum" est non elevari a Domino, sed ex se; et ex se spectat homo solum ad mundum: interiora enim hominis, quae ejus cogitationis et affectionis sunt, sursum ad caelum elevantur a Domino cum homo est in bono vitae et inde in veris doctrinae; si autem est in malo vitae et inde in falsis, tunc inferiora ejus spectant deorsum, ita solum ad suum corpus et ad illa quae in mundo sunt, et sic ad infernum: inde exuit naturam vere humanam, et induit naturam ferinam; nam ferae spectant deorsum, et solum ad illa quae in mundo et super terra obvia sunt. Elevatio in lucem caeli a Domino est actualis elevatio interiorum hominis ad Dominum; et depressio seu dejectio ad illa quae infra et extra oculos sunt, est actualis interiorum depressio et dejectio; et cum haec est, tunc omnis cogitatio spiritus ejus est immersa sensuali ultimo. Apud eundem,

> "Peregrinus, qui in medio tui est, ascendet supra te sursum magis magisque, tu vero descendes deorsum magis magisque: ille mutuo tibi dabit, tu vero non dabis mutuo illi; ille erit in caput, tu autem eris in caudam" (*Deutr.* xxviii. 43, 44):

similiter haec intelligenda sunt; per "esse in caput" significatur esse spiritualis et intelligens, et per "esse in caudam" est esse sensualis et stultus; quare etiam dicitur, quod "ille dabit mutuo tibi, et non tu illi," per quod significatur quod ille docebit te vera, non autem tu illum. Apud *Esaiam*,

> "Dic ad eum, Cave tibi et quietus esto, ne time, et cor tuum [ne] mollescat propter duas caudas titionum fumantium, propter excandescentiam Rezini et Syriae ac filii Remaliae" (vii. 4):

per "Rezinum et Syriam" significatur rationale perversum, et per "filium Remaliae" regem Israelis, qui etiam "Ephraim" vocatur, intellectuale perversum; intellectuale quod "rex Israelis" et "Ephraim" significat, est quoad Verbum; et rationale quod "Rezinus" et "Syria" significant, est quoad scientias quae confirmant; nam homini, ut intellectus Verbi ei sit, erit etiam ei rationale; haec duo cum perversa sunt, spectant modo deorsum ad terram, et extrorsum ad

mundum, ut faciunt sensuales qui in falsis mali sunt; ideo vocantur "caudae:" "titio fumans" significat concupiscentiam falsi, et inde excandescentiam contra vera et bona ecclesiae. Apud *Mosen*,

> "Dixit Jehovah ad Mosen, Mitte manum tuam et prehende caudam serpentis; et misit manum suam et prehendit eum, et factus est in baculum in vola ejus" (*Exod.* iv. 3, 4):

quod hic quoque per "caudam" intelligatur sensuale quod est naturalis ultimum, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 6951–6955). Quoniam per "caudas" significantur ultima intelligentiae et sapientiae, quae sunt scientifica sensualia, et quoniam omnes processus circa sacrificia significabant Divina caelestia et spiritualia, ideo etiam

> Mandatum fuit ut caudam juxta spinam dorsi removerent, et quoque illam, cum reliquis quae memorantur, sacrificarent (*Levit.* iii. 9; cap. viii. 25; cap. ix. 19: *Exod.* xxix. 22).

(Quod holocausta et sacrificia significaverint Divina caelestia et spiritualia, quae sunt interna ecclesiae, ex quibus cultus, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 2180, 2805, 2807, 2830, 3519, 6905, 8936.) Quia per "caudas" significantur scientifica sensualia, quae dum separata sunt ab interioribus quae sunt spiritualia, proinde cum non cum interioribus spectant introrsum et sursum sed extrorsum et deorsum, significant falsa confirmata per scientifica, ideo etiam in sequentibus in *Apocalypsi*, ubi agitur de falsis ex illa origine, dicitur

> Quod caudae equorum, qui visi in visione, essent similes serpentibus, habentes capita quibus laedunt (cap. ix. 19);

et postea,

> Quod draco cauda sua traxerit tertiam partem stellarum caeli, et projecerit in terram (*Apoc.* xii. 3[, 4])

(quae infra explicata videantur).

560. *"Et aculei erant in caudis illarum."*—Quod significet *astutias fallendi per illa*, constat ex significatione "aculeorum," quod sint astutiae et calliditates ad persuadendum falsa; quare sequitur quod inesset eis potestas laedendi homines, qui enim astute et callide fallit, is maxime laedit: quod essent "in caudis," est quia sunt scientifica sensualiter percepta, per quae fallunt, tam per scientifica ex Verbo, quam per scientifica e mundo, ex quibus eruditio humana; per scientifica e Verbo, per quod id secundum litteram sensualiter explicant, et non secundum sensum

ejus interiorem; per scientifica e mundo, per quod per illa confirmant. Sciendum est quod sensuales homines astuti et callidi sint prae aliis, proinde ad acute fallendum; nam sicut intelligentia et prudentia est illis qui spirituales homines sunt, ita malitia et astutia est illis qui sensuales et in falsis sunt; causa est, quia in malo residet omnis malitia, et in bono residet omnis intelligentia. Creditur in mundo quod illi qui astuti et callidi sunt, etiam prudentes et intelligentes sint; sed astutia et malitia non est prudentia et intelligentia, verum in se spectata est insania et stultitia: removent enim se a felicitate aeterna, et se conjiciunt in infelicitatem aeternam, quod non prudentis et intelligentis est, sed insani et stulti. Praeterea omnia quae sunt sapientiae caelestis et angelicae, in densa caligine apud illos sunt; et ubi illa sapientia est caligo, ibi est stultitia. Quod sensuales homines astuti et callidi sint, constare potest ex illis qui in inferno sunt, ubi omnes mere naturales et sensuales sunt; quibus tanta astutia et calliditas est ut vix ab aliquo possit credi; de qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 576–581), ubi actum est de malitia et artibus nefandis spirituum infernalium. Quod "aculei" significent astutias, constare potest absque confirmatione e Verbo, quoniam in communi sermone astutiae in loquelis, quibus alios fallunt, vocantur "aculei," et ipse sermo dicitur "acutus." In specie autem per "aculeos" significantur falsa interiora, quae sunt quae non discuti possunt, quia ex scientificis et fallaciis sensuum: quod illa falsa per "aculeos" significentur, constare potest ex repraesentativis in mundo spirituali; ibi falsa interiora repraesentantur variis modis per acuta, sicut per mucrones ensium, per spicula, et per aculeata in variis formis, et hoc quando intendunt laedere; ex qua causa etiam vetitum est talia ibi sistere in conspectum, nam spiritus ex illis visis in furorem laedendi veniunt. Haec falsa etiam per "aculeos" significantur apud *Amos*,

"Ecce dies venient super vos, quibus extrahent vos aculeis, et posteritatem vestram hamis piscationis" (iv. 2):

"extrahere aculeis" significat abducere a veris per scientifica ex Verbo et e mundo false applicata; et "extrahere hamis piscationis" significat per fallacias sensuum, ex qui-

bus homo sensualis ratiocinatur. Et apud *Mosen*,

> "Si non expuleritis habitatores terrae coram vobis, erunt, quos residuos feceritis, in spinas in oculis vestris, et in aculeos lateribus vestris" (*Num.* xxxiii. 55):

per "habitatores terrae," quos expellerent, significantur mala et falsa religionis et doctrinae; gentes enim terrae Canaanis in sensu abstracto illa significabant; inde quod "futuri in spinas in oculis vestris" significat quod maligna falsa damnum illatura sint veris ecclesiae; "in aculeos lateribus vestris" significat quod maligna falsa damnum illatura sint bonis ecclesiae; per "oculos" in Verbo significatur intellectus veri, et per "latera" significantur illa quae charitatis sunt, ita bona.

561. ***"Et potestas illarum laedere homines mensibus quinque."***—Quod significet *quod stuporem inducerent intellectui veri et perceptioni boni quamdiu in illo statu sunt*, constat ex significatione "laedere," quod sit damno afficere, hic stuporem inducere (de qua sequitur); ex significatione "hominum," quod sint intelligentes veri et percipientes boni, et abstracte intellectus veri et perceptio boni, quia homo est homo ex illis (de qua supra, n. 546); et ex significatione "mensium quinque," quod sit quamdiu in illo statu sunt (de qua etiam supra, n. 548). Quod "laedere" hic significet stuporem inducere, est quia supra dicitur quod "caudae illarum essent similes scorpiis," et per "scorpios" significatur persuasivum infatuans et suffocans, ita quoque stuporem inducens; nam, ut supra de persuasivo illo dictum est, est id apud spiritus tale ut rationale et intellectuale obstupescat, proinde quod stupor inducatur.

562. [*Vers.* 11.] ***"Et habebant super se regem, angelum abyssi."***—Quod significet *quod influxum reciperent ab inferno, ubi illi qui in falsis mali sunt, et mere sensuales*, constat ex significatione "regis," quod sit verum ex bono, et in opposito sensu, ut hic, falsum ex malo (de qua supra, n. 31); et ex significatione "angeli abyssi," quod sit infernum ubi falsa mali sunt; per "angelum" enim non intelligitur unus angelus, sed significatur infernum ubi tales sunt; quod per "angelum" in Verbo intelligantur integrae societates angelicae quae in simili bono sunt, videatur supra (n. 90, 302, 307); inde etiam per "angelum" in opposito sensu significantur societates infernales quae in simili malo: quod

sint inferna ubi sunt illi qui in falsis mali sunt, et qui sunt mere sensuales, est quia dicitur "angelus abyssi," et per "abyssum" significatur infernum ubi sunt illi (videatur supra, n. 583), et quia hoc dicitur de "locustis," per quas significantur homines qui facti mere sensuales per falsa infernalia (videatur supra, n. 543). Quod "habere supra se regem" illum significet et influxum recipere inde, est quia omnia mala et inde falsa ab inferno sunt; et quia omnes qui in malis et inde falsis sunt, ex infernis reguntur et ducuntur; quapropter infernum est illis sicut rex, qui dominatur super illos, et cui obedientiam praestant: hoc quia fit ex influxu, quando in mundo vivunt, et effluxus inde ducit, inde per "habere super se regem" significatur influxum recipere.

563. ***"Nomen ei Hebraice Abaddon, et in Graeca nomen habet Apollyon."***—Quod significet *quale ejus, quod sit perdens omne verum et bonum*, constat ex significatione "[1]nominis," quod sit quale status et quale rei (de qua supra, n. 148); et ex significatione "Abaddon" in lingua Hebraica, quod sit perditio, similiter "Apollyon" in lingua Graeca; proinde perditio veri et boni, quia de illis agitur. Quod sensuale hominis, quod est ultimum vitae intellectualis ejus, sit perdens omne verum et bonum spirituale, quod est verum et bonum ecclesiae, est quia illud sensuale proxime exstat mundo, et proxime adhaeret corpori; unde ei ex utroque sunt affectiones et inde cogitationes, quae in se spectatae e diametro sunt contra affectiones et inde cogitationes spirituales, quae e caelo sunt: nam homo ex sensuali illo amat se et mundum super omnia; et quantum hi amores dominantur, tantum dominantur mala et inde falsa, quae ex illis ut ex suis originibus scaturiunt et effluunt. In illis amoribus sunt omnes qui mere sensuales per mala vitae et inde falsa facti sunt. Haec quisque potest ex intellectus facultate, quae cuivis est, videre; si enim dominatur illud quod proxime exstat mundo et proxime adhaeret corpori, sequitur quod ipse mundus et ipsum corpus cum omnibus eorum voluptatibus et concupiscentiis, quae vocantur "oculi et carnis," dominentur; et quod homo omnino abducendus et elevandus sit ab his sensualibus, ut in spirituales affectiones et inde cogitationes venire possit. Haec abductio et elevatio fit a solo Do-

mino, quando homo patitur se duci a Domino per leges ordinis, quae sunt vera et bona ecclesiae, ad Ipsum et sic ad caelum: et cum hoc fit, homo relinquit ultimum hoc sensuale, quoties in statu spirituali est, et elevatus supra illud tenetur; et hoc quoque ex causa, quia hoc sensuale est prorsus deperditum apud homines; in eo enim est cujusvis proprium, in quod nascitur, quod in se non est nisi quam malum. Ex his constare potest unde est quod id sensuale dicatur "perditio," seu "Abaddon" et "Apollyon." Sciendum est quod tres gradus vitae apud unumquemvis hominem sint, intimus, medius et ultimus; et quod homo eo perfectior fiat, hoc est, sapientior, quo interior fit, ex causa quia eo interius in lucem caeli venit; et quod homo eo imperfectior fiat, hoc est, minus sapiens, quo exterior fit, ex causa quia a luce caeli eo propius ad lucem mundi venit. Inde constare potest qualis est mere sensualis homo, qui nihil videt ex luce caeli sed solum ex luce mundi; quod nempe ei in luce et splendore sint omnia quae mundi sunt, ac in tenebris et caligine sint omnia quae caeli; et quando haec in tenebris et caligine sunt, et illa in luce et splendore, sequitur quod non alius ignis vitae et amor sit qui accendit et ducit, quam amor sui et inde amor omnium malorum; et quod non alia lux vitae sit quae cogitationis visum stringit et instruit, quam quae favet malis quae amat, et haec sunt falsa mali. Ex his etiam videri potest qualis est mere sensualis homo, de quo huc usque in hoc capite actum est.

564. [*Vers.* 12.] ***"Vae unum praeteriit, ecce veniunt adhuc duo vae post haec."***—Quod significet *lamentationem unam super devastatione ecclesiae, et quod lamentatio super ulteriore devastatione ejus sequatur*, constat ex significatione "vae," quod sit lamentatio super malis et inde falsis quae devastant ecclesiam (de qua supra, n. [1]531).

VERSUS 13–19.

565. ***"Et sextus angelus clanxit, et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod coram Deo, dicentem sexto angelo qui habebat tubam, Solve quatuor angelos vinctos ad flumen magnum Euphratem. Et soluti sunt quatuor angeli, qui parati in horam et diem et mensem et annum, ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus exercituum equitatus, duae myriades myriadum; et audivi numerum illorum. Et ita vidi equos in visione, et sedentes super illis, habentes thoraces igneos et hyacinthinos et sulphureos; et capita equorum sicut capita leonum; et ex oribus illorum exivit ignis et fumus et sulphur. A tribus his occisa est tertia pars hominum, ex igne et ex fumo et ex sulphure exeunte ex***

oribus illorum. Nam potestas illorum in ore illorum erat, nam caudae illorum similes serpentibus, habentes capita, et in his laedunt."

13. ***"Et sextus angelus clanxit,"*** significat *influxum e caelo manifestantem statum ecclesiae in fine ejus, quod plane perversus sit* [n. 566]; ***"et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod coram Deo,"*** significat *revelationem a Domino e caelo spirituali* [n. 567].

14. ***"Dicentem sexto angelo qui habebat tubam,"*** significat *de perverso statu ecclesiae in ipso fine ejus* [n. 568]; ***"Solve quatuor angelos vinctos ad flumen magnum Euphratem,"*** significat *ratiocinationes ex fallaciis quae sensuali homini, non receptas prius* [n. 569].

15. ***"Et soluti sunt quatuor angeli,"*** significat *licentiam ratiocinandi ex fallaciis* [n. 570]; ***"qui parati in horam et diem et mensem et annum,"*** significat *continue in statu* [n. 571]; ***"ut occiderent tertiam partem hominum,"*** significat *deprivandi se omni intellectu veri, et inde vita spirituali* [n. 572].

16. ***"Et numerus exercituum equitatus, duae myriades myriadum,"*** significat *falsa mali, ex quibus et pro quibus ratiocinationes, innumerabilia conspirantia contra vera boni* [n. 573]; ***"et audivi numerum illorum,"*** significat *perceptum quale* [n. 574].

17. ***"Et ita vidi equos in visione, et sedentes super illis,"*** significat *falsificationes Verbi per ratiocinationes ex fallaciis* [n. 575]; ***"habentes thoraces igneos et hyacinthinos et sulphureos,"*** significat [*ratiocinationes*] *pugnantes ex cupiditatibus amoris sui et amoris mundi, et ex falsitatibus inde* [n. 576]; ***"et capita equorum sicut capita leonum,"*** significat *scientiam et inde cogitationem destructivam veri* [n. 577]; ***"et ex oribus illorum exivit ignis et fumus et sulphur,"*** significat *cogitata et inde ratiocinia scaturientia ex amore mali, ex amore falsi, et ex concupiscentia destruendi vera et bona per falsa mali* [n. 578].

18. ***"Ex tribus his occisa est tertia pars hominum, ex igne et ex fumo et ex sulphure exeunte ex oribus illorum,"*** significat *quod omnis intellectus veri et inde vita spiritualis ex illis exstincta sit* [n. 579].

19. ***"Nam potestas illorum in ore illorum erat,"*** significat *cogitationes sensuales et inde ratiocinationes, quod illis maxime valerent* [n. 580]; ***"nam caudae illorum similes serpentibus, habentes capita,"*** significat *quod ex scientificis sensualibus, quae fallaciae, astute ratiocinentur* [n. 581]; ***"et in his laedunt,"*** significat *quod sic pervertant vera et bona ecclesiae* [n. 582].

566. [*Vers.* 13.] ***"Et sextus angelus clanxit."***—Quod significet *influxum e caelo manifestantem statum ecclesiae in fine ejus, quod plane perversus sit,* constat ex significatione "clangere tuba," quod sit influxus e caelo, e quo mutationes in inferioribus, per quas manifestatur qualis est status ecclesiae (de qua supra, n. 502); hic qualis est in fine ejus, quia "sextus angelus" clanxit: successivae enim mutationes status ecclesiae describuntur per septem angelos qui tubis clanxerunt; hic mutatio ejus circa finem per sextum angelum clangentem, nam ipse finis, qui est dum ultimum judicium instat, describitur per clangorem septimi angeli;

et quia in fine est status ecclesiae plane perversus, ideo etiam hoc per illa verba significatur.

567. ***"Et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod coram Deo."***—Quod significet *revelationem a Domino e caelo spirituali*, constat ex significatione "audire vocem," quod sit revelatio, quia sequitur quid per illam vocem revelatum est; ex significatione "altaris aurei quod coram Deo," quod sit Divinum spirituale (de qua sequitur); et ex significatione "quatuor cornuum ejus," quod sit Divinum spirituale in suis ultimis: nam cornua erant in ultimis utriusque altaris, tam altaris holocausti quam altaris suffimenti quod est altare aureum; et quia cornua erant ultima altarium illorum, ideo significabant Divinum quoad potentiam, nam in ultimis est omnis potentia; inde est quod "cornua altarium" significaverint Divinum quoad omnipotentiam (de qua illorum significatione videatur supra, n. 316[*d*]). Quod "altare holocausti" significaverit Divinum caeleste, quod est Divinum Bonum, videatur supra (n. 391[*a–f*], 490, 496); quod autem "altare suffimenti" seu "altare aureum" repraesentaverit et inde significaverit Divinum spirituale, quod est Divinum Verum procedens a Domino, constat ex descriptione ejus, de qua infra. Hic primum dicetur unde erat quod vox audita sit "e quatuor cornibus altaris." "Cornua," quae ex altaribus supra dictis ultimo prodibant et exstabant, significabant omnia illorum quoad potentiam, ut constare potest ex illis quae supra (n. 346, 417[*a*]) ostensa sunt, et quoque ex illis quae de ultimis dicta et ostensa sunt in *Arcanis Caelestibus;* ut quod interiora successive influant in externa, usque in extrema seu ultima, et quod ibi etiam existant et subsistant (n. 634, 6239, 6465, [1]9215, 9216): quod non modo successive influant, sed etiam forment in ultimo simultaneum (quo ordine, n. 5897, 6451, 8603, 10099): quod inde in ultimis sit robur et potentia (n. 9836): et quod inde in ultimis responsa et revelata (n. 9905, 10548). Quoniam ex ultimis fiunt responsa et revelata, patet causa cur "audita est vox ex quatuor cornibus altaris aurei," nempe quia "altare aureum" significat Divinum spirituale, quod est Divinum Verum quod revelat, et quia "cornua" significant ultima ejus, per quae revelatio. Quod "altare aureum," super quo fiebant suffitus, significet Divinum spirituale, quod est Divinum Verum procedens a Domino, est quia

"suffitus," qui super illo altari fiebant, significabant cultum ex bono spirituali, ac auditionem et receptionem ejus a Domino (de qua re videatur supra, n. 324[*b*], 491, 492, 494). Quod "altare suffimenti" significaverit Divinum spirituale, et quod "suffitiones" super illo significaverint cultum ex bono spirituali, ac auditionem et receptionem gratam ejus a Domino, constare potest a constructione illius altaris, in qua singula repraesentabant et significabant illa. Describitur constructio ejus ita apud *Mosen*,

> "Facies altare suffitionis suffimenti; ex lignis schittim facies illud; cubitus longitudo ejus, et cubitus latitudo ejus; quadratum erit, et duo cubiti altitudo ejus; ex illo cornua ejus. Et obduces illud auro puro, tectum ejus, parietes ejus circumcirca, et cornua ejus, et facies ei limbum auri circumcirca: et duos annulos facies ei desub limbo ejus, super duabus costis ejus, facies super duobus lateribus ejus, et erit ad receptacula vectibus, ad portandum illud in illis. Et facies vectes ex lignis schittim, et obduces illos auro. Et dabis illud ante velum, quod super arca testimonii, ante propitiatorium quod super testimonio, quo conveniam te ibi. Et suffiet super illo Aharon suffimentum aromatum in mane, in mane; in adornando lucernas suffiet illud; et in ascendere faciendo Aharon lucernas inter vesperas suffiet illud; suffimentum juge coram Jehovah in generationes vestras. Non ascendere facietis super illo suffimentum alienum, et holocaustum et mincham, et libamen non libabitis super eo. Et expiabit Aharon super cornibus ejus semel in anno de sanguine peccati expiationum; semel in anno expiabit super illo in generationes vestras: sanctum sanctorum hoc Jehovae" (*Exod.* xxx. 1–10):

quod singula haec de altari illo in sensu interno significent cultum ex bono spirituali, quod est bonum charitatis erga proximum, ut et auditionem et receptionem gratam a Domino, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 10176–10213), ubi illa in serie explicata sunt.

568. [*Vers.* 14.] ***"Dicentem sexto angelo qui habebat tubam."***—Quod significet *de perverso statu ecclesiae in ipso fine ejus*, constat ex significatione "dicere," quod sint illa quae e caelo revelata sunt, et quae nunc sequuntur; et ex significatione "sexti angeli habentis tubam," quod sit de perverso statu ecclesiae in ipso fine ejus. (Quod haec per "sextum angelum clangentem" significentur, constare potest ex illis quae mox supra, n. 566, dicta sunt.)

569[*a*.] ***"Solve quatuor angelos vinctos ad flumen magnum Euphratem."***—Quod significet *ratiocinationes ex fallaciis quae sensuali homini, non receptas prius*, constat ex significatione "angelorum ad flumen Euphratem," quod sint ratiocinationes ex fallaciis quae sensuali homini (de qua se-

quitur); et quia ratiocinationes ex fallaciis non prius in ecclesia receptae fuerunt, ideo angeli illi dicuntur "vincti" ad flumen illud; et dicuntur "quatuor" ex conjunctione falsi cum malo, nam hic numerus in Verbo significat conjunctionem boni et veri, et in opposito sensu, ut hic, conjunctionem mali et falsi (videatur supra, n. 283[a], 384, 532). In praecedentibus actum est de sensuali homine qui in falsis mali est, et de effectu persuasionum in quibus sensualis homo est; quare in nunc sequentibus agitur de ratiocinatione ex sensuali: et quia sensuale modo ratiocinatur ex talibus quae in mundo coram sensibus exstant, ratiocinatur ex fallaciis, quae vocantur fallaciae sensuum, cum de spiritualibus, hoc est, de rebus caeli et ecclesiae; ideo dicitur ratiocinatio ex fallaciis quae sensuali homini: sed de fallaciis illis, et de ratiocinatione ex illis, plura in sequentibus dicentur. Agitur hic de statu ecclesiae in ipso fine ejus, qui status est quando homines ecclesiae sensuales facti ratiocinantur ex fallaciis sensuum, et cum ex illis ratiocinantur de rebus caeli et ecclesiae, tunc plane nihil credunt quia nihil intelligunt. Notum est in ecclesia quod naturalis homo non percipiat illa quae caeli sunt, nisi Dominus influat et illustret, quod fit per spiritualem hominem; minus adhuc sensualis homo, quia is est ultimus naturalis, cui illa quae caeli sunt, quae vocantur spiritualia, prorsus in caligine sunt. Genuina ratiocinia de spiritualibus existunt ex influxu caeli in spiritualem hominem, et inde per rationalem in scientias et cognitiones quae sunt in naturali homine, per quas spiritualis homo se confirmat; haec via ratiocinandi de spiritualibus est secundum ordinem. Ratiocinationes autem de spiritualibus quae fiunt ex naturali homine, et plus quae fiunt ex sensuali homine, sunt prorsus contra ordinem; nam naturalis homo, et minus sensualis homo, non potest influere in spiritualem, et ex se aliquid ibi videre, quoniam non datur influxus physicus; sed spiritualis homo potest influere in naturalem, et inde in sensualem, quoniam datur influxus spiritualis. (Sed de hac re videantur plura in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 51, 277, 278.) Ex his videri potest quid per haec, quae nunc sequuntur, intelligitur, nempe quod in ipso fine ecclesiae homo de spiritualibus, seu de rebus caeli et ecclesiae, loquatur et ratiocinetur ex sensuali corporeo, et

sic ex fallaciis sensuum; consequenter quod tametsi homo tunc loquitur pro Divinis, usque non cogitet pro illis; nam homo potest ex corpore suo aliter loqui quam in spiritu suo cogitat: et spiritus qui ex sensuali corporeo cogitat, non aliter potest quam contra Divina cogitare, at usque potest ex sensuali corporeo loqui pro Divinis, et hoc praecipue ex causa quia Divina sunt ei pro mediis ad honores et ad lucra. Sunt etiam cuivis homini binae memoriae, nempe memoria naturalis et memoria spiritualis; homo ex utraque potest cogitare, ex memoria naturali quando loquitur in mundo cum hominibus, ex memoria autem spirituali quando ex spiritu; et homo raro loquitur ex spiritu cum alio, sed modo secum, quod est cogitare. Illi qui sensuales homines sunt, non possunt aliter ex spiritu suo secum loqui seu cogitare quam pro Natura, proinde pro corporeis et mundanis; quia [sensualis homo] cogitat ex sensuali et non ex spirituali, immo prorsus nescit quid spirituale, quia apud se occlusit mentem spiritualem in quam caelum ex sua luce influit. Sed accedamus ad explicationem verborum horum, quod "audita sit vox ex cornibus altaris aurei, dicens sexto angelo ut solveret quatuor angelos vinctos ad flumen Euphratem." Per "flumen Euphratem" significatur rationale, et inde quoque ratiocinatio; causa quod id flumen illud significet, est quia distinguit Assyriam a terra Canaane, et per "Assyriam" seu "Aschurem" significatur rationale, et per "terram Canaanem" spirituale. Erant tres fluvii qui erant termini terrae Canaanis, praeter mare; nempe fluvius Aegypti, fluvius Euphrates, et fluvius Jordanes; per "fluvium Aegypti" significabatur scientia naturalis hominis, per "flumen Euphratem" significabatur rationale quod est apud hominem ex scientiis et cognitionibus, et per "fluvium Jordanem" significabatur introitus in ecclesiam internam seu spiritualem; nam per "regiones extra Jordanem," ubi tribus Reubenis et Gadis, ac dimidia tribus Menassis sortitae sunt hereditates, significabatur ecclesia externa seu naturalis; et quia ille fluvius erat inter illas regiones et terram Canaanem, et dedit transitum, ideo per illum significabatur introitus ab ecclesia externa quae naturalis in ecclesiam internam quae spiritualis. Haec erat causa quod ibi instituta fuerit baptizatio; baptizatio enim reprae-

sentabat regenerationem hominis, per quam homo naturalis introducitur in ecclesiam, et fit spiritualis. Ex his constare potest quid tres illi fluvii in Verbo significant. Omnia etiam illa quae extra terram Canaanem fuerunt, significabant talia quae sunt naturalis hominis; at illa quae intra terram Canaanem significabant talia quae sunt spiritualis, ita quae sunt caeli et ecclesiae. Bini itaque fluvii, nempe "fluvius Aegypti" seu Nilus, ac "fluvius Assyriae" seu Euphrates, significabant terminationes ecclesiae, et quoque introductiones in ecclesiam. Cognitiones etiam, et scientiae, quae significantur per "fluvium Aegypti," introducunt, nam absque cognitionibus et scientiis non potest aliquis introduci in ecclesiam, nec potest percipere illa quae ecclesiae sunt; nam spiritualis homo per rationalem videt spiritualia sua in scientiis, sicut homo se in speculo, et in illis agnoscit se, hoc est, sua vera et bona; praeter quod confirmet sua spiritualia per cognitiones et scientifica, tam quae ex Verbo quam quae ex mundo novit. "Fluvius" autem "Assyriae," seu Euphrates, significabat rationale, quia homo per rationale introducitur in ecclesiam: per rationale intelligitur cogitatio naturalis hominis ex cognitionibus et scientiis; nam homo qui imbutus est scientiis potest res in serie videre, a primis et mediis ultimum, quod vocatur conclusum; proinde analytice disponere, versare, separare, conjungere, et tandem concludere res, usque ad finem ulteriorem et tandem ad ultimum, qui est usus quem amat: hoc itaque est rationale, quod unicuivis homini datur secundum usus qui sunt fines quos amat. Quia rationale cuivis secundum usus qui sunt amoris fit, ideo id est cogitatio interior naturalis hominis ex influxu lucis caeli; et quia homo per cogitationem rationalem introducitur in cogitationem spiritualem, et fit ecclesia, ideo per illum fluvium significatur [1]naturale introducens. Aliud est rationalis esse, et aliud spiritualis esse; omnis homo spiritualis est etiam rationalis, sed homo rationalis non semper est spiritualis; causa est quia rationale est in naturali homine, hoc est, cogitatio ejus; at spirituale est supra rationale, ac per rationale transit in naturale in ejus memoriae cognitiones et scientifica. At sciendum est quod rationale non introducat aliquem in spirituale, sed quod modo dicatur quia

sic apparet; spirituale enim influit in naturale medio rationali, et sic introducit: spirituale enim est Divinum influens, est enim lux caeli, quae est Divinum Verum procedens; et haec per mentem superiorem, quae vocatur mens spiritualis, influit in mentem inferiorem, quae vocatur mens naturalis, et hanc sibi conjungit, et per conjunctionem illam facit ut mens naturalis unum faciat cum mente spirituali; ita fit introductio. Quoniam contra Divinum ordinem est ut homo per rationale suum intret in spirituale, ideo in mundo spirituali angeli custodes sunt ne hoc fiat. Inde patet quid significatur per "quatuor angelos vinctos ad flumen Euphratem," et dein quid per "solutionem" illorum; per "angelos vinctos ad flumen Euphratem" significatur custodia ne naturale hominis intret in spiritualia quae caeli et ecclesiae sunt, inde enim non nisi quam errores et haereses, et tandem negatio. In mundo spirituali etiam sunt viae quae ducunt ad infernum et quae ducunt ad caelum; tum quae ducunt a spiritualibus ad naturalia, et inde ad sensualia; et quoque in viis sunt custodes ne contrario modo vadant, quoniam inde lapsus in haereses et errores, ut dictum est. Custodes illi ponuntur a Domino in principio dum ecclesia instauratur, et quoque conservantur, ne homo ecclesiae ex sua ratione aut ex suo intellectu inferat se in Divina quae sunt Verbi et inde ecclesiae: at in fine, quando homines ecclesiae non amplius spirituales sunt, sed naturales, et multi mere sensuales, et sic cum apud hominem ecclesiae non datur via ex spirituali homine in naturalem, tunc removentur illi custodes, et aperiuntur viae; quibus apertis contrario ordine vadunt, quod fit per ratiocinationes ex fallaciis: [1]inde fit quod homo ecclesiae pro Divinis ore loquatur, at contra Divina corde cogitet; seu pro Divinis ex corpore, et contra Divina ex spiritu; hunc enim effectum habet ratiocinatio de Divinis ex naturali et sensuali homine. Ex his nunc constare potest quid significatur per "quatuor angelos vinctos ad flumen Euphratem," et quid per quod "soluti fuerint."

[*b*.] Quod "flumen Euphrates" significet rationale, per quod via est a spirituali homine in naturalem, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Mosen*,

"Pepigit Johovah cum Abrahamo foedus, dicendo, Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem" (*Gen.* xv. 18):

per haec in sensu litterae describitur extensio terrae Canaanis, sed in sensu interno describitur extensio ecclesiae a primo ejus termino ad ultimum; primus ejus terminus est scientificum quod est naturalis hominis, alter terminus est rationale quod est cogitationis: illud, nempe scientificum quod est naturalis hominis, significatur per "fluvium Aegypti" Nilum; et rationale quod est cogitationis, per "fluvium Assyriae" Euphratem; ad illa duo extendit se ecclesia spiritualis, quae per "terram Canaanem" significatur, similiter mens spiritualis quae apud hominem ecclesiae. Utrumque tam scientificum quam rationale est in naturali homine, cujus unus finis est scientificum et cognitivum, et alter finis est intuitivum et cogitativum; in hos fines influit homo spiritualis dum in hominem naturalem; conjunctio Domini per illa cum ecclesia significatur per "foedus" quod Jehovah pepigit cum [1]Abrahamo. Sed haec per illa verba significantur in sensu interno; at in sensu supremo per illa intelligitur unio Divinae Essentiae cum Humana Domini; secundum illum sensum explicata sunt illa verba in *Arcanis Caelestibus* (n. 1863–[2]1866). Apud *Sachariam*,

"Dominari Ipsius a mari usque ad mare, et a flumine usque ad fines terrae" (ix. 10; similiter apud *Davidem*, Ps. lxxii. 8);

quae dicta sunt de Domino, ac de Ipsius dominio super caelum et terram; ac per "dominium a mari usque ad mare" significatur extensio naturalium, et per "dominium a flumine usque ad fines terrae" significatur extensio rationalium et spiritualium (videatur etiam supra, n. 518[*c*]). Apud *Mosen*,

"Terram Cananaei et Libanum usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem, vide, dedi coram vobis terram, intrate et hereditario possidete illam" (*Deutr.* i. 7, 8);

apud eundem,

"Omnis locus quem calcabit planta pedis vestri vobis erit, a deserto et Libano, a fluvio, fluvio Euphrate, et usque ad mare postremum erit terminus vester" (*Deutr.* xi. 24);

et apud *Josuam*,

"A deserto et Libano hoc usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem, universa terra Chittaeorum, et usque ad mare magnum, occasum solis, erit terminus vester" (i. 4):

in his locis extensio ecclesiae ab uno fine ad alterum describitur; unus ejus finis qui est cognitivum et scientificum per "Libanum" et "mare," et alter finis qui est intuitivum et cogitativum significatur per "fluvium Euphratem:" extensio terrae Canaanis est extensio ecclesiae, nam per "terram Canaanem" in Verbo significatur ecclesia: quod bis dicatur "fluvius," nempe "fluvius magnus, fluvius Euphrates," est quia per "fluvium magnum" intelligitur influxus spiritualium in rationalia, et per "fluvium Euphratem" influxus rationalium in naturalia, ita per utrumque influxus spiritualium per rationale in naturalia. Apud *Micham*,

"Dies hic quo usque ad te venient inde ab Aschure et ad urbes Aegypti, et inde ab Aegypto usque ad fluvium, et ad mare a mari, et a monte ad montem" (vii. 12):

per haec describitur instauratio ecclesiae apud gentes a Domino; "dies hic" significat adventum Domini; extensio ecclesiae ab uno fine ad alterum apud illos significatur per quod "venturi ab Aschure ad urbes Aegypti, et ab Aegypto ad fluvium;" extensio veri ab uno fine ad alterum significatur per "ad mare a mari;" et extensio boni per "a monte ad montem." Apud *Davidem*,

"Vitem ex Aegypto proficisci fecisti, expulisti gentes, et plantasti illam; ....emisisti propagines ejus usque ad mare, et ad fluvium ramusculos ejus" (Ps. lxxx. 9, 12 [*B. A.* 8, 11]):

per "vitem" [1]quam Deus proficisci fecit "ex Aegypto" intelliguntur filii Israelis, et significatur ecclesia, nam "vitis" significat ecclesiam spiritualem; illam etiam significant "filii Israelis:" et quia ecclesia vocatur "vitis," ideo dicitur "Plantasti eam, emisisti propagines ejus usque ad mare, et ad fluvium ramusculos ejus," per quae describitur extensio spiritualium ecclesiae; "mare" est unus eorum finis, et "fluvius," per quem intelligitur Euphrates, alter illorum finis. Per "Euphratem"

Qui erat quartus fluvius exiens ex Edene (*Gen.* ii. 14),

etiam significatur rationale, nam per "hortum in Edene" seu paradisum significatur sapientia; quid per tres reliquos

fluvios significatur, videatur explicatum in *Arcanis Caelestibus* (n. 107–121).

[c.] Quoniam per "fluvium Euphratem" significatur rationale, ideo in opposito sensu per illum significatur ratiocinatio; per ratiocinationem hic intelligitur cogitatio et argumentatio ex fallaciis et ex falsis; at per rationale, cogitatio et argumentatio ex scientiis et ex veris: omne enim rationale excolitur per scientias, et formatur per vera; quare is vocatur rationalis homo qui ducitur a veris, seu quem vera ducunt; at homo non rationalis datur ratiocinans, per varia enim ratiocinia confirmare potest falsa, et quoque inducere simplicibus credere illa, quod praecipue fit per fallacias sensuum, de quibus infra. Haec ratiocinatio per "fluvium Euphratem" significatur in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Quid tibi cum via Aegypti, ut bibas aquas Schichoris? et quid tibi cum via Assyriae, ut bibas aquas fluvii?" (ii. 18:)

per haec significatur quod non investiganda sint spiritualia per scientifica naturalis hominis nec per ratiocinia inde, sed per Verbum, ita e caelo a Domino; qui enim in affectione et inde cogitatione spirituali sunt, illi vident scientifica naturalis hominis ac ratiocinia inde sicut infra se, at ex his videre spiritualia nemo potest; ex alto possunt prospici inferiora undequaque, et non vice versa: investigare spiritualia per scientifica naturalis hominis significatur per "Quid tibi cum via Aegypti, ut bibas aquas Schichoris?" et per ratiocinia inde, significatur per "Quid tibi cum via Assyriae, ut bibas aquas fluvii?" "Aegyptus" et ejus flumen significant scientifica naturalis hominis, et "Assyria" et ejus fluvius significant ratiocinia ex illis. Apud *Esaiam*,

> "In die illo detondebit Dominus per novaculam mercenariam in transitibus fluvii, per regem Aschuris, caput et pilos pedum, etiamque barbam consumet" (vii. 20):

haec de statu ecclesiae in fine ejus, quando venturus Dominus; quod tunc ratiocinia ex falsis deprivatura sint homines ecclesiae omni sapientia ac intelligentia spirituali, describitur per illa verba; ratiocinia per quae, significantur per "regem Aschuris in transitibus fluvii," nempe Euphratis: deprivatio sapientiae et intelligentiae spiritualis inde, sig-

nificatur per quod "per novaculam mercenariam detondentur pili capitis et pedum, et consumetur barba;" per "pilos" enim significantur naturalia in quae operantur spiritualia, et in quae desinunt; quare per "pilos" in Verbo significantur ultima sapientiae et intelligentiae, per "pilos capitis" ultima sapientiae, per "barbam" ultima intelligentiae, et per "pilos pedum" ultima scientiae; quando ultima illa non sunt, nec sunt priora, sicut quando non basis est columnae, aut fundamentum domui. Illi qui per ratiocinia ex fallaciis et ex falsis se deprivaverunt intelligentia, apparent in mundo spirituali calvi (videatur supra, n. 66). Apud eundem,

> "Ecce Dominus ascendere fecit super eos aquas fluvii validas et multas, regem Aschuris, et omnem gloriam ejus, qui ascendet super omnes rivos ejus, et ibit super omnes ripas ejus; hic ibit per Jehudam, inundabit et transibit" (viii. 7, 8):

per haec describitur quod in ecclesia falsificaturi sint omnia et singula Verbi per ratiocinia ex fallaciis et ex falsis; per "aquas fluvii validas et multas, regem Aschuris," significantur ratiocinia ex meris fallaciis et falsis; per quod "ascendet super omnes rivos et super omnes ripas" significatur quod per illa falsificaturi sint omnia et singula Verbi; per "Jehudam" quem inundabit et transibit, significatur ecclesia ubi Verbum, ita Verbum. Apud *Jeremiam*,

> "Contra exercitum Pharaonis....regis Aegypti, qui fuit apud fluvium Euphratem...., quem percussit Nebuchadnezar;....septentrionem versus, juxta litus fluvii Euphratis impegerunt et ceciderunt" (xlvi. 2, 6, 10):

per haec significatur destructio ecclesiae et ejus veritatum per falsa ratiocinia ex scientificis; per "fluvium Euphratem" significantur falsa ratiocinia, per "Aegyptum et ejus exercitum" scientifica confirmantia; per "septentrionem" ubi impegerunt et ceciderunt, significatur unde illa falsa. (De his etiam videatur supra, n. 518[*e*].) Apud eundem,

> Jehovah dixit ad prophetam, ut emeret cingulum lini, et poneret illud super lumbos, sed non per aquam duceret; et dein quod abiret ad Euphratem, et id cingulum in foramine petrae ibi absconderet: et abivit et abscondidit ad Euphratem. "Postea a fine dierum multorum dixit Jehovah, Surge, abi ad Euphratem, et recipe inde cingulum;" et abiit et recepit, "et ecce corruptum erat cingulum, nec proderat ad quicquam. ....Ita quemadmodum adhaeret cingulum ad lumbos viri, sic adhaerere ad Me feci universam domum

Israelis, et universam domum Jehudae, ut essent Mihi...in nomen, in laudem et in decus, sed non obediverunt" (xiii. 1–7, 11):

per haec repraesentabatur qualis Ecclesia Israelitica et Judaica fuit et facta est; per "cingulum lini," quod propheta daret super lumbos suos, significatur conjunctio ecclesiae cum Domino per Verbum; per "prophetam" enim significatur doctrina ex Verbo, et per "cingulum" super prophetae lumbos conjunctio: falsificationes Verbi per mala vitae et falsa doctrinae, et inde ratiocinia illis faventia, significantur per "cingulum corruptum in foramine petrae ad Euphratem:" per Verbum enim est conjunctio Domini cum ecclesia; et cum id per ratiocinia faventia malis et falsis pervertitur, tunc amplius nulla conjunctio est, quod etiam intelligitur per quod "non prodesset ad quicquam." Quod hoc a Judaeis factum sit, constat ex Verbo tam Veteris quam Novi Testamenti; ex Verbo Novi Testamenti, quod perverterint omnia quae de Domino scripta sunt in Verbo, et quoque omnia essentialia ecclesiae, et quod illa falsificaverint per traditiones. Apud eundem,

"Quum absolveris legere librum hunc, ligabis lapidem super eum, et projicies eum in medium Euphratis; et dices, Sic submergetur Babel, nec resurget" (li. 63, 64):

per "librum" prophetae, quem legit, in specie intelligitur id Verbum quod in eo libro; in genere autem totum Verbum: quod "projiceret illum in medium Euphratis" significat quod Verbum successu temporis per ratiocinia faventia malis falsificaretur ab illis qui intelliguntur per "Babelem," qui sunt qui Verbum adulterant. Apud *Esaiam*,

"Devovebit Jehovah linguam maris Aegypti; et agitabit manum super fluvium" Euphratem "cum vehementia venti sui, et percutiet eum in septem rivos, ut viam faciat cum calceis; tunc erit semita reliquiis populi Ejus, quae residuae erunt ab Aschure, quemadmodum fuit Israeli...cum ascenderet e terra Aegypti" ([1]xi. 15, 16):

per haec significatur quod coram illis qui in veris ex bono a Domino sunt, seu qui ab ecclesia, dissipabuntur omnia falsa et ratiocinia ex illis, et quod tuti quasi per medium transituri sint; ita fit in mundo spirituali illis quos Dominus tutatur: simile hic intelligitur, quod per "exsiccationem maris Suph coram filiis Israelis:" illi qui tutati a

Domino transituri sunt, significantur per "reliquias populi quae residuae erunt ab Aschure;" per "residuas ab Aschure" significantur qui non perierunt per ratiocinia ex falsis. Similia significantur per haec in *Apocalypsi*,

> "Sextus angelus effudit..phialam super fluvium...Euphratem, cujus exsiccata est aqua, ut pararetur via regum qui ab oriente solis" (xvi. 12);

quae amplius explicata videbuntur infra in suo loco. Ex his nunc constare potest quod per "fluvium Euphratem" significetur rationale, quo medio spiritualis mens intrat naturalem; et in opposito sensu ratiocinatio ex fallaciis et ex falsis. At sciendum est quod ratiocinationes sint in simili gradu in quo cogitationes, quoniam ex his descendunt; ita quod sint ratiocinationes ex homine spirituali (quae tamen potius vocandae sunt conclusiones ex rationibus et ex veris), quod sint ratiocinationes ex homine naturali, et quod sint ex homine sensuali: ratiocinationes ex homine spirituali sunt rationales, quare potius vocandae sunt conclusiones ex rationibus et ex veris, quia sunt ex interiore, et ex luce caeli; ratiocinationes autem ex homine naturali de spiritualibus non sunt rationales, utcunque sint in moralibus et civilibus quae apparent coram oculis, sunt enim ex solo lumine naturali; ratiocinationes autem ab homine sensuali de spiritualibus sunt irrationales, quia a fallaciis, et inde ideis quae sunt falsae; hae ratiocinationes sunt, de quibus hic nunc in *Apocalypsi* agitur.

570. [*Vers.* 15.] ***"Et soluti sunt quatuor angeli."***—Quod significet *licentiam ratiocinandi ex fallaciis*, constat ex significatione "quatuor angelorum vinctorum ad flumen Euphratem," quod sint ratiocinationes ex fallaciis quae sensuali homini, non prius receptae (de qua mox supra, n. 569[*a*]): inde sequitur quod per quod "soluti sint" significetur quod nunc licentia ratiocinandi ex fallaciis. Causa quod nunc licentia, est quia sensualis homo ratiocinatur modo ex talibus quae in mundo sunt et oculis videt; quae autem intra aut supra illa sunt, quia non videt, dicit non dari; inde est quod illa quae caeli et ecclesiae sunt, quia supra ejus cogitationes sunt, neget aut non credat, et quod Naturae omnia adscribat. Sensualis homo ita cogitat

secum, seu in suo spiritu; at coram mundo aliter, nam coram mundo loquitur ex memoria, etiam de spiritualibus ex Verbo aut ex doctrina ecclesiae; et quae loquitur sonant similiter sicut dum illa loquitur spiritualis homo. Talis est status hominum ecclesiae in fine ejus; quae tametsi concinnant verba quae loquuntur aut praedicant sicut ex spirituali origine, usque fluunt ex sensuali ultimo, in quo eorum spiritus est; qui sibi relictus ratiocinatur contra illa, quia ex fallaciis, proinde ex falsis.

571. ***"Qui parati in horam et diem et mensem et annum."***— Quod sit *continue in statu*, constat ex significatione "parati esse in horam et diem et mensem et annum," quod sit continue in statu esse, nempe deprivandi se omni intellectu veri et inde vita spirituali, quod significatur per illa quae sequuntur, quae sunt, "ut occiderent tertiam partem hominum:" per "horas" enim, "dies," "menses," et "annos" in Verbo significantur status vitae in particulari et communi; inde per "esse paratos in illa," significatur continue esse in illo statu. Quod "horae," "dies," "menses," "anni," non significent horas, dies, menses, annos, est quia in mundo spirituali tempora non sunt distincta in talia intervalla; Sol enim, ex quo caelum angelicum suam lucem et suum calorem habet, non circumfertur sicut sol in mundo naturali ad apparentiam; quare non facit annos, nec menses, nec dies, nec horas; sed tempora ibi, quae usque succedunt sicut tempora in mundo naturali, distinguuntur per status vitae: (qui quales sunt, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, ubi agitur De Sole in Caelo, n. 116–125; De Mutationibus Status Angelorum in Caelo, n. [1]154–161: De Tempore in Caelo, n. 162–169:) ex his constare potest quod per quod angeli "parati essent in horam, diem, mensem et annum," significetur continue in statu esse illo de quo sequitur. Quod "hora" significet statum, quod "dies," quod "mensis," et quod "annus" similiter, constare potest ex locis in Verbo ubi nominantur; sed illa loca hic afferre, prolixum nimis foret. (Quod tamen ita sit, constare potest ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* de tempore ostensa sunt; tum in *Arcanis Caelestibus*, quod "tempora" in Verbo non significent tempora, sed status vitae, n. 2788, 2837, 3254, 3356, 4814, 4901, 4916, 7218, 8070, 10133, 10605.) Quod "tempora" significent status, etiam causa est, quod in mundo spirituali non sint stata tempora diei, quae mane, meridies, vespera et nox vocantur; nec stata tempora anni, quae ver, aestas, au-

tumnus et hiems dicuntur; nec vices umbrae et lucis, caloris et frigoris, ut in nostro mundo; sed loco illorum sunt mutationes status quoad amorem et fidem, ex quibus non aliqua notio intervallorum, in quae distincta sunt nostra tempora, dari potest, tametsi tempora progrediuntur ibi sicut in mundo naturali (de qua re in *Arcanis Caelestibus*, n. 1274, 1382, 3356, 4882, 6110, 7218): et quia Sol caeli angelici, qui est Dominus, jugiter in ortu est, nec circumvolutiones facit, sicut apparet sol nostri mundi, sed solum existunt mutationes status apud angelos et spiritus secundum receptionem boni amoris et veri fidei, ideo tempora correspondent mutationibus status, ac illas significant (n. 4901, 7381): quod ideo angeli et spiritus cogitent absque idea temporis, quod homo non potest (n. 3404).

572. ***"Ut occiderent tertiam partem hominum."***—Quod significet *deprivandi se omni intellectu veri et inde vita spirituali*, constat ex significatione "occidere," quod sit deprivare vita spirituali (de qua supra, n. 547); et ex significatione "hominum," quod sint intellectus veri (de qua etiam supra, n. 546, 547); quod "tertia pars," cum de veris, sit omne (supra, n. 506): hic itaque per "occidere tertiam partem hominum" significatur deprivare omni intellectu veri: quod sit deprivare semet, est quia illi qui sensuales facti sunt per mala vitae et falsa doctrinae per ratiocinationes ex fallaciis semet [1]deprivant intellectu veri, non autem alios, nisi qui etiam sensuales sunt. Quod se deprivent inde vita spirituali, est quia vita spiritualis homini est per intellectum; quantum enim intellectus per vera aperitur et se illustrari patitur, tantum homo spiritualis fit. Intellectus autem aperitur per vera ex bono, non autem per vera absque bono; nam quantum homo in bono amoris et charitatis vivit, tantum cogitat vera: verum enim est forma boni, ac omne bonum apud hominem est voluntatis ejus, et omne verum est intellectus ejus; quare bonum voluntatis sistit formam suam in intellectu; ipsa forma est cogitatio ex intellectu qui ex voluntate.

573[*a*]. [*Vers.* 16.] ***"Et numerus exercituum equitatus, duae myriades myriadum."***—Quod significet *falsa mali*, *ex quibus et pro quibus ratiocinationes*, *innumerabilia conspirantia contra vera boni*, constat ex significatione "exercituum," quod sint falsa mali (de qua sequitur); ex significatione "equi-

tatus," quod sint ratiocinia inde; (per "equos" enim significatur intellectus veri, et in opposito sensu intellectus perversus et deperditus (videatur supra, n. 355, 364, 372[a], 373, 381, 382); inde per "equitatum" in hoc sensu significantur ratiocinationes ex falsis, nam ratiocinationes ex falsis sunt intellectus perversi ac deperditi; vera enim faciunt intellectum, falsa autem destruunt illum:) et ex significatione "duarum myriadum myriadum," quod sint innumerabilia conspirantia contra vera boni; (quod "myriades" significent innumerabilia et dicantur de veris, videatur supra, n. 336;) et quia dicuntur "duae myriades myriadum" significantur innumerabilia conjuncta et conspirantia, nam "duo" significant conjunctionem, consensum et conspirationem (videatur supra, n. 283, 384): quod sit contra vera bona, est quia in sequentibus agitur de destructione veri per exercitus illius equitatus. Ex his constare potest quod per "numerum exercituum equitatus duae myriades myriadum," significentur falsa mali, ex quibus et pro quibus ratiocinationes, innumerabilia conspirantia contra vera boni. In Verbo pluries dicitur "exercitus," et quoque Dominus vocatur "Jehovah Exercituum" seu "Zebaoth;" et per "exercitus" ibi significantur vera ex bono pugnantia contra falsa ex malo, ac in opposito sensu falsa ex malo pugnantia contra vera ex bono. Quod per "exercitus" talia in Verbo significentur, est quia per "bella" in Verbo tam Historico quam Prophetico in sensu interno significantur bella spiritualia, quae existunt contra infernum et contra diabolicam turbam ibi; et haec bella se referunt ad vera et bona contra falsa et mala; inde est quod "exercitus" significent omnia vera ex bono, et in opposito sensu omnia falsa ex malo: quod significent omnia vera ex bono constare potest ex eo, quod sol, luna, stellae, et quoque angeli dicantur "exercitus Jehovae," ex causa quia illa significant omnia vera ex bono in complexu; et quod filii Israelis, quia per illos significantur ecclesiae vera et bona, dicantur "exercitus:" et quia omnia vera et bona a Domino sunt, et Ipse solus pugnat pro omnibus in caelo et pro omnibus in ecclesia contra falsa et mala quae ab inferno, ideo Ipse vocatur "Jehovah Zebaoth," hoc est, "Exercituum." Quod sol, luna, stellae dicantur "exercitus," constat a sequentibus his locis:—Apud *Mosen*,

"Absoluti..sunt caeli et terra, et omnis exercitus illorum" (*Gen.* ii. 1);

apud *Davidem*,

"Per verbum Jehovae caeli facti sunt, et per spiritum oris Ipsius omnis exercitus eorum" (Ps. xxxiii. 6);

apud eundem,

"Laudate" Jehovam "omnes angeli Ipsius, laudate Ipsum omnes exercitus Ipsius, laudate Ipsum sol et luna, laudate Ipsum omnes stellae lucis" (Ps. cxlviii. 2, 3);

apud *Esaiam*,

"Contabescet omnis exercitus caelorum, et convolventur sicut volumen caeli, et omnis exercitus eorum decidet, sicut decidit folium de vite, et sicut decidens de ficu" (xxxiv. 4);

apud eundem,

"Ego feci terram, et hominem super illa creavi;....manus meae expanderunt caelos, et omni exercitui eorum praecepi" (xlv. 12);

apud eundem,

"Tollite in altum oculos vestros, et videte quis creavit haec, qui educit in numero exercitum eorum, omnes nomine vocat" (xl. 26);

apud *Jeremiam*,

"Sicut non numeratur exercitus caelorum, et [non] mensuratur arena maris" (xxxiii. 22):

in his locis sol, luna et stellae dicuntur "exercitus," quia per "solem" significatur bonum amoris, per "lunam" verum ex bono, et per "stellas" significantur cognitiones veri et boni; proinde per illa significantur bona et vera in omni complexu, quae "exercitus" vocantur quia resistunt malis et falsis, ac perpetuo vincunt ea sicut hostes. Apud *Danielem*,

Cornu unum hirci "crevit usque ad exercitum caelorum, et dejecit in terram de exercitu, et de stellis, et conculcavit ea: immo usque ad Principem exercitus extulit se, et Ipsi sublatum est juge, et projectum habitaculum sanctuarii Ipsius. Et exercitus traditus est super juge in praevaricationem, quia projecit veritatem in terram. ....Unus sanctus dixit,....Quousque visio haec, juge et praevaricatio vastans, ut detur et sanctum et exercitus conculcationi? Et dixit...., Usque ad vesperam mane" (viii. 10–14):

quid per "hircum" ibi, "ejus cornua," et hoc "cornu" quod crevit usque ad exercitum caelorum, significatur, videatur supra (n. 316[*c*], 336[*b*],[1] 535); quod per "exercitum caelorum," de quo dejecit in terram, intelligantur vera et bona caeli, nam agitur de statu ultimo ecclesiae, quando vera et bona caeli nihili penduntur ac rejiciuntur, quod significatur per quod "conculcaverit illa;" quare etiam sequitur

quod "projecerit veritatem in terram:" per "Principem exercitus" intelligitur Dominus, qui etiam "Jehovah Deus Zebaoth" seu "Exercituum" vocatur: quod omnis cultus ex bono amoris et veris fidei periturus, significatur per quod "Ipsi sublatum sit juge, et projectum habitaculum sanctuarii Ipsius:" quod hoc futurum sit in fine ecclesiae, quando Dominus in mundum venturus, significatur per "usque ad vesperam mane;" per "vesperam" significatur ultimum tempus ecclesiae veteris, et per "mane" primum tempus ecclesiae novae. Quod angeli dicantur "exercitus," constat ex his locis:—Apud *Joelem*,

> "Jehovah edidit vocem suam coram exercitu suo, nam magna valde castra Ipsius" (ii. 11);

apud *Sachariam*,

> "Castra ponam domui meae de exercitu, propter abeuntem et redeuntem, ut non transeat amplius super eos exactor" (ix. 8);

apud *Davidem*,

> "Benedicite Jehovae omnes exercitus Ipsius, ministri Ipsius facientes voluntatem Ipsius" (Ps. ciii. 21);

in *Libro Primo Regum*,

> Michah propheta dixit ad regem, "Vidi Jehovam sedentem super throno suo, et universum exercitum caelorum stantem juxta Ipsum, a dextra Ipsius et a sinistra Ipsius, ... et dixit hic aliter et ille aliter" (xxii. 19, 20);

in *Apocalypsi*,

> "Exercitus Ipsius in caelo sequebantur Ipsum super equis albis, induti byssinum album et mundum" (xix. 14);

et alibi,

> "Vidi bestiam et reges terrae, et exercitus eorum congregatos ad faciendum bellum cum Sedente super equo albo, et cum exercitu Ipsius" (xix. 19).

Quod angeli congregati seu consociatio illorum dicantur "exercitus," est quia per "angelos," similiter ac per "exercitus," significantur Divina vera et bona, quoniam sunt recipientes illorum a Domino (de qua re videatur supra, n. 130, 200, 302). Ex eo etiam est quod filii Israelis, quia per illos significantur ecclesiae vera et bona, dicantur "exercitus," ut in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Jehovah dixit, Educite filios Israelis e terra Aegypti juxta exercitus eorum" (*Exod.* vi. 26);

apud eundem,

"Educam exercitum meum, populum meum, filios Israelis, e terra Aegypti per judicia magna" (*Exod.* vii. 4; cap. xii. 17);

apud eundem,

"Factum est in ipso die hoc exiverunt omnes exercitus Jehovae e terra Aegypti" (*Exod.* xii. 41);

apud eundem,

Recensebis "omnem exeuntem in exercitum" (*Num.* i. 3, seq.).
Quod castra metarentur circa Tentorium conventus, et quoque proficiscerentur juxta exercitus eorum (*Num.* ii. 3, 9, [16,] 24);

apud eundem,

Quod sumerentur Levitae ad exercendum militiam, ad faciendum opus in Tentorio conventus (*Num.* iv. 3, 23, 30, 39).

Quod filii Israelis dicti fuerint "exercitus Jehovae," erat quia repraesentabant ecclesiam, et significabant omnia vera et bona ejus (videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 5414, 5801, 5803, 5806, 5812, 5817, 5819, 5826, 5833, 5879, 5951, 6637, 6862, 6868, 7035, 7062, 7198, 7201, 7215, 7223, [1]7957, 8234, 8805, 9340). Quod dicantur "exercitus" in plurali, est quia unaquaevis tribus dicebatur "exercitus," ut constare potest apud Mosen, cum ei mandatum est ut recenseret omnes juxta exercitus eorum, quod recensiti sint juxta tribus (*Num.* i. 3, seq.): similiter cum castra metabantur circum Tentorium conventus juxta tribus, dicitur "juxta exercitus eorum" (*Num.* ii. 3, 9. seq.). Quod tribus dictae fuerint "exercitus," est quia duodecim tribus simul sumptae repraesentaverunt omnia vera et bona ecclesiae, ac unaquaevis tribus aliquod universale essentiale ejus (de qua re videatur supra, n. 431). Ex his constare potest quod vera et bona caeli et ecclesiae intelligantur per "exercitus" in Verbo; ex quibus manifeste patet unde est quod Jehovah in Verbo dicatur "Jehovah Zebaoth," et "Jehovah Deus Zebaoth," hoc est, "Exercituum"

(Ut *Esai.* i. 9, 24; cap. ii. 12; cap. iii. 1, 15: cap. v. 7, 9, 16, 24; cap. vi. 3, 5; cap. viii. [2]13, 18, cap. xiv. 22, 23, 24, 27; cap. xvii. 3; cap. xxv. 6; cap. xxviii. 5, 22, 29; cap. xxix. 6; cap. xxxi. 4, 5; cap. xxxvii. 16: *Jerem.* v. 14; cap. xxxviii. 17; cap. xliv. 7: *Amos* v. [3]16: *Hagg.* i. 9, 14; cap. ii. 4, 8, 23: *Sach.* i. 3: *Malach.* ii. 12: et pluries alibi).

[*b.*] Ex his nunc patet quod per "exercitus" significata sint vera et bona caeli et ecclesiae in omni complexu: et quia pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "exercitus," in quo sensu significant falsa et

mala in omni complexu, ut in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Super tectis" domuum "suffiverunt omni exercitui caelorum, et libaverunt libamina diis aliis" (xix. 13);

apud *Zephaniam*,

> "Adorant super tectis exercitum caelorum" (i. 5);

apud *Mosen*,

> "Ne incurves te et servias soli, lunae, stellis, et omni exercitui caelorum" (*Deutr.* iv. 19; cap. xvii. 3);

apud *Jeremiam*,

> "Expandent" ossa extracta e sepulchris, "soli, lunae et omni exercitui caelorum, quae amaverant et quibus serviverant" (viii. 2):

per "exercitum caelorum" hic intelliguntur sol, luna et stellae, quia per illa significantur omnia bona et vera in complexu; hic autem omnia mala et falsa in complexu; nam per "solem" in opposito sensu, ut hic, significatur omne malum scaturiens ex amore sui, per "lunam" falsum fidei, et per "stellas" falsa in genere: (quod talia per "solem, lunam et stellas" in mundo naturali, cum illa adorantur loco Solis et Lunae caeli angelici, [1]significentur dira mala et falsa, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 122, 123; ut et supra, n. 401[*g*], 402, [2]525:) et quia vera ex bono pugnant contra falsa ex malo, ac vice versa falsa ex malo pugnant contra vera ex bono, ideo dicuntur "exercitus;" est enim pugna continua, nam mala et falsa exspirant continue ex infernis, conantia destruere vera ex bono quae in caelo et e caelo, ac continue resistunt: est enim ubivis in mundo spirituali aequilibrium inter caelum et inter infernum, et ubi aequilibrium ibi continue agunt binae vires contra se; una agit et altera reagit, ac continua actio et reactio est continua pugna, sed a Domino providetur aequilibrium (de quo videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 589–596 et n. 597–603): et quia continua talis pugna est inter caelum et infernum, ideo sicut omnia caeli vocantur "exercitus," ita quoque omnia inferni; omnia caeli se referunt ad bona et vera, et omnia inferni ad mala et falsa. Inde nunc est quod "exercitus" significent falsa mali in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Ira Jehovae contra omnes gentes; et excandescentia contra omnem exercitum [3]eorum devovit [3]eos, tradidit [3]eos in mactationem" (xxxiv. 2):

per "gentes" significantur mala, et per "exercitum" falsa ex malo; destructio eorum totalis significatur per quod "[1]eos devoverit et tradiderit mactationi." Apud eundem,

> "Vox multitudinis in montibus, species populi magni, vox tumultus regnorum gentium congregatarum, Jehovah Zebaoth ducit exercitum" (xiii. 4):

"vox multitudinis in montibus" significat falsa ex malis; "multitudo" falsa, et "montes" mala: "species populi magni" significat apparentiam sicut veri ex bono; "species" apparentiam, "populus" illos qui in veris sunt, ita vera, et "magnum" praedicatur de bono: "vox tumultus regnorum gentium congregatarum" significat dissensum ecclesiae oriundum ex malis et inde falsis; "vox tumultus" significat dissensum, "regna" significant ecclesias quoad vera et quoad falsa, et "gentes congregatae" quoad mala et inde falsa conspirantia contra ecclesiae vera et bona: "Jehovah Zebaoth ducit exercitum" significat quod Dominus illud faciat; tribuitur hoc Domino, ut patet a versu sequenti quinto ibi, ubi dicitur, "Jehovah venit cum vasis irae suae ad perdendum omnem terram;" id tribuitur Domino, sicut malum, poena mali, et destructio ecclesiae, alibi, ex causa quia ita apparet; sensus enim litterae Verbi est secundum apparentias; sed per id in sensu spirituali intelligitur quod ipse homo ecclesiae hoc faciat. Apud *Jeremiam*,

> "Ne parcite juvenibus, devotioni date universum exercitum ejus" (li. 3):

haec de Babele; et per "Ne parcite juvenibus" significatur destructio falsorum confirmatorum; per "Devotioni date universum exercitum ejus" significatur totalis destructio falsorum ex malis quae illi, ita destructio Babelis. Falsa ex malo etiam significantur

> Per exercitum Chaldaeorum, et per exercitum Pharaonis (*Jerem.* xxxvii. 7, 10, 11, seq.);

et apud *Mosen*,

> "Reversae sunt aquae et operuerunt currus et equites cum universo exercitu Pharaonis" (*Exod.* xiv. 28; cap. xv. 4;)

(quae explicata videantur supra, n. 355[*g*]; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 8230, 8275). Apud *Danielem*,

"Revertetur rex septentrionis, et sistet multitudinem magnam prae priori, et sub fine temporum annorum veniet cum exercitu magno et cum opibus magnis :....excitabit vires suas et cor suum contra regem meridiei cum exercitu magno, et rex meridiei commiscebit se bello cum exercitu magno et valido admodum, sed non consistet" (xi. 13, 25) :

agitur in illo capite de bello inter regem septentrionis et regem meridiei; et per "regem septentrionis" intelliguntur illi intra ecclesiam qui in falsis mali sunt, et per "regem meridiei" illi qui in veris boni; collisio et pugna in fine ecclesiae per bellum eorum in sensu spirituali describitur; quare per "exercitum regis septentrionis" intelliguntur falsa omnis generis, et per "exercitum regis meridiei" vera omnis generis. Apud *Lucam*,

"Quando videritis Hierosolymam exercitibus circumdatam, scite quod prope sit devastatio ejus" (xxi. 20):

in eo capite loquitur Dominus de consummatione saeculi, per quam significatur ultimum tempus ecclesiae; per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia quoad doctrinam, et per illam "exercitibus circumdatam" intelligitur illa a falsis occupata; quod tunc destructio ejus, et mox ultimum judicium, significatur per quod "tunc prope sit devastatio ejus." Creditur quod haec dicta sint de Hierosolymae destructione a Romanis; sed a singulis in illo capite patet quod de destructione ecclesiae in fine ejus agatur, ut quoque apud *Matthaeum*, cap. xxiv. a primo versu ad ultimum (quae omnia in *Arcanis Caelestibus* explicata sunt): sed usque non obstat quin per illa verba in sensu litterae intelligatur destructio Hierosolymae, at illa destructio repraesentabat et inde significabat destructionem ecclesiae in fine ejus; singula in illo capite in sensu spirituali spectata id confirmant. Apud *Davidem*,

Deus deseruit et ignominiae tradidit nos, nec exivit in exercitibus nostris; reverti fecit nos retrorsum ab hoste (Ps. xliv. 10, 11 [*B. A.* 9, 10]):

quod "Deus non exiverit in exercitibus nostris" significat quod non tutatus sit illos, quia in falsis mali fuerunt; "exercitus" enim sunt falsa mali: quare etiam dicitur quod "eos deseruerit et ignominiae tradiderit," et quod "reverti fecerit eos ab hoste;" "hostis" est malum quod ab inferno. Apud *Joelem*,

"Compensabo vobis annos quos consumpsit locusta, melolontha, et bruchus, et eruca, exercitus meus magnus quem misi inter vos" (ii. 25):

quod falsa et mala omnis generis significentur per "exercitum," manifeste patet, quoniam per noxia illa animalcula, "locustam," "melolontham," "bruchum" et "erucam," significantur falsa et mala vastantia seu consumentia vera et bona ecclesiae. (Videatur supra, n. 543[c], ubi hic locus explicatus est, et ostensum quod "locusta et bruchus" significent falsa [et mala] sensualis hominis.) Ex his nunc patet quid per "exercitus" in Verbo in utroque sensu significatur. Similia per "exercitus" significantur in historicis Verbi; nam in illis est sensus spiritualis aeque ac in propheticis, sed is minus elucet, quia mens in historicis detenta aegre potest elevari a mundanis ibi et videre spiritualia quae inibi recondita sunt.

574. ***"Et audivi numerum illorum."***—Quod significet *perceptum quale*, constat ex significatione "audire," quod sit percipere (ut supra, n. 14, 529); et ex significatione "numeri," quod sit quale rei de qua agitur (de qua supra, n. 429); hic quale falsorum mali conspirantium contra vera boni, ex quibus et pro quibus ratiocinationes sensualis hominis, quae significantur per "numerum exercituum equitatus" (de quibus mox supra): at quale eorum ulterius describitur in versu nunc sequente, nempe per haec verba, "Et ita vidi equos in visione, et sedentes super illis habentes thoraces igneos et hyacinthinos et sulphureos, et capita equorum sicut capita leonum, et ex oribus illorum exivit ignis et fumus et sulphur;" in his continetur quale quod per "numerum" hic significatur. Videri potest sicut aliquid numeri intelligatur hic per "numerum;" sed in spirituali mundo non dantur numeri, quia ibi spatia et tempora non mensurantur et determinantur per numeros sicut in mundo naturali; quapropter per omnes numeros in Verbo significantur res, et per ipsum numerum significatur quale rei (videatur supra, n. 203, 336, 429, 430; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 263).

575. [*Vers.* 17.] ***"Et ita vidi equos in visione, et sedentes super illis."***—Quod significet *falsificationes Verbi per ratiocinationes ex fallaciis*, constat ex significatione "equorum," quod sint intellectus Verbi (de qua supra, n. 355, 364, 372[a], 373, 381, 382), hic falsificationes ejus, quia dicitur quod "viderit equos in visione" (de qua re sequitur), et ex significatione "sedentium super illis," quod sint intelligentes Verbi

(de qua etiam in locis supra citatis), hic autem ratiocinationes de sensu Verbi ex fallaciis, quoniam agitur de sensuali homine et ejus ratiocinatione ex fallaciis (videatur supra, n. 569), et quia dicitur quod viderit illos "in visione," et non ut prius "in spiritu;" "videre in visione" hic significat ex fallaciis. Visiones enim, quas et ex quibus homo aut spiritus hominis videt, sunt duplicis generis; sunt visiones reales et sunt visiones non reales: visiones reales sunt talium quae realiter apparent in mundo spirituali, prorsus correspondentes cogitationibus et affectionibus angelorum; proinde sunt reales correspondentiae; tales visiones fuerunt prophetis qui vera prophetarunt, et quoque tales visiones sunt quae Johanni apparuerunt, quae ubivis in *Apocalypsi* describuntur: at visiones non reales sunt quae in externa forma apparent similes realibus, sed non in interna; producuntur a spiritibus per phantasias; tales visiones fuerunt prophetis qui vana seu mendacia prophetarunt; omnes hae visiones, quia non reales, sunt fallaciae, quare etiam significant fallacias: et quia "equi et sedentes super illis" visi sunt Johanni in tali visione, ideo per illos significantur ratiocinationes ex fallaciis, et inde falsificationes Verbi. Quoniam prophetis, per quos Verbum conscriptum est, fuerunt visiones reales, et reliquis, qui etiam prophetae vocantur, visiones non reales, et horum visiones fuerunt vanae et quoque "mendacia" vocantur, interest scire quales sunt visiones: nempe, omnia quae in mundo spirituali realiter apparent, sunt correspondentiae, correspondent enim interioribus angelorum quae mentis eorum sunt, seu quae affectionis et inde cogitationis eorum; quapropter etiam significant talia: induit enim spirituale, quod est affectionis et inde cogitationis angelorum, formas quales apparent in naturali mundo in triplici ejus regno, animali, vegetabili et minerali, et omnes hae formae sunt correspondentiae, quales visae sunt prophetis, et quae significaverunt res quibus correspondebant. At in mundo spirituali dantur etiam apparentiae quae non sunt correspondentiae, quae producuntur a spiritibus praecipue malis per phantasias, per has enim possunt illi spiritus sistere palatia, et domos plenas decoramentis, tum quoque ornatas vestes, et quoque sibi inducere facies pulchras, praeter similia alia; at ut primum phantasia desinit, etiam omnia

illa evanescunt, ex causa quia sunt externa in quibus nihil internum; tales visiones, quia ex phantasiis sunt, significant fallacias, quia fallunt sensus, et fallaciter sistunt similia realibus: quoniam hae sunt quae significantur, ideo dicitur, "Vidi equos in visione." Quoniam agitur hic de ratiocinationibus ex fallaciis, dicendum est quid fallaciae. Dantur fallaciae in naturalibus, in civilibus, in moralibus, et in spiritualibus, multae; sed quia per fallacias hic intelliguntur fallaciae in spiritualibus, velim per aliqua exempla illustrare quid et quales sunt fallaciae in spiritualibus. Sensualis homo in fallaciis est, quia omnes ideae cogitationis ejus sunt ex mundo et intrarunt per sensus corporis; quare etiam ex illis cogitat et concludit de spiritualibus; nescit etiam quid spirituale, et credit quod non aliquid supra Naturam detur, et si datur quod sit naturale et materiale: prorsus non potest capere quod in mundo spirituali aliquid existat simile objectis quae in mundo naturali, quod nempe apparere possint ibi paradisi, arboreta, floreta, vireta, palatia, domus; haec dicunt esse phantasias, tametsi sciunt quod similia visa sint prophetis quando fuerunt in spiritu: causa, quod non credant talia dari in mundo spirituali, est quia putant nihilum esse quicquid non oculis vident et aliquo sensu corporis percipiunt. Qui judicat ex fallaciis, prorsus non capere potest quod homo post mortem sit in perfecta forma humana, nec quod angeli in illa forma sint; quare negant quod homines post mortem sint formae humanae; dicunt esse pneumata, absque oculis, auribus, oribus, proinde absque visu, auditu et loquela, volitantia in aere, et exspectantia resurrectionem corporis, ut videant, audiant et loquantur: quod ita dicant et credant, est ex fallaciis sensuum corporis. Illi qui ratiocinantur et concludunt ex fallaciis sensuum, omnia tribuunt Naturae, et fere nihil Divino; si creationem Divino tribuunt, usque putant omnia translata esse in Naturam, et ex illa sola effluere omnes effectus qui apparent, et nihil ex spirituali mundo; ut dum vident admiranda in bombycibus, papilionibus, apibus, admiranda in generatione omnium animalium ex ovis, et similia alia, quae innumerabilia sunt, putant haec opificia solius Naturae esse; nec possunt aliquid cogitare de spirituali mundo et ejus influxu in naturalem, et de existentia et subsistentia

talium admirandorum inde; cum tamen res talis est quod Divinum influat continue per spiritualem mundum in naturalem ac producat talia, et quod Natura creata sit ut inserviat induendo illa quae e spirituali mundo procedunt et influunt. Sed recensere omnes fallacias in spiritualibus quae sunt apud hominem ecclesiae sensualem, nimis prolixum est; aliquae etiam enumeratae videantur in *Doctrina Novae Hierosolymae* (n. 53).

576. ***"Habentes thoraces igneos et hyacinthinos et sulphureos."***—Quod significet *ratiocinationes pugnantes ex cupiditatibus amoris sui et amoris mundi, et ex falsitatibus inde*, constat ex significatione "thoracum," quod sint armaturae in bello, in specie tutationes in pugnis (de qua supra, n. 557); ex significatione "ignis" seu "ignei," quod sit cupiditas amoris sui et inde omnis mali (de qua supra, n. 504[*c–e*]); ex significatione "hyacinthi" seu "hyacinthini," quod sit cupiditas amoris mundi et inde omnis falsi (de qua sequitur); et ex significatione "sulphuris" seu "sulphurei," quod sit concupiscentia destruendi ecclesiae bona et vera per falsa mali (de qua infra, n. 578), hic quod sit falsum ardens ex binis illis amoribus: ex his constare potest quod per "thoraces igneos, hyacinthinos et sulphureos" significentur ratiocinationes pugnantes ex cupiditatibus amoris sui et amoris mundi, et ex falsitatibus inde. Quod "hyacinthinum" attinet; hoc in spirituali sensu significat caelestem amorem veri, at in opposito sensu diabolicum amorem falsi, et quoque amorem mundi; quod constare potest ex eo, quod coloris caelestis sit, et per illum colorem significatur verum ex origine caelesti, inde in opposito sensu falsum ex origine diabolica. Colores in mundo spirituali apparent electissimi, et originem ex bono et vero ducunt; colores enim ibi sunt modificationes lucis caelestis, ita intelligentiae et sapientiae quae in caelo apud angelos. Inde erat quod aulaeis Tabernaculi et vestibus Aharonis intertexta fuerint hyacinthinum, purpura, et coccineum dibaphum; nam per Tabernaculum repraesentabatur caelum Domini, ac per vestes Aharonis Divinum Verum caeli et ecclesiae; et per illa ex quibus Tabernaculum constructum, et ex quibus vestes Aharonis contextae fuerunt, repraesentabantur caelestia et spiritualia, quae sunt Divini Boni ac Divini Veri.

Quod velum ante arcam ex hyacinthino, purpura, coccineo dibapho et byssino textum fuerit, videatur, *Exod.* xxvi. 31;
Quod similiter tegumentum pro ostio Tentorii, vers. 36, ibi;
Tum quod tegumentum portae atrii, *Exod.* xxvii. 16;
Quod loramenta super ora aulaei tentorii essent ex hyacinthino, *Exod.* xxvi. 4;
Quod ephod esset ex auro, hyacinthino, purpura, coccineo dibapho intertextis, *Exod.* xxviii. 6;
Et quoque pectorale judicii, ibid. vers. 15.
Quod Aharon et filii ejus, cum proficiscerentur in deserto, darent pannum hyacinthini super arcam, super mensam facierum, super candelabrum et lucernas; super altare aureum, et super omnia vasa ministerii, *Num.* iv. 6, 7, 9, 11, 12;

ex causa, quia Divinum Verum procedens ex Divino Amore, quod significatur per "pannum hyacinthini," complectitur et tutatur omnia sancta caeli et ecclesiae, quae per illa repraesentabantur. Quoniam "hyacinthinum" significabat caelestem amorem veri, ideo mandatum erat

Ut filii Israelis facerent sibi peniculamentum super alas vestium,.... et super illud darent filum hyacinthini, ut in videndo illud recordarentur omnium praeceptorum Jehovae et facerent ea (*Num.* xv. 38, 39);

hic "filum hyacinthini" manifeste pro recordatione praeceptorum Jehovae; praecepta Jehovae sunt ipsa vera caeli et ecclesiae, et recordantur illi soli qui in caelesti amore veri sunt. Quod "hyacinthinum" significet amorem veri, etiam constare potest ex his apud *Ezechielem*,

"Byssus in acupictura ex Aegypto fuit expansio tua, ut esset tibi in signum; hyacinthinum et purpura ex insulis Elischae fuit tegumentum tuum;....negotiatores tui cum perfectionibus, cum glomeribus hyacinthini et acupicto, et cum thesauris vestium pretiosarum" (xxvii. 7, 24):

haec de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri; ita quoque per illam significantur cognitiones veri quae ecclesiae: ac per "mercaturas" et "negotiationes" ejus in eo capite describitur comparatio intelligentiae per illas cognitiones: per "acupicturam ex Aegypto" significatur scientia talium quae ecclesiae sunt; quae quia est in inferiore loco et sic circumcirca vel extra, dicitur quod illa esset "expansio" et "in signum:" per "hyacinthinum et purpuram ex insulis Elischae" significatur spiritualis affectio veri et boni; quare illa dicuntur esse "ad tegumentum;" per "tegumentum" significatur verum: per "glomeres hyacinthini et acupictum" significantur omnia vera spiritualia et naturalia; quae etiam una cum cogni-

tionibus ex Verbo intelliguntur per "thesauros vestium pretiosarum." Quoniam "hyacinthinum" significat caelestem amorem veri, ideo quoque in opposito sensu significat diabolicum amorem falsi, in quo sensu etiam dicitur "hyacinthinum" in Verbo:—Ut apud *Ezechielem*,

> "Duae mulieres filiae unius matris....in adolescentia scortatae sunt in Aegypto,....Ohola quae Samaria, et Oholiba quae Hierosolyma: et scortata est Ohola sub Me, et dilexit amasios suos, Assyrios propinquos, vestitos hyacinthino, praefectos et duces, juvenes desiderii omnes, equites equitantes equis" (xxiii. [1]2–6):

per "Samariam" et "Hierosolymam" significatur ecclesia, per "Samariam" ecclesia spiritualis, per "Hierosolymam" ecclesia caelestis, quae "Ohola" et "Oholiba" vocantur, quia per illa nomina significatur *tentorium;* et per "tentorium" significatur ecclesia quoad cultum: per "mulierem" in Verbo etiam significatur ecclesia: quod "scortatae sint in Aegypto" [2]significat quod falsificaverint vera ecclesiae per scientifica naturalis hominis: quod "dilexerit Assyrios" significat quod falsificaverint per ratiocinia ex scientificis illis; "Aschur" et "Assyria" significant ratiocinationes; qui "vestiti hyacinthino" dicuntur ex fallaciis et falsis, quae in externa forma apparent sicut vera quia ex sensu litterae Verbi perverse applicato; qui etiam "praefecti, duces, juvenes desiderii, equitantes equis" dicuntur ex eadem apparentia; nam qui ratiocinantur ex propria intelligentia, apparent sibi, et aliis qui tales sunt, sicut intelligentes et sapientes, et illa quae loquuntur sicut vera intelligentiae et bona sapientiae, cum tamen falsa sunt, quae amant quia ex proprio; "praefecti et duces" significant principalia vera, et "equitantes equis" significant intelligentes. Apud *Jeremiam*,

> "Argentum extensum a Tharschish adfertur, et aurum ex Uphaso, opus fabri et manuum conflatoris, hyacinthinum et purpura [3]vestes eorum, opus sapientum tota" (x. 9):

ibi de idolis domus Israelis, per quae significantur doctrinalia falsa, quia ex propria intelligentia; quare dicuntur "opus fabri et manuum conflatoris," ac "opus sapientum tota," et hoc ex eo quia ut vera et bona sibi apparent; "argentum ex Tharschish et aurum ex Uphaso" significat apparens in externa forma ut verum et bonum, quia ex sensu litterae Verbi. Ex his constare potest quod "hyacinthi-

num" significet amorem falsi quia ex proprio seu ex propria intelligentia. Quod "hyacinthinum" etiam significet amorem mundi, est quia amor mundi correspondet amori falsi, sicut amor sui, qui per "ignem" significatur, correspondet amori mali; ex amore sui enim est omne malum, et ex amore mundi, qui ex illa origine, est omne falsum; malum enim spirituale, quod per amorem mundi significatur, est in sua essentia falsum, sicut bonum spirituale est in sua essentia verum (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 15).

577[*a*]. ***"Et capita equorum sicut capita leonum."***—Quod significet *scientiam et inde cogitationem destructivam veri*, constat ex significatione "capitum equorum," quod sit scientia et inde cogitatio (de qua sequitur); et ex significatione "capitum leonum," quod sint inde destructio veri. Quod "capita leonum" destructionem veri hic significent, est quia "leo" in supremo sensu significat Divinum Verum quoad potentiam, ac in opposito sensu falsum destruens verum, proinde destructionem veri; et "caput leonis" significat vires animi per quas destruit, quae sunt ratiocinia ex falsis. (Quod "leo" significet Divinum Verum quoad potentiam, et in opposito sensu falsum destruens illud, videatur supra, n. 278.) Quod "capita equorum" significent scientiam et inde cogitationem, est quia "caput" significat intelligentiam, et "equus" intellectum; at quia agitur de sensuali homine, et hic de ratiocinatione ejus ex falsis, et sensuali homini ratiocinanti ex falsis non est intelligentia, sed modo scientia et inde cogitatio, ideo hae per "capita equorum" significantur. (Quod illis qui in falsis sunt non sit intelligentia, sed pro intelligentia scientia, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 33.) Quod "caput" significet intelligentiam, est causa quia intellectus et voluntas hominis in interioribus capitis ejus resident; et inde in capitis anteriore parte, quae est facies, sunt sensus visus, auditus, odoratus et gustus, in quos influit intellectus et voluntas ab interiori, ac vivificat illos, et quoque facit ut gaudeant suis sensationibus; inde est quod per "caput" in Verbo significetur intelligentia. Sed quia illi soli intelligentes sunt qui influxum e caelo recipiunt, nam e caelo a Domino influit omnis intelligentia et sapientia, sequitur quod illis qui in falsis mali sunt non sit intelligentia, est enim mens superior et spiritualis apud illos clausa, et modo mens inferior, quae vocatur mens naturalis, aperta; haec

mens, quando superior clausa est, non recipit aliquid veri et boni, proinde non intelligentiam e caelo, sed solum e mundo; quare his pro intelligentia est modo scientia et ex hac cogitatio, ex qua procedit ratiocinatio, et per hanc confirmatio falsi et mali contra verum et bonum. Quod per "caput" in Verbo significetur intelligentia et sapientia, ac in opposito sensu scientia et inde fatua cogitatio, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Ezechielem*,

> "Dedi monile super nasum tuum, et inaures super aures tuas, et coronam ornatus super caput tuum" (xvi. 12):

haec dicta sunt de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia, ibi qualis fuerat in principio; per "monile super nasum" significatur perceptio veri ex bono; per "inaures super aures" significatur auscultatio et obedientia; et per "coronam super caput" significatur sapientia; intelligentia enim, quae ex Divino Vero est, fit sapientia ex bono amoris, quod significatur per "coronam ex auro." In *Apocalypsi*,

> "Mulier circumdata solem, et luna sub pedibus ejus, et super capite ejus corona stellarum duodecim" (xii. 1):

quod per "caput," super quo corona stellarum duodecim, significetur intelligentia, videbitur in explicatione in sequentibus. Quod

> Judaei posuerint coronam ex spinis super caput Domini, et quod percusserint caput Ipsius (*Matth.* xxvii. 29, 30; *Marc.* xv. [17,] 19; *Joh.* xix. 2),

significabat quod tali contumelia affecerint Ipsum Divinum Verum et Divinam Sapientiam; Verbum enim, quod est Divinum Verum, et ubi Divina Sapientia, falsificaverunt et adulteraverunt per traditiones, et per applicationes ad se, sic volentes regem qui illos super omnes in universo terrarum orbe eveheret: et quia regnum Domini non fuit terrestre sed caeleste, ideo omnia Verbi, quae de Ipso dicta sunt, perverterunt, et quae de Ipso praedicta irriserunt: hoc erat quod repraesentabatur per quod "coronam ex spinis super caput Ipsius posuerint," et quod "caput Ipsius percusserint." Ubi agitur de statua Nebuchadnezari in somnio visa, dicitur apud *Danielem*,

Quod caput ejus esset ex auro puro; pectus et brachia ex argento; venter et femora ex aere; crura ex ferro; pedes partim ex ferro et partim ex argilla (ii. 32, 33):

per illam statuam repraesentati sunt status successivi ecclesiae; per "caput ex auro" repraesentata et significata est Ecclesia Antiquissima, quae in sapientia caelesti et inde in intelligentia prae sequentibus fuit; ea sapientia et intelligentia ejus intelligitur per "caput ex auro:" quod reliqua istius statuae significent status ecclesiarum sequentium, videatur supra (n. 176, 411[*b*].) Apud *Davidem*,

"Induxisti nos in rete, posuisti [1]oppressiones super lumbos [nostros], equitare fecisti hominem in capite nostro" (Ps. lxvi. [11,] 12):

per "equitare facere hominem in capite nostro" significatur quod non intelligentia (videatur supra, n. 355[*g*], ubi illa plenius explicata sunt). Apud *Mosen*,

Hae benedictiones "veniant capiti Josephi, et vertici Naziraei fratrum ejus" (*Gen.* xlix. 26; *Deutr.* [2]xxxiii. 13–16):

quod "benedictiones venient capiti Josephi" significat quod omnia illa quae prius dicta sunt, quae sunt benedictiones caeli, fient interioribus ejus mentis, quae sunt vitae intellectus et voluntatis ejus, nam haec sunt interiora mentis: quod venient "vertici Naziraei fratrum ejus" significat quod etiam fient exterioribus quae mentis naturalis ejus sunt; "naziraeatus" enim [3]significat exteriora quae sunt mentis naturalis, nam significat *crines* seu *capillitium*. (Sed haec amplius explicata videantur supra, n. 448[*b*]; et in *Arcanis Caelestibus*, n. 6437, 6438.) Apud eundem,

"Date vobis viros sapientes et intelligentes, ... ut ponam eos in capita vestra" (*Deutr.* i. 13):

dicitur "in capita," quia intelligitur sapientia et intelligentia, qua illi reliquis praepollent; quare dicitur "Date vobis viros sapientes et intelligentes." Apud *Esaiam*,

"Effudit Jehovah super vos spiritum somnolentiae, et occlusit oculos vestros prophetas, et capita vestra videntes obtexit" (xxix. [4]10):

per "prophetas" significantur docentes vera ac intelligentes, et abstracte doctrina veri et intelligentia; quare dixit, "Occlusit oculos prophetas, et capita vestra videntes;" prophetae vocantur "oculi," et videntes "capita," quia per "oculos" significatur intellectus veri quoad doctrinam,

et per "videntes" intelligentia similiter ac per "caput." Apud eundem,

> "Exscindet [Jehovah] ex Israele caput et caudam, ramum et juncum ....; senex et honoratus..faciet caput, et propheta doctor mendacii caudam" (ix. 13, 14 [*B. A.* 14, 15]);

apud eundem,

> "Non erit Aegypto opus, quod faciet caput et caudam, ramum et juncum" (xix. 15):

quod "exscindetur ex [1]Israele caput et cauda," et quod "non erit Aegypto caput et cauda," significat quod peritura sit illis omnis intelligentia et scientia veri (videatur supra, n. 559, ubi illa loca amplius explicata sunt). Apud eundem,

> "In die illo detondebit Dominus per novaculam mercenariam in transitibus fluvii per regem Aschuris, caput et pilos pedum, etiamque barbam consumet" (vii. 20):

quod per haec significetur quod ratiocinia ex falsis deprivatura sint homines ecclesiae omni sapientia et intelligentia spirituali, videatur supra (n. 569[*c*]), ubi singillatim explicata sunt; dicitur "in transitibus fluvii," quia per "fluvium Euphratem" significatur ratiocinatio ex falsis; hic itaque invasio inde in vera ecclesiae quae per ratiocinia ex falsis destruuntur. Apud *Ezechielem*,

> "Fili hominis, sume tibi gladium acutum, novaculam tonsorum...., quam traduces super caput et super barbam.... ; tertiam partem igne combures...., tertiam percuties gladio, et tertiam disperges in ventum" (v. 1, 2):

etiam hic per "traducere novaculam super caput" significatur deprivare omni intelligentia veri: causa est, quia nisi sint ultima intelligentiae, quae significantur per "capillos capitis," quos abradet cum novacula quae traducetur [2]super caput, perit intelligentia; nam quando auferuntur ultima, est sicut cum basis aufertur columnae, aut fundamentum domui: inde est quod in Ecclesia Judaica, quae fuit ecclesia repraesentativa, nefarium fuerit abradere capillos capitis et inducere calvitiem, similiter barbam; quare etiam qui absque intelligentia sunt, apparent in mundo spirituali calvi.

[**b.**] Ex his constare potest quid in sequentibus locis significatur per "caput calvum" seu per "calvitiem:"— Apud *Esaiam*,

"In omnibus capitibus ejus calvities, omnis barba rasa" (xv. 2);

nempe quod non intelligentia. Apud *Ezechielem*,

"Super omnibus faciebus pudor, et in omnibus capitibus calvities" (vii. 18);

apud eundem,

"Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus" (xxix. 18):

similiter. Quare vetitum fuit Aharoni et filiis ejus radere capita sua, ac angulum barbae; de qua re apud *Mosen*,

Aharon et filii ejus non radent capita sua, nec dissuent vestes suas, ne moriantur, et Jehovah propterea irascatur toti concioni (*Levit.* x. 6);

et apud eundem,

Filii Aharonis "non inducent calvitiem capiti suo, nec angulum barbae radent" (*Levit.* xxi. 5):

per "barbam" significatur ultimum rationalis hominis, et per quod "non raderent barbam" significatur ne deprivarent se rationali, per quod ultimo ejus; nam ut supra dictum est, quando ultimum aufertur, etiam interius perit. Quid intelligitur per

Quod mulier captiva ex hostibus, si desideraretur in uxorem, tonderet caput suum, et faceret ungues suos (*Deutr.* xxi. 11, 12),

videatur supra (n. 555[c]). Quia pudor repraesentabatur per manus super caput, ideo dicitur apud *Jeremiam*,

"Etiam ab Aegypto pudefies, sicut pudefacta es ab Assyria; etiam ex illa exibis, et manus tuae super caput tuum" (ii. [36,] 37);

et apud eundem,

"Pudefacti sunt et ignominia affecti, et obtexerunt caput" (xiv. 3, 4);

et quia id repraesentativum pudoris fuit,

Ideo Thamar, postquam compressa fuit ab Ammone fratre, "posuit manum super caput, et ivit [1]eundo et clamando" (2 *Sam.* xiii. 19):

per "ponere manus super caput" significabatur quod non aliqua intelligentia esset. Etiam dolor ob peccata quod insane et stulte egerint, repraesentabatur per quod spargerent pulverem super caput, et quod in terram usque detruderent caput, per quod etiam significabatur maledictio:—Ut apud *Ezechielem*,

"Ascendere [2]facient pulverem super caput tuum, in cinere volvent te" (xxvii. 30);

in *Threnis*,

> "Sedent in terra, tacent seniores filiae Zionis, ascendere fecerunt pulverem super caput suum, cinxerunt se saccis, descendere fecerunt in terram caput suum, virgines Hierosolymae" (ii. 10).

Per "caput" autem in opposito sensu significatur astutia quae illis qui in amore dominandi sunt. Haec intelligitur per "caput" apud *Mosen*,

> Semen mulieris conculcabit caput serpentis, et serpens laedet calcaneum (*Gen.* iii. 15);

apud *Davidem*,

> "Dominus ad dextram tuam percussit in die irae suae reges, judicavit inter gentes, implevit cadaveribus suis; percussit caput super terram multam; e flumine in via bibet, propterea exaltabit caput" (Ps. cx. 5-7);

(quae explicata videantur supra, n. 518[*d*]:) et apud eundem,

> "Deus contundet caput hostium...., verticem capilli, ambulantibus in reatibus" (Ps. lxviii. 22 [*B. A.* 21]).

Quod astutiae, per quas malum intendunt et machinantur aliis, super ipsos redeant, significatur per

> "Dare viam in caput eorum" (*Ezech.* ix. 10; cap. xi. 21; cap. xvi. 43; cap. xvii. 19; cap. xxii. 31: *Joel* iv. [*B. A.* iii.] 4, 7).

Quid autem per

> Capita septem, super quibus diademata septem (in *Apocalypsi*, cap. xii. 3; cap. xiii. 1, 3; cap. xvii. 3, 7, 9),

significatur, videbitur infra. Praeterea per "caput," quia supremum et primarium est in homine, etiam plura significantur; sicut cacumen montis, fastigium, primarium, principium viae, plateae, mensis, et similia.

578. ***"Ex oribus illorum exivit ignis, et fumus, et sulphur."***—Quod significet *cogitata et inde ratiocinia scaturientia ex amore mali et ex amore falsi, et ex concupiscentia destruendi vera et bona per falsa mali*, constat ex significatione "oris," quod sit cogitatio et inde ratiocinatio (de qua in explicatione ad versum 19, sequentem); ex significatione "ignis," quod sit amor sui, et inde amor mali (de qua supra, n. 504[*c–e*], 539); ex significatione "fumi," quod sit densum falsum scaturiens ex amore mali (de qua etiam supra, n. 494, 539); et ex significatione "sulphuris," quod sit concupiscentia destruendi ecclesiae vera et bona per falsa mali. Quod haec per "sulphur" significetur, constare potest ex Verbo ubi nomi-

natur:—Ut apud *Mosen*,

> "Jehovah pluere fecit super Sodomam et Amoram sulphur et ignem" (*Gen.* xix. 24);

et apud *Lucam*,

> "Quo die egressus est Lothus e Sodoma, pluit igne et sulphure e caelo, et perdidit omnes; juxta hoc fiet quo die Filius hominis revelabitur" (xvii. 29, 30):

per illos qui "in Sodoma et Amora" fuerunt, intelliguntur qui in falsis mali ex amore sui; et quia falsa mali ex illo amore [1]perdiderunt eos, ideo pluit sulphur et ignis, "sulphur" ex concupiscentia perdendi ecclesiam per falsa mali, "ignis" quia concupiscentia illa scaturivit ex amore sui: quod ita fiet quando Filius hominis revelabitur, significat quod etiam tunc falsa mali ex amore sui ecclesiam perditura sint. Talis pluvia etiam apparet in mundo spirituali quando mali qui in falsis ex illo amore sunt, in infernum dejiciuntur. Apud *Mosen*,

> Quid dicent filii vestri...."et alienigena,....cum videbunt plagas terrae hujus et morbos ejus?....Sulphur, sal, et combustio tota terra, non conseratur, nec germinet, nec ascendat in ea ulla herba; juxta eversionem Sodomae et Amorae, Adamae et Zeboim" (*Deutr.* xxix. 21, 22 [*B. A.* 22, 23]):

sunt hae maledictiones quae denuntiantur filiis Israelis, si non custodiunt praecepta et statuta, et si colunt alios deos; et quia tunc ecclesia vastatur et destruitur per falsa mali et per mala falsi, dicitur quod tunc "sulphur, sal, combustio tota terra;" "terra" significat ecclesiam: et per quod "non conseretur, non germinabit, nec ascendet super ea ulla herba," significatur quod amplius non recipietur et producetur aliquod verum ex bono. Apud *Esaiam*,

> "Paratum est ab heri Thopheth, etiam hoc regi praeparatum est, in profundum et latum descendet; rogus ejus, ignis et ligna multa, flatus Jehovae sicut fluvius sulphuris accendens eum" (xxx. 33):

per "Thopheth" significatur infernum ubi dirus et saevus amor destruendi omnia vera et bona ecclesiae regnat, imprimis ubi saeva cupiditas perdendi bona innocentiae; quod id infernum dirum sit ex falsis mali, significatur per quod "in profundum et latum descendet:" "rex" cui id praeparatum est, significat ipsum falsum infernale; "rogus ejus, ignis et ligna," significant mala omnis generis quae

sunt illius amoris: et quia id infernum ardet ex concupiscentia destruendi, dicitur quod "flatus Jehovae sicut fluvius sulphuris accendit eum;" ibi enim, ut primum audiunt ecclesiae vera et percipiunt ejus bona ab aliquo, accenduntur sicut furore destruendi et exstinguendi illa. Apud *Esaiam*,

" Dies vindictae Jehovae, annus retributionum pro lite Zionis ; et convertentur torrentes ejus in picem, et pulvis ejus in sulphur, et erit terra ejus in picem ardentem, noctu et diu non exstinguetur, in aeternum ascendet fumus ejus" (xxxiv. 8–10):

"dies vindictae Jehovae, et annus retributionum pro lite Zionis," significat adventum Domini, ac ultimum judicium tunc ab Ipso factum; quod "convertentur torrentes in picem, et pulvis in sulphur," significat infernum in quod illi qui in falsis mali et in malis falsi sunt, conjicientur; malum amoris infernalis et ejus poena significatur per quod "pix ardens noctu et diu non exstinguetur;" et dirum falsum ex illo malo, per quod "fumus in aeternum ascendet." Apud *Ezechielem*,

"Disceptabo cum" Gogo "peste et sanguine, et pluviam inundantem, et lapides grandinis, ignem et sulphur pluere faciam super eum" (xxxviii. 22):

per "Gogum" intelliguntur qui in sancto et pio externo ponunt omnem cultum, et non in interno, cum tamen cultus externus talis est qualis internus; et dicitur, quod "Jehovah super illos pluere faciet pluviam inundantem, lapides grandinis, ignem et sulphur," per quae significatur quod falsa et mala destruentia omnia ecclesiae vera et bona; "ignis et sulphur" sunt mala falsi et falsa mali, utraque diabolica. Apud *Davidem*,

Jehovah "pluet super impios laqueos, ignem et sulphur ; et ventus procellarum portio calicis eorum" (Ps. xi. 6):

per haec significatur quod impii destruentur per sua mala falsi et per sua falsa mali, quae destruent omnia vera ecclesiae apud illos; "laquei, ignis et sulphur" sunt mala falsi et falsa mali; et "ventus procellarum" qui portio calicis eorum, significat destructionem omnis veri: quod non intelligatur quod pluet ignis et sulphur super impios, patet, nam dicitur etiam quod "pluent laquei;" quare per "ignem et sulphur" talia significantur quae ecclesiae vera et

bona prorsus destruunt. Similiter apud *Hiobum*,

> "Spargetur super habitationem" impii "sulphur" (xviii. 15);

per "sulphur" enim tale falsum mali intelligitur quod destruit omne ecclesiae apud hominem, quod est falsum ex malo amoris sui, quale fuit illis qui in Sodoma et Amora, de quo dicitur,

> Quod non modo everterit urbes et habitatores, sed etiam planitiem et germen agri (*Gen.* xix. 25):

"germen agri" significat verum ecclesiae nascens. Similia per "ignem" et "sulphur" significantur in sequentibus in *Apocalypsi*,

> "Qui bestiam adorat, et imaginem ejus,....cruciabitur sulphure et igne" (xiv. 9, 10);
> "Bestia et pseudopropheta....viventes conjecti sunt in stagnum ignis ardens sulphure" (xix. 20);
> "Diabolus....conjectus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi bestia et pseudopropheta" (xx. 10);
> "Homicidis, scortatoribus et incantatoribus et idololatris et omnibus mendacibus pars erit in stagno ardente igne et sulphure" (xxi. 8).

579. [*Vers.* 18.] ***"A tribus his occisa est tertia pars hominum, ex igne et ex fumo et ex sulphure exeunte ex oribus illorum."***—Quod significet *quod omnis intellectus veri et inde vita spiritualis ex illis exstincta sit*, constat ex significatione "tertiae partis hominum," quod sit omnis intelligentia seu intellectus veri, et quia inde est vita spiritualis, ideo etiam haec involvitur; ex significatione "occidi," quod sit exstingui, nam cum intellectus veri exstinguitur, homo spiritualiter occiditur (videatur supra, n. 315[*a,b*]): (quod "tertia pars," cum de veris, sit omne, [supra] n. 506; et quod homo sit intellectus veri et perceptio boni, n. 280, [1]546;) et ex significatione "ignis, fumi et sulphuris exeuntium ex oribus illorum," quod sint cogitata et inde ratiocinia scaturientia ex amore mali, ex amore falsi, et ex concupiscentia destruendi vera et bona per falsa mali (de qua mox supra, n. 578): ex his videri potest quid per illa verba significatur. Haec dicuntur de "equis" in visione visis, quod nempe "ex illorum oribus exiverit ignis, fumus et sulphur;" et quia per "equos" in visione visos significantur falsificationes Verbi per ratiocinia ex fallaciis, patet quod per "ignem, fumum et sulphur" significentur illa quae causantur, quae sunt amores mali et falsi ac concupiscentiae destruendi vera et bona

ecclesiae; et hoc fit per cogitata et ratiocinia ex fallaciis de sensu et intellectu Verbi: quando enim homo non cogitat nisi ex fallaciis, cogitat solum ex illis quae in sensu litterae ad primum visum exstant, et non ex aliquo sensu litterali interiori: inde admodum crassas et duras ideas de omni doctrinali, quod ex Verbo, captat; sicut de Deo, quod irascatur, puniat, in infernum conjiciat, tentet, quod Ipsum paeniteat, et plura similia, praeter quod corporee et materialiter de singulis quae in Verbo legit, et nihil spiritualiter, cogitet; inde est quod mere sensualiter; et cum mere sensualiter, tunc solum ex amore sui et mundi; et cum ex his, solum ex malis et falsis. Quare cum sibi relictus ex suo spiritu cogitat, tunc ex illorum amorum affectione cogitat, quos illis quae in Verbo sunt conjungit; et cum Divina Verbi conjunguntur talibus, tunc adulterantur et falsificantur omnia quae ibi; nam Divina Verbi nusquam conjungi possunt quam cum amore caelesti seu cum affectione spirituali; si cum alio amore, seu cum alia affectione, tunc clauditur mens superior, quae vocatur mens spiritualis, et modo aperitur mens inferior, quae vocatur mens naturalis; immo apud illos qui conjungunt Verbi vera cum affectione amoris sui, clauditur etiam mens naturalis, et aperitur modo ultimum hujus mentis, quod vocatur sensuale, quod proxime inhaeret corpori, et proxime exstat mundo; inde est quod spiritus hominis fiat corporeus, qui nullam sortem habere potest cum angelis, qui sunt spirituales.

580. [*Vers.* 19.] ***"Nam potestas illorum in ore illorum erat."***—Quod significet *cogitationes sensuales et inde ratiocinationes, quod illis maxime valerent*, constat ex significatione "potestatis illorum," quod sit valere, hic maxime valere; et ex significatione "oris," quod sit cogitatio sensualis et inde ratiocinatio: per "os" enim et per ea quae oris sunt significantur illa quae intellectus et inde cogitationis et loquelae sunt, haec enim correspondent ori; nam omnia organa quae una voce dicuntur oris, sicut larynx, glottis, guttur, lingua, os, labia, sunt organa inservientia intellectui pro enuntiatione et elocutione; inde est quod per "os" significetur cogitatio et inde ratiocinatio: at quia cogitatio hominis est interior et exterior, nempe spiritualis, naturalis et sensualis, ideo per "os" significatur cogitatio

quae est homini de quo agitur, hic cogitatio sensualis, quia de homine facto sensuali per falsa mali agitur. Cogitatio sensualis est cogitatio omnium infima, et est materialis et corporea; in hac cogitatione sunt omnes qui in malis quoad vitam et inde in falsis quoad doctrinam sunt, utcunque creduntur docti et eruditi, et quoque utcunque possunt falsa in decora serie concinnare, ac elegante et eloquente sermone exornare. Quod "os" ex correspondentia, ita in spirituali sensu, significet cogitationem, at in sensu naturali enuntiationem, constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Davidem*,

> "Os justi meditatur sapientiam" (Ps. xxxvii. 30):

per "os" ibi significatur cogitatio ex affectione, nam homo ex illa meditatur sapientiam, non autem ex ore et ejus loquela. Apud *Lucam*,

> Jesus dixit, "Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt se opponere" (xxi. 15):

"os" ibi pro loquela ex intellectu, ita pro cogitatione ex qua homo loquitur. Apud *Matthaeum*,

> "Non quod intrat in os, immundum reddit hominem; sed quod egreditur ex ore, hoc immundum reddit hominem:....quod ingreditur in os, in ventrem abit, et in latrinam ejicitur; quae vero egrediuntur ex ore, ex corde egrediuntur;....ex corde egrediuntur cogitationes malae, caedes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, blasphemiae" (xv. 11, 17-19):

per "illa quae ingrediuntur in os" in sensu litterae intelliguntur omnis generis cibi, qui post usum in corpore per ventrem abeunt in latrinam; at vero in sensu spirituali per "illa quae ingrediuntur in os" significantur omnia quae ex memoria et quoque ex mundo intrant in cogitationem, haec etiam correspondent cibis; et illa quae ingrediuntur cogitationem et non simul voluntatem, non immundum reddunt hominem, nam memoria et inde cogitatio sunt homini solum sicut introitus ad illum, quoniam voluntas est ipse homo: quae modo ingrediuntur cogitationem et non ulterius, illa quasi per ventrem in latrinam rejiciuntur; "venter" ex correspondentia significat mundum spirituum, unde cogitationes apud hominem influunt, et "latrina" significat infernum. Sciendum est quod homo non purificari possit a malis et inde falsis, nisi immunda

quae ei insunt emergant usque in cogitationem, ac ibi videantur, agnoscantur, discernantur et rejiciantur. Ex his patet quod per "id quod ingreditur in os" in sensu spirituali significetur quod ingreditur in cogitationem ex memoria et ex mundo; at vero per "id quod egreditur ex ore" in sensu spirituali significatur cogitatio ex voluntate seu ex amore: per "cor" enim, ex quo egreditur in os et ex ore, significatur hominis voluntas et amor; et quia amor et voluntas faciunt totum hominem, homo enim talis est qualis ejus amor, inde illa quae inde in os et ex ore egrediuntur, immundum faciunt hominem; quae quod sint mala omnis generis, constat ex enumeratis ibi. Ita intelligitur hoc Domini verbum in caelis. (Quod "cor" significet voluntatem et amorem, videatur supra, n. 167.) Apud *Esaiam*,

> "Volavit ad me unus ex seraphim, in cujus manu pruna....ex altari: et tetigit os meum et dixit, Ecce tetigit haec labia tua, ideo recessit iniquitas tua, et peccatum tuum expiatur" (vi. 6, 7):

quod "unus ex seraphim tetigerit pruna ex altari os et labia prophetae" significat purificationem ejus interiorem, quae est intellectus et voluntatis, et inde inaugurationem in munus docendi; per "prunam ex altari" significatur Divinus Amor, a quo omnis purificatio; et per "os" et "labia" significatur cogitatio et affectio, seu quod idem, intellectus et voluntas; quibus purificatis homo ab iniquitate et peccato removetur; quare dicitur, "Ideo recessit iniquitas tua, et peccatum tuum expiatur:" quod non recedat iniquitas per prunam admotam ori et labiis, unicuivis constare potest. (Quod illa quae oris sunt correspondeant intellectualibus, quia ex illis vox et loquela procedit, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 8068, 9384. "Ex ore et ex corde," quod sit ex intellectu et voluntate, n. 3313, 8068, ibi.)

581[a]. ***"Nam caudae illorum similes serpentibus, habentes capita."***—Quod significet *quod ex scientificis sensualibus, quae fallaciae, astute ratiocinentur*, constat ex significatione "caudarum," hic equorum, quod sint scientifica, quae vocantur sensualia quia sunt ultima intellectus (de qua supra, n. 559); ex significatione "serpentum," quod sint astutiae sensualis hominis (de qua sequitur); et ex significatione "habere capita," quod sit ratiocinari per illa scientifica; nam per "caput" significatur intelligentia, inde per "habere caput" intelligens esse; quod sit ratiocinari per illa scientifica, est quia per "caput," cum de sensuali homine, sig-

nificatur scientia, et inde fatua cogitatio (videatur supra, n. [1]577[a]), proinde etiam ratiocinatio per scientifica sensualia: ex his constare potest quod per "caudas equorum similes serpentibus, habentes capita" significetur quod ex scientificis sensualibus, quae fallaciae, astute ratiocinentur. Dicitur quod sint fallaciae, quia scientifica sensualia fiunt fallaciae quando homo ex illis ratiocinatur de spiritualibus: ut pro exemplo, quod dignitates et opulentiae sint reales benedictiones; quod gloria, qualis est magnatibus in mundo, sit in qua beatitudo caelestis consistit; et quod Dominus velit adorationem ab homine propter Sui gloriam; et similia alia, quae sunt fallaciae quando spiritualibus applicantur; nam homo sensualis, quia non pollet intelligentia, ita cogitat, non enim aliter scire potest. Quod "serpentes" in Verbo [2]significent sensualem hominem quoad astutiam, et quoad prudentiam, constare potest ex sequentibus:—Apud *Mosen*,

> "Serpens factus astutus prae omni fera agri quam fecerat Jehovah Deus" (*Gen.* iii. 1):

per "serpentem" hic non intelligitur serpens, sed sensualis homo, et in communi sensu ipsum sensuale, quod est ultimum intellectus humani; per "hominem et ejus uxorem" significatur Ecclesia Antiquissima, quae lapsa est quando homines istius ecclesiae coeperunt ex scientificis sensualibus ratiocinari de Divinis, quod significatur per "edere ex arbore scientiae;" astutia eorum in ratiocinando de Divinis ex sensuali describitur per ratiocinationem serpentis cum uxore Adami, ex qua decepti sunt. Quod serpens dicatur "astutus prae omni fera agri," est quia ei venenum est, et inde morsus ejus letalis, et quia in latebris se recondit; "venenum" significat astum et dolum, et inde "morsus" ejus noxam letalem; et "latebrae" e quibus mordet et in quibus se recondit, significant astutias. Sciendum est quod omnes "bestiae" significent affectiones, quales sunt apud homines; ac "serpentes" significant affectiones sensualis hominis, ex causa quia serpunt humi super ventre, similiter ut sensuale hominis; hoc enim infimo loco est, et quasi repit humi sub reliquis: etiam sensuales homines in mundo spirituali in inferioribus habitant, non enim elevari possunt versus superiora, quoniam

in externis sunt, et ex illis de omni re judicant et concludunt; etiam mali qui in infernis sunt plerique sensuales sunt, et multi eorum astuti; quare etiam apparent sicut serpentes varii generis, dum spectantur e luce caeli; inde est quod diabolus appelletur "serpens." Quod infernales etiam astuti sint, est causa, quia malum in se recondit omnem astutiam et malitiam, sicut bonum omnem prudentiam et sapientiam. (De qua re videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 576–581, ubi actum est De Malitia et Artibus nefandis Spirituum Infernalium.) Inde nunc est quod diabolus seu infernum dicatur "serpens" in sequentibus locis:—In *Apocalypsi*,

> "Draco serpens antiquus,...diabolus et satanas, qui seducit totum terrarum orbem" (xii. 9, 14, 15; cap. xx. [1]2);

apud *Davidem*,

> "Exacuerunt linguam sicut serpens, venenum aspidis sub labiis eorum" (Ps. cxl. 4 [*B. A.* 3]);

per quae significatur astuta et dolosa eorum deceptio. Apud eundem,

> "Venenum eorum instar veneni serpentis" (Ps. lviii. 5 [*B. A.* 4]);

apud *Hiobum*,

> "Venenum aspidum suget, occidet eum lingua viperae" (xx. 16);

et apud *Esaiam*,

> "Ova aspidis ponebant, et telas araneae texebant; qui comedit de ovis illorum, moritur; et quando quis exprimit, excluditur vipera" (lix. 5):

haec de hominibus malis qui dolo et astu seducunt in spiritualibus; clandestina mala, ad quae astute allectant, significantur per "ova aspidis" quae ponunt; dolosa falsa significantur per "telas araneae" quas texunt; letalis noxa, si recipiuntur, significatur per "Qui comedit de ovis illorum, moritur; et quando quis exprimit, excluditur vipera." Quoniam Pharisaei tales erant, ideo vocantur a Domino

> "Serpentes, progenies viperarum" (*Matth.* xxiii. 33).

Quod astutiae et malitiae talium nihil nociturae sint illis quos Dominus tutatur, significatur per quod

> "Ludet sugens super foramine viperae, et super speluncam basilisci ablactatus manum [suam] impellet" (*Esai.* xi. 8):

per "sugentem" et "ablactatum" significantur qui in bono

innocentiae sunt, qui sunt qui in amore in Dominum; et per "foramen viperae" et "speluncam basilisci" intelliguntur inferna in quibus dolosi et astuti spiritus sunt; apparent etiam introïtus ad illa sicut furva foramina, ac intus sicut speluncae. Quod astutiae et malitiae spirituum infernalium non nocerent illis quos Dominus tutatur, etiam significatur per haec Domini verba,

> Quod possent calcare super serpentes et scorpios, et super omnem potestatem inimici (*Luc.* x. 19);
> Tum quod possent tollere serpentes, et quoque bibere letale, nec nociturum illis (*Marc.* xvi. 18):

"calcare super serpentes" significat contemptui habere et vilipendere dolos, astutias, et artes nefandas turbae infernalis; quare etiam dicitur, "et super omnem potestatem inimici;" "inimicus" est illa turba, et "potestas" ejus est astutia.

[***b.***] Malitiae et astutiae spirituum infernalium, qui simul sumpti vocantur "diabolus" et "satanas," per "serpentes" etiam intelliguntur in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> Jehovah Deus "ducens te per desertum magnum et formidabile, serpentis, presteris et scorpionis" (*Deutr.* viii. 15):

per profectiones filiorum Israelis in deserto repraesentabantur et inde significabantur tentationes fidelium; infestationes tunc ab infernis per malos spiritus et genios, significantur per "serpentes, presteres et scorpiones." Apud *Esaiam*,

> "Ne laeteris, Philisthaea tota, quod fracta sit virga percutiens te, nam e radice serpentis exibit basiliscus, cujus fructus prester volans" ([1]xiv. 29):

per "Philisthaeam" significatur fides separata a charitate; seductio multorum per sophismata, quibus illa fides confirmatur, describitur per quod "e radice serpentis exibit basiliscus, cujus fructus prester volans." Apud *Jeremiam*,

> "Ecce Ego mittens inter vos serpentes basiliscos, contra quos non in cantatio, et mordebunt vos" (viii. 17);

apud eundem,

> "Vox ejus sicut serpentis ibit" (xlvi. 22, 23):

apud *Amos*,

> "Si [2]occultaverint se coram oculis meis in fundo maris, inde praecipiam serpenti ut mordeat eos" (ix. 3).

Etiam astutiae significantur per

> "Leviathanem serpentem tortuosum" (*Esai.* xxvii. 1).

Quod per "serpentes" significetur astutia et quoque prudentia quae apud sensuales homines, constare potest a Domini verbis apud *Matthaeum*,

> "Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae" (x. 16):

"prudentes" dicuntur qui in bono, "astuti" qui in malo, est enim prudentia veri ex bono, et astutia falsi ex malo; et quia ad illos qui in bono sunt illa dicuntur, ideo per "serpentes" in eo loco etiam intelligi potest prudentia. Quoniam astutiae malorum sunt diabolicae, idcirco illi qui in illis sunt dicuntur "comedere pulverem:"—Apud *Mosen*,

> Dictum ad serpentem, "Maledictus esto prae omnibus bestiis, et prae omnibus feris agri; super ventre tuo ambulabis, et pulverem comedes omnibus diebus vitae tuae" (*Gen.* iii. 14);

apud *Esaiam*,

> "Serpenti pulvis panis" (lxv. 25);

et apud *Micham*,

> "Lambent pulverem sicut serpens" (vii. 17):

per "pulverem" significatur damnatum; et per "ambulare super ventre" significatur sensuale, quod est ultimum vitae apud hominem; et quia ultimum vitae est, ideo in nulla intelligentia et sapientia est, sed in astutia et malitia, quae intelligentiae et sapientiae contrariae sunt. Apud *Mosen*,

> "Dan serpens super via, serpens jaculus super semita, mordens calcaneos equi, et cadet [1]eques ejus retrorsum" (*Gen.* xlix. 17):

quid hoc propheticum de Dane significat, nemo scire potest nisi sciat quid significatur per "equum" et ejus "calcaneos," tum quid per "serpentem;" per "equum" significatur intellectus veri, et per "equitem" intelligentia; per "serpentem" significatur sensuale, quod est ultimum vitae intellectualis; per "calcaneos equi" significantur vera in ultimis, quae sunt scientifica sensualia; quod sensuale per ratiocinationes ex fallaciis laedat et seducat intellectum, significatur per quod "serpens mordeat calcaneos equi, et cadet eques ejus retrorsum:" haec dicta sunt de Dane, quia tribus ex illo nominata erat ultima tribuum, et inde

significabat ultima veri et boni, proinde ultima ecclesiae (de qua re videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1710, 3923, 6396, 10335, ubi hoc propheticum etiam explicatum est). Sensuale, quod ultimum vitae intellectualis est, etiam significatur per

"Serpentem oblongum" (*Esai.* xxvii. 1; *Hiob.* xxvi. 13):

tum etiam per

Serpentem, in quem baculus Mosis conversus est (*Exod.* iv. 3, 4; cap. vii. 9–12).

(Videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 6949, 7293.) Etiam sensualia, quae sunt ultima vitae hominis, significantur per

"Serpentes presteres" missos in populum, qui reverti voluit in Aegyptum;

at sanatio a morsu talium serpentum, a Divino sensuali Domini, significatur per

"Serpentem aeneum" positum super signum, a quo aspecto revixerunt (*Num.* xxi. 5–9);

Divinum sensuale Domini dicitur, quia Dominus, cum in mundo fuit, glorificavit, hoc est, Divinum fecit, totum Humanum suum usque ad ultimum ejus; ut constare potest ex eo, quod nihil in sepulchro reliquerit, et quod dixerit ad discipulos

Quod ossa et carnem habeat, quae non spiritus habet (*Luc.* xxiv. 39, 40).

Ultimum sensuale, quod Dominus etiam glorificavit seu Divinum fecit, significatur per "serpentem" illum aeneum positum super signum, de quo Ipse Dominus ita apud *Johannem*,

"Sicut Moses exaltavit serpentem..., ita oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in Ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam" (iii. 14, 15):

per tale signum repraesentatus est Dominus coram populo Israelitico et Judaico, quia illi mere sensuales fuerunt, et sensualis homo non potest elevare cogitationem suam, cum ad Dominum, ultra et supra sensuale; quisque enim aspicit Dominum secundum elevationem intellectus sui, spiritualis homo ad Divinum rationale, et sic porro: ex his patet quod per "serpentem aeneum" etiam significetur sensuale, sed sensuale glorificatum seu Divinum Domini.

582. *"Et in his laedunt."*—Quod significet *quod sic pervertant vera et bona ecclesiae*, constat ex significatione "laedere," quod sit pervertere vera et bona ecclesiae per ratiocinia astuta ex scientificis sensualibus seu fallaciis; nam per "equos" in visione, de quorum caudis haec dicuntur, significantur falsificationes Verbi per ratiocinationes ex fallaciis (videatur supra, n.[1] 575). Ex equis ita visis Johanni, videri potest quales sunt apparentiae repraesentativae in caelo; quod nempe affectiones ibi, quando repraesentantur per animalia, sistantur in talium animalium formis quales apparent in nostro mundo, sed usque passim cum varietate quoad membra eorum, imprimis quoad vultus; quorum singula ex correspondentia significant affectionis ita repraesentatae varia: ut hic, quod "visi sint equi, quorum capita essent sicut capita leonum, et caudae similes serpentibus, habentes capita;" et quod sedentes super equis haberent "thoraces igneos, hyacinthinos et sulphureos." Animalia in variis formis in dies apparent in mundo spirituali, et quoque a me saepius visa sunt; et qui correspondentias novit, is scit quid singula significant: omnes enim affectiones, quae fluunt ex mentibus angelicis, effigiantur coram oculis eorum per omnis generis animalia, quae super terra, quae in aere, et quae in mari: tum etiam per subjecta omnium quae in regno terrae vegetabili, et per subjecta omnium quae in regno terrae minerali. Inde est quod talia in nostro mundo facta sint repraesentativa caelestium et spiritualium. Quod talia repraesentativa in mundo spirituali existant, est quia ibi sunt spiritualia interiora et exteriora; spiritualia interiora sunt omnia illa quae sunt affectionis et inde cogitationis, seu quae sunt intelligentiae veri et sapientiae boni; et spiritualia exteriora ita creata sunt a Domino ut induant seu investiant spiritualia interiora; et cum haec induta et investita sunt, tunc existunt tales formae quales sunt in mundo naturali, in quae ideo interiora spiritualia ultimo desinunt, et in quibus ultimo existunt.

VERSUS 20, 21.

583. *"Et reliqui homines, qui non occisi sunt in plagis his, neque paenitentiam egerunt ex operibus manuum suarum, ut non adorarent daemonia, et idola aurea et argentea et aerea et lapidea et lignea, quae neque videre possunt, neque audire, neque ambulare. Et non egerunt paenitentiam ex homicidiis suis, neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis."*

20. *"Et reliqui homines, qui non occisi sunt in plagis his,"* significat *qui non perierunt ex cupiditatibus supradictis* [n. 584]; *"neque paenitentiam egerunt ex operibus manuum suarum,"* significat *qui non actualiter averterunt se a talibus quae ex proprio* [n. 585]; *"ut non adorarent daemonia,"* significat *ne colerent suasmet cupiditates* [n. 586]; *"et idola aurea et argentea et aerea et lapidea et lignea,"* significat *doctrinalia falsa, quae ex propria intelligentia, faventia amoribus corporis et mundi et principiis inde captis* [n. 587]; *"quae neque videre possunt, neque audire, neque ambulare,"* significat *in quibus et a quibus nihil intellectus veri et perceptionis boni, et sic nihil vitae spiritualis* [n. 588].

21. *"Et non egerunt paenitentiam ex homicidiis suis,"* significat *qui non actualiter averterunt se ab exstinguendo illa quae intellectus veri, voluntatis boni, et inde vitae spiritualis sunt* [n. 589]; *"neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis,"* significat *a pervertendo bonum et a falsificando verum* [n. 590]; *"neque ex furtis suis,"* significat *ab eripiendo cognitiones veri et boni, et sic media comparandi sibi vitam spiritualem* [n. 591].

584. [*Vers.* 20.] *"Et reliqui homines, qui non occisi sunt in plagis his."*—Quod significet *qui non perierunt ex cupiditatibus supradictis*, constat ex significatione "reliquorum hominum qui non occisi sunt," quod sint omnes illi qui non perierunt; quod "occidi" in Verbo significet spiritualiter occidi, quod est perire morte aeterna, videatur supra (n. 547, 572): et ex significatione "plagarum harum," quod sint cupiditates supradictae, quae nempe significantur per "ignem," "fumum" et "sulphur" exeuntia ex oribus equorum, per quae quod significatae sint cupiditates oriundae ex amore mali et amore falsi, tum concupiscentiae destruendi vera et bona ecclesiae per falsa mali, videatur supra (n. 578). Illa dicuntur "plagae," quia per "plagas" in Verbo significantur talia quae destruunt vitam spiritualem apud homines, et consequenter ecclesiam, proinde quae inducunt mortem in spirituali sensu intellectam; quae in summa se referunt ad cupiditates scaturientes ex amoribus sui et mundi; hi enim amores sunt radices, ex quibus omnis generis et omnis speciei mala et falsa propullulant et nascuntur. Talia per "plagas" etiam significantur in sequentibus in *Apocalypsi*,

Duo testes "potestatem habent super aquas, ut vertant eas in sanguinem, et percutiant terram omni plaga, quoties voluerint" (xi. 6);

alibi,

> "Blasphemarunt homines Deum prae plaga grandinis, quia magna erat plaga ejus valde" (xvi. 21);

alibi,

> "In una die venient plagae" Babyloni, "mors et planctus et fames" (xviii. 8);

et alibi,

> "Vidi....septem angelos habentes septem plagas ultimas, per quas consummanda erat ira Dei" (xv. 1, 6, 8).

Quod per "plagas" intelligantur talia quae inducunt homini mortem spiritualem, consequenter quae prorsus perdunt et devastant ecclesiam apud homines in particulari et sic in communi, videbitur in explicatione locorum sequentium, ubi nominantur "plagae," et imprimis ubi de "septem plagis ultimis" agitur. Similia per "plagas" intelliguntur apud *Prophetas* in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septupla,....in die quo obligabit Jehovah fracturam populi sui, et vulnus plagae ejus sanabit" (xxx. 26);

apud *Jeremiam*,

> "Desperatum confractioni tuae, aegra plaga tua,....plaga hostis percussi te;....ascendere faciam sanitatem tibi, a plagis tuis sanabo te" (xxx. 12, 14, 17);

apud eundem,

> "Omnis transiens praeter" Edomum...."sibilabit super omnibus plagis ejus" (xlix. 17);

apud eundem,

> "Omnis transiens praeter Babelem....sibilabit super omnibus plagis ejus" (l. 13);

apud *Mosen*,

> "Si non [1]custodias facere omnia verba Legis...., mirabiles reddet Jehovah plagas tuas,....plagas magnas et constantes, et morbos malos et constantes:....omnem morbum et omnem plagam, quae non scripta in Libro Legis hujus, occulte mittet Jehovah super te, usque dum perdaris" (*Deutr.* xxviii. [58,] 59, 61):

per "plagas" ibi significantur plagae spirituales, quae non corpus sed animam perdunt (quae etiam in eo capite in *Deuteronomio* enumerantur a vers. 20 ad 68). Quid "plagae" in spirituali sensu significant, describitur per correspondentias apud *Sachariam*,

"Haec erit plaga qua percutiet Jehovah omnes populos qui pugnabunt contra Hierosolymam, contabescet caro cujusque ut ipse stet super pedibus suis, et oculi ejus contabescent in foraminibus suis, et lingua ejus contabescet in ore ejus. ....Ita habebit se plaga equi, muli, cameli, asini et omnis bestiae, quae erit in castris illis, juxta plagam hanc" (xiv. 12, 15);

haec dicta sunt de illis qui per falsa conantur destruere vera ecclesiae; "Hierosolyma" significat ecclesiam quoad vera doctrinae: et "pugnare contra illam" est conari destruere illa per falsa: quod "contabescet caro cujusvis ut ipse stet super pedibus" significat quod apud illos qui id conantur, peritura sit omnis voluntas boni, et quod illi sic futuri mere naturales corporei, "caro" enim significat voluntatem ac ejus bonum aut malum, "pedes" significant illa quae sunt naturalis hominis, inde "stare super illis" significat ex illis solis vivere: quod "oculi contabescent in foraminibus suis" significat quod periturus sit omnis intellectus veri ("oculi" illum significant); quod "contabescet lingua in ore ejus" significat quod peritura sit omnis perceptio veri et effectio boni. (De his videatur supra, n. 455[*b*], ubi hoc propheticum etiam explicatum est.) Similia paene significantur per "plagas equi, muli, cameli, asini, et omnis bestiae;" per "plagam" enim eorum significatur jactura omnis intellectus veri tam spiritualis quam naturalis, et per "plagam bestiae" significatur jactura omnis affectionis boni. Apud *Lucam*,

Eadem hora qua misit Johannes, Jesus "sanavit multos a morbis et plagis spirituum malorum, et caecis multis donavit videre" (vii. 21):

per "plagas spirituum malorum" intelliguntur obsessiones et status calamitosi inflicti hominibus tunc a malis spiritibus, qui tamen omnes significabant status correspondentes spirituales; omnes enim sanationes morborum factae a Domino significabant sanationes spirituales; inde miracula Domini erant Divina; ut hoc, quod "caecis multis donaverit videre," per quod significabatur quod illis qui in ignorantia veri fuerunt dederit intelligere vera doctrinae. Per

Plagas quas latrones inflixerunt homini descendenti a Hierosolyma in Jerichuntem (*Luc.* x. 30),

etiam significantur plagae spirituales, quae erant falsa et mala infusa peregrinis et gentibus a Scribis et Pharisaeis.

(Videatur supra, n. 444[c], ubi haec parabola quoad sensum spiritualem explicata est.)

585[*a*]. ***"Neque paenitentiam egerunt ex operibus manuum suarum."***—Quod significet *qui non actualiter averterunt se a talibus quae ex proprio*, constat ex significatione "paenitentiam agere," quod sit actualiter se avertere a malo (de qua sequitur); et ex significatione "operum manuum suarum," quod sint talia quae homo cogitat, vult et facit ex proprio; quod illa per "opera manuum" significentur, constabit ex locis in Verbo, quae sequuntur; tum ex eo, quod "opera" sint illa quae sunt voluntatis et inde intellectus, seu quae amoris et inde fidei (videatur supra, n. 98); et quod "manus" significent potentiam, et "manus suae" propriam potentiam, ita etiam quicquid ex proprio hominis provenit. Quod proprium hominis attinet, sciendum est quod id non sit nisi quam malum et inde falsum; proprium voluntarium est malum, et proprium intellectuale inde est falsum; et hoc proprium trahit homo principaliter ex parentibus, avis et atavis longa retro serie, usque tandem ut hereditarium, quod est ejus proprium, non sit nisi quam malum successive congestum et condensatum: nascitur enim omnis homo in binos amores diabolicos, nempe in amorem sui et in amorem mundi, ex quibus amoribus omnia mala et inde falsa ut a suismet fontibus scaturiunt; et quia homo nascitur in illos amores, etiam nascitur in mala omnis generis (de qua re videantur plura in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 65–83). Quia homo quoad suum proprium talis est, ideo ex Divina misericordia Domini data sunt media per quae potest a proprio suo removeri; haec media data sunt in Verbo; et cum homo illis mediis operatur, hoc est, ex Divino Verbo cogitat et loquitur, vult et facit, tunc ex Domino tenetur in Divinis, et sic detinetur a proprio; et cum hoc perstat, formatur sicut novum proprium, tam voluntarium quam intellectuale, apud hominem a Domino, quod separatur prorsus a proprio hominis; sic fit homo quasi e novo creatus: hoc vocatur reformatio et regeneratio ejus per vera ex Verbo, et per vitam secundum illa. (Sed de hac re etiam videatur *Doctrina Novae Hierosolymae*, in articulis De Remissione Peccatorum, n. 159–172; et De Regeneratione, n. 173–186.) Quod paenitentiam agere sit actualiter se avertere a malis, est quia unusquisque homo talis est qualis ejus vita; ac vita hominis principaliter consistit in velle et inde facere; ex quo sequitur

quod paenitentia quae est solius cogitationis et inde oris, et non simul voluntatis et inde actus, non sit paenitentia, nam sic vita ei manet similis postea qualis fuit prius; inde patet quod paenitentiam agere sit actualiter se avertere a malis, et ingredi vitam novam. (De hac re etiam videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 159-172.)

[*b*.] Quod "opera manuum" significent talia quae homo cogitat, vult et facit ex proprio, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Jeremiam*,

> "Ne ad iram provocetis Me per opus manuum vestrarum, ut non malum faciam vobis; sed non obedivistis Mihi,....ut provocaretis ad iram Me per opus manuum vestrarum, in malum vobis. ....Servire facient eos gentes multae et reges magni, ut retribuam illis juxta opus illorum, et juxta factum manuum illorum" (xxv. 6, 7, 14):

per "opus" et "factum manuum" in proximo sensu intelliguntur fusilia et idola; in sensu autem spirituali, per "opus manuum" significatur omne malum et falsum quod ex proprio amore et ex propria intelligentia; per "fusilia et idola," quae vocantur "opera manuum," etiam talia significantur, ut in sequentibus, ubi de significatione "idolorum" agetur, videbitur: quoniam proprium hominis non est nisi quam malum, ita contra Divinum, ideo dicitur, "Ne ad iram provocetis Me per opus manuum vestrarum, ut non malum faciam vobis;" "provocare Deum ad iram" significat contra Ipsum esse, unde homini malum: et quia omnia mala et falsa ex proprio hominis sunt, ideo dicitur, "Servire facient eos gentes multae et reges magni," per quae significatur quod occupatura illos mala ex quibus falsa, et falsa ex quibus mala; "gentes multae" sunt mala ex quibus falsa, et "reges magni" sunt falsa ex quibus mala. Apud eundem,

> "Filii Israelis....provocant Me ad iram per opus manuum suarum" (xxxii. 30);

et apud eundem,

> "Ad iram provocatis Me per opera manuum vestrarum, suffiendo diis aliis in terra Aegypti" (xliv. 8):

per "opera manuum suarum" in sensu spirituali hic intelligitur cultus ex falsis doctrinae quae ex propria intelligentia; ille cultus significatur per "suffire diis aliis in terra Aegypti," "suffire" enim significat cultum, "dii alii" falsa doctrinae, ac "terra Aegypti" naturale in quo residet

proprium hominis, et sic unde est propria intelligentia; ita intelligitur hoc Verbum in caelo. Apud eundem,

> "Loquar judicia mea cum illis super omni malitia illorum, quod deseruerint Me, et suffiverint diis aliis, et incurvaverint se operibus manuum suarum" (i. 16):

per "suffire diis aliis" etiam hic significatur cultus ex falsis doctrinae; et per "incurvare se operibus manuum suarum" significatur cultus ex talibus quae ex propria intelligentia; quod ex proprio et non ex Divino, significatur per "quod deseruerint Me." Apud *Esaiam*,

> "In die illo respiciet homo ad Factorem suum, et oculi ejus ad Sanctum Israelis spectabunt, et non respiciet ad altaria, opus manuum suarum et quod fecerunt digiti ejus non spectabit" (xvii. 7, 8):

haec de adventu Domini et de nova tunc ecclesia; per "Factorem" ad quem tunc homo respiciet, intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum; et per "Sanctum Israelis" ad quem oculi ejus spectabunt, intelligitur Dominus quoad Divinum Verum; per "altaria" quae "opus manuum" et quae "fecerunt digiti," ad quae homo non spectabit, significatur cultus ex malis et inde falsis doctrinae quae ex propria intelligentia: inde per illa verba intelligitur quod omne doctrinae erit ex Domino et non ex proprio hominis, quod fit quando homo in affectione veri spirituali est, hoc est, quando amat ipsum verum quia verum, et non principaliter quia ei fama et nomen. Apud eundem,

> Jehovah "dedit deos" regum Aschuris "in ignem, quia non dii illi, sed opus manuum hominis, lignum et lapis" (xxxvii. 19):

per "deos regum Aschuris" significantur ratiocinia ex falsis et malis, quae concordant cum proprio hominis; quare etiam vocantur "opus manuum hominis:" "lignum et lapis," seu idolum ligneum et lapideum, significant mala et falsa religionis et doctrinae quae ex proprio. Apud eundem,

> "In die illo rejicient quisque idola argenti sui et idola auri sui, quae fecerunt vobis manus vestrae, peccatum; et tunc cadet Aschur" (xxxi. 7[, 8]):

hoc de instauratione ecclesiae; et per "idola argenti et idola auri," quae in die illo rejicient, significantur falsa et mala religionis et cultus, quae vocant vera et bona; et quia falsa et mala religionis et cultus sunt ex propria

intelligentia, ideo dicitur, "quae fecerunt vobis manus vestrae:" quod tunc non erunt ratiocinia ex talibus, significatur per quod "tunc cadet Aschur." Apud *Jeremiam*,

"Argentum extensum ex Tharschischo adfertur, et aurum ex Uphaso, opus fabri et manuum conflatoris, hyacinthinum et purpura vestis [1]ejus, opus sapientum tota" (x. 9):

describitur ita falsum et malum religionis et cultus, quae confirmantur ex sensu litterae Verbi; "argentum extensum ex Tharschischo" significat vera Verbi in illo sensu; et "aurum ex Uphaso" significat bonum Verbi in illo sensu; et quia falsa et mala illa ex propria intelligentia sunt, ideo vocantur "opus fabri et manuum conflatoris;" etiam verum boni et bonum veri ex sensu litterae Verbi, per quae confirmant et quasi investiunt falsa mali et mala falsi quae ex propria intelligentia, significantur per "hyacinthinum et purpuram quae vestis, opus sapientum tota." Praeterea per "opus fabri, artificis et opificis," in Verbo, etiam significatur tale doctrinae, religionis et cultus quod ex propria intelligentia. Inde erat quod altare, et quoque templum, ex mandato aedificatum fuerit ex lapidibus integris, et non ab aliquo fabro aut artifice caesis. De altari ita legitur apud *Mosen*,

"Si altare lapidum facias Mihi, non aedificabis illos caesos, quia si cælum tuum moveris super illo, profanabis illud" (*Exod.* xx. 22 [*B. A.* 25]);

et apud *Joschuam*,

"Aedificavit Joschua altare.... Deo Israelis in Monte Ebal,....altare lapidum integrorum, super quos non moverat ferrum" (viii. 30, 31):

et de templo, in *Libro Primo Regum*,

"Templum Hierosolymae aedificatum est....ex lapide integro prout allatus.... ; nam malleus aut securis, ulla instrumenta ferri, non audita sunt in domo cum aedificaretur" (vi. 7).

Altare et postea templum erant praecipua repraesentativa Domini quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum; quare per "lapides," ex quibus aedificata erant, significabantur vera doctrinae, religionis et cultus; "lapides" in Verbo etiam significant vera: ne itaque veris doctrinae et inde cultui aliquid ex propria intelligentia accederet, et consequenter inesset, repraesentatum est per quod lapides "integri" essent et non "caesi," ex quibus aedifica-

bantur; opus enim "fabri" et "artificis" talia significabat; per "cælum" etiam, "malleum," et "securim," et in genere per "ferrum," significatur verum in suo ultimo; et hoc ex proprio hominis praecipue falsificatur, nam hoc verum simile est cum vero sensus litterae Verbi. Haec de significatione "operum manuum" hominis; at ubi "opera manuum" in Verbo tribuuntur Jehovae, hoc est, Domino, significatur per illa homo reformatus seu regeneratus, tum ecclesia, et in specie doctrina veri et boni ecclesiae. Haec significantur per "opera manuum" in sequentibus locis:— Apud *Davidem*,

> "Opera manuum" Jehovae "veritas et judicium" (Ps. cxi. 7);

apud eundem,

> "Jehovah perficiet pro me; Jehovah, misericordia tua in aeternum; opera manuum tuarum ne omittas" (Ps. cxxxviii. 8);

apud *Esaiam*,

> "Populus tuus omnes justi, in aeternum possidebunt terram, surculus plantarum mearum, opus manuum mearum, ut gloriosum reddam Me" (lx. 21);

apud eundem,

> "Jehovah, Pater noster Tu, nos lutum, Tu autem Figulus noster, et opus manuum tuarum omnes nos" (lxiv. [1]7 [*B. A.* 8]);

et apud eundem,

> "Vae litiganti cum Formatore suo, testa cum testis terrae; num dicet lutum figulo suo, Quid facis? aut opus tuum, Non manus illi?.... Sic dixit Jehovah Sanctus Israelis, et Formator [2]ejus, Signa petierunt Me super filiis meis, et super opere manuum mearum praecipiunt Mihi" (xlv. 9, 11):

quod hic per "Jehovam Sanctum Israelis, Formatorem" intelligatur Dominus, constat ex versu 13, seq.; et per "opus manuum Ipsius" intelligitur homo ab Ipso regeneratus, ita homo ecclesiae. Apud eundem,

> "Benedicet Jehovah Zebaoth dicendo, Benedictus populus meus Aegyptus, et opus manuum mearum Aschur, et hereditas mea Israel" (xix. 25):

"Aegyptus" hic significat naturale, "Aschur" rationale, et "Israel" spirituale; et Aschur vocatur "opus manuum Jehovae" quia hoc reformatur apud hominem, rationale enim est quod recipit vera et bona, et ex hoc naturale; spirituale est quod regenerat, hoc est, Dominus per in-

fluxum spiritualem: verbo, rationale est medium inter spirituale et naturale; ac spirituale, quod regenerat, influit per rationale in naturale, et hoc sic regeneratur. Apud *Mosen*,

> "Benedic, Jehovah, robori ejus, et opus manuum ejus accepta" (*Deutr.* xxxiii. 11):

haec de Levi, per quem significatur bonum charitatis, et in supremo sensu Dominus quoad id bonum; reformatio per id intelligitur per "opus manuum ejus."

586. ***"Ut non adorarent daemonia."***—Quod significet *ne colerent suasmet cupiditates*, constat ex significatione "adorare," quod sit colere; et ex significatione "daemoniorum," quod sint malae cupiditates. Quod "daemonia" sint malae cupiditates, est quia per "daemonia" intelliguntur spiritus infernales, et omnes spiritus qui in infernis sunt non sunt nisi quam malae cupiditates; omnes enim spiritus qui in infernis sunt, similiter ac omnes angeli qui in caelis, ex humano genere sunt; et quisque homo post mortem fit qualis ejus vita in mundo fuit, proinde qualis ejus affectio; ita prorsus ut homo post mortem sit sua affectio, homo bonus affectio boni et veri, ac homo malus affectio mali et falsi: quisque post mortem etiam cogitat, vult, loquitur et facit secundum suam affectionem. Affectio mali et falsi est quae vocatur cupiditas, et quae significatur per "daemonium." Quid autem intelligitur per "colere daemonia" etiam paucis dicetur. Unusquisque homo est in consortio cum spiritibus; absque consortio et conjunctione cum illis nemo potest vivere; ac tales spiritus apud hominem sunt, quales ejus affectiones seu cupiditates sunt; quapropter quando homo in cultu non spectat ad Dominum nec ad proximum, sed ad semet et ad mundum, hoc est, quando colit Deum ob finem solum ut evehatur ad honores et lucretur opes, seu ut possit damno afficere alios, tunc colit daemonia; nam tunc Dominus in cultu ejus non praesens est, sed spiritus infernales, qui ei consociati sunt, praesentes sunt: apud hos spiritus etiam talis vesania est ut ipsi credant se deos esse, et coli; quisque enim spiritus, sicut quisque homo, qui in amore sui est, ambit coli sicut Deus; inde est quod talis vesana cupido resideat apud homines post mortem, quando fiunt spiritus daemo-

nes; hoc itaque significatur per "adorare daemonia." Hic cultus etiam intelligitur per "sacrificare daemonibus," apud *Mosen*,

"Ad zelum provocaruut Ipsum per alienos, per abominationes iratum reddiderunt Ipsum; sacrificant daemonibus, Deo non, diis quos non noverunt" (*Deutr.* xxxii. [16,] 17);

apud eundem,

Filii Israelis sacrificabunt ad ostium Tentorii, et "non sacrificabunt amplius sacrificia sua daemonibus, post quos scortantes illi" (*Levit.* xvii. 7):

sacrificia quae fiebant ad ostium Tentorii repraesentabant cultum Domini, quia altare et quoque Tabernaculum repraesentabant caelum, ubi Dominus est praesens; at sacrificia quae fiebant alibi, repraesentabant cultum ubi Dominus non esset praesens, ita cultum daemonum; hoc erat, quia omnia eo tempore repraesentativa erant. Apud *Davidem*,

"Sacrificarunt filios suos et filias suas daemonibus" (Ps. cvi. 37):

hoc erat prorsus infernale; sed per "sacrificare filios et filias" in sensu spirituali significabatur per malas cupiditates perdere et destruere vera et bona ecclesiae, "filii" enim significant vera ecclesiae, ac "filiae" bona ejus. Apud *Esaiam*,

"Occurrent Tziim cum Ijim, et daemon silvestris socio suo obviabit, et quiescet ibi noctua, et inveniet sibi requiem" (xxxiv. 14):

agitur ibi de totali ecclesiae devastatione per concupiscentias corporeas et mere naturales, ex quibus omnis generis falsa et mala profluunt; illae concupiscentiae significantur per "Tziim" et "Ijim," tum per "noctuam" et "daemonem silvestrem" seu satyrum. Similiter alibi apud eundem,

"[1]Cubabunt ibi Tziim, et implebuntur domus eorum Ochim, et habitabunt ibi filiae noctuae, et daemones silvestres saltabunt ibi" (xiii. 21):

haec dicta sunt de Babele; quod apud illos qui intelliguntur per "Babelem" tales concupiscentiae corporeae et mere naturales sint, ac vitam animi eorum faciant, significatur per quod "domus eorum" talibus "implebuntur," et quod "ibi habitabunt et saltabunt:" per "domum" significatur

mens seu animus hominis cum illis quae inibi, per "filias noctuae" significantur falsitates, et per "daemones silvestres" seu satyros cupiditates mere corporeae. Simile de Babele dicitur in *Apocalypsi*,

> "Babylon....facta est habitaculum daemonum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis avis immundae et exosae" (xviii. 2).

Per "daemonia" ejecta a Domino, quibus tunc plures obsessi fuerunt, significantur omnis generis falsitates, quibus ecclesia fuit infestata, et a quibus liberata est a Domino

> (Ut *Matth.* cap. viii. 16, 28; cap. ix. 32, 33; cap. x. 8; cap. xii. 22; cap. xv. 22: *Marc.* i. 32–34: *Luc.* iv. 33–38, 41; cap. viii. 2, 26–40; cap. ix. 1, 37–44, 49, 50; cap. xiii. 32: et alibi).

587[*a*]. ***"Et idola aurea et argentea et aenea et lapidea et lignea."***—Quod significet *doctrinalia falsa, quae ex propria intelligentia, faventia amoribus corporis et mundi et principiis inde captis*, constat ex significatione "idolorum," quod sint falsa doctrinae, religionis et cultus, quae ex propria intelligentia: quid autem in specie "idola aurea," "argentea," "aenea," "lapidea," et "lignea" significant, constare potest a significatione "auri," "argenti," "aeris," "lapidis" et "ligni;" per "aurum" significatur bonum spirituale, per "argentum" verum spirituale, per "aes" bonum naturale, per "lapidem" verum naturale, et per "lignum" bonum sensuale: haec omnia bona et vera intrant genuinam doctrinam, quia illa est tam ex sensu Verbi spirituali quam ex sensu Verbi naturali; quando doctrinale falsum confirmatur per spiritualia Verbi, tunc fit illud idolum aureum et idolum argenteum; cum autem id confirmatur per naturalia Verbi, qualia sunt sensus litterae ejus, tunc fit idolum aeneum et lapideum; et quando ex mero sensu litterae, fit idolum ligneum; nam sensus Verbi tam interior seu spiritualis quam exterior seu naturalis potest applicari ad confirmandum falsa, ut constare potest ex innumeris haeresibus, quae omnes inde confirmantur: confirmationes falsitatum fiunt per non intellectum Verbi sensum genuinum, ex illa causa, quia regnant amores proprii, et sic principia inde capta, quae cum regnant homo nihil videt ex luce caeli, sed quicquid videt

est ex luce mundi separata a luce caeli; et cum lux mundi separatur a luce caeli, tunc in spiritualibus fit caligo. Sciendum est quod filii Israelis, ex Aegypto et quoque ex gentibus circumcirca, foedum morem colendi idola tulerint; et quia mere externi homines fuerunt, quod etiam illum cultum ex naturali inclinatione sibi implantatum habuerint, ut constare potest ex idololatris tot regum Jehudae et Israelis memoratis in Verbo, et quoque ex ipso Salomone, qui eorum sapientissimus fuit; sed usque idola quae sibi fecerunt et quae coluerunt, ubi memorantur in Verbo, in sensu spirituali significant doctrinalia falsa quae ex propria intelligentia, ex quibus et secundum quae cultus. Haec significatio "idolorum" etiam ducit causam ex mundo spirituali; ibi mali spiritus, qui sibi falsa doctrinae finxerunt, apparent sicut idola formare, et variis insignire, usque ut appareant in forma sicut humana; et quoque desumunt ex variis repraesentativis et inaptant ut cohaereant, ut sic illam formam in externis mentiantur. Datum etiam mihi est videre formationes talium idolorum a presbyteris, qui sibi persuaserunt falsa esse vera; et quia ingenio polluerunt, sciverunt singula cum industria connectere et dein investire; tale idolum factum vidi ab Anglis, per quod repraesentaverunt solam fidem esse essentialem salutis, producentem bona charitatis absque ulla hominis cooperatione. Quod idola in mundo spirituali formentur ab illis qui in falsis doctrinae quae ex propria intelligentia sunt, est quia Divina vera, ex quibus est genuina doctrina ecclesiae, inducunt formam humanam angelis; quare etiam "angeli" in Verbo significant Divina vera; inde est quod falsa doctrinae, quae confirmantur ex Verbo, sistantur sicut idola in humana forma; vera Verbi quae falsificantur, et per quae confirmationes, inducunt illam formam; sed quia vera falsificata sunt, sistitur idolum, cui non aliqua vita.

[*b*.] Quod "idola," "sculptilia" et "fusilia" significent falsa doctrinae, religionis et cultus, constare potest ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Esaiam*,

"Sculptile fundit artifex, et conflator auro obducit illud, et catenas argenti conflat; destitutus oblatione lignum [quod] non [1]putrescet eligit; artificem sapientem quaerit sibi ad praeparandum sculptile, non commoveatur" (xl. 19, 20):

per haec describitur quomodo conflatur et compingitur doctrina per falsa, ita per talia quae ex propria intelligentia, haec omnia enim sunt falsa; per "artificem" et "conflatorem," tum per "artificem sapientem" quem sibi quaerit, intelligitur is qui tale doctrinale fingit et format; ut appareat sicut bonum in externa forma, significatur per quod "auro obducat illud;" ut falsa cohaereant et appareant sicut vera, significatur per "catenas argenti conflat;" ut sic agnoscatur, et non videatur falsum, significatur per quod "eligat lignum quod non putrescit," et per quod "sculptile praeparet ut non commoveatur." Apud *Jeremiam*,

> "Stultus factus est omnis homo a scientia, pudore affectus est omnis conflator a sculptili; quia mendacium fusile ejus, neque spiritus in eis; vanitas illa, opus errorum, in tempore visitationis eorum peribunt" (x. 14, 15; cap. li. 17, 18):

quoniam per "sculptile" significatur falsum doctrinae, religionis et cultus, ideo dicitur, "Stultus factus est omnis homo a scientia, et pudore affectus est omnis conflator a sculptili;" per "scientiam ex qua homo stultus fit" significatur propria intelligentia, quare falsum inde significatur per "sculptile;" id falsum etiam intelligitur per quod "fusile ejus sit mendacium, vanitas et opus errorum;" quod non aliqua vita spiritualis insit falsis, seu illis quae ex propria intelligentia, intelligitur per quod "non spiritus in eis;" nam in Divinis veris, seu in veris quae a Domino, solum est vita, sicut docet Dominus, "Verba quae Ego loquor vobis, spiritus sunt et vita sunt" (*Joh.* vi. 63). Apud eundem,

> "Lignum de silva cecidit, et opus manuum fabri per securim; argento et auro exornat illud; clavis et malleis firmat illa ut non vacillet, sicut palma solidum illa, nec loquuntur, portando portantur, quia non incedunt:....simul infatuantur et stultescunt, disciplina vanitatum lignum est; argentum extensum ex Tharschischo adfertur, et aurum ex Uphaso, opus fabri et manuum conflatoris, hyacinthinum et purpura vestis eorum, opus sapientum tota: contra Jehovah, Deus veritatis, Ille Deus vivus, et Rex saeculi" (x. 3–5, 8–10):

quod per "sculptile" hic intelligatur falsum doctrinae, religionis et cultus, fictum et formatum ab ingeniosis per propriam intelligentiam, constat ex singulis illius descriptionis in sensu spirituali spectatis; propria intelligentia, per quam id excuditur et formatur, intelligitur per "opus

manuum per securim," perque "opus fabri et manuum conflatoris," et per "opus sapientum;" quod "opus manuum" fabri et artificis significet id quod ex propria intelligentia, ostensum est in articulo praecedente: falsa quae inde sunt significantur per "simul infatuantur et stultescunt, disciplina vanitatum lignum est;" quod non illis aliqua vita, significatur per quod sit "sicut palma solidum," quod "non loquantur nec incedant;" "loqui" et "incedere" significant vivere, ac vivere est vivere spiritualiter: confirmationes ex Verbo significantur per "argentum extensum ex Tharschischo" quod adfertur, et per "aurum ex Uphaso," tum per "hyacinthinum et purpuram" quae vestis eorum; per "argentum ex Tharschischo" significatur verum Verbi, et per "aurum ex Uphaso" bonum Verbi, utrumque falsificatum; similiter per "hyacinthinum et purpuram:" quod omne verum doctrinae, religionis et cultus sit a Jehovah, hoc est, Domino, intelligitur per quod "Jehovah Deus veritatis, Deus vivus, Rex saeculi;" Dominus enim dicitur "Deus" ex Divino Vero, et quoque "vivus," tum "Rex." Apud *Esaiam*,

"Formatores sculptilis omnes vanitas, et desideratissima eorum non prosunt; et testes sibi ipsi non vident nec cognoscunt....; quia omnes socii ejus pudefient, et fabri ipsi....: fabricat ferrum forcipe, et operatur carbone, et malleis acutis [1]format illud; sic operatur illud per brachium roboris sui, etiam esurit usque dum non robur, neque bibit aquas usque dum fatigatur. Fabricat ligna, extendit filum, et describit illud amussi, facit illud in angulos suos, et circulo definit illud, ut faciat in forma viri, juxta pulchritudinem hominis, ad habitandum domo; ad excidendum sibi cedros, aut accepit buxum aut quercum,....et quamvis sit homini ad comburendum, et accipit de iis ut calefiat, etiamque accendat ut coquat panem, tamen facit deum, et incurvat se, facit ex eo sculptile, et adorat illud:....non cognoscunt nec intelligunt, quia obliti sunt, ut non videant oculi eorum, ut non intelligant corda eorum; neque inducit in cor suum, neque scientia et intelligentia, nec dicit,.... Nonne mendacium dextra mea?" (xliv. 9-20:)

per totam hanc descriptionem sculptilis intelligitur formatio doctrinae ex propria intelligentia; singula descriptionis significant singularia formationis; quid alioqui in Divino Verbo opus foret tam prolixa descriptione solius formationis sculptilis? Quod nihil sit nisi falsum, quia ex propria intelligentia, intelligitur per quod "formatores sculptilis omnes vanitas, et desideratissima eorum non prosunt," quod "illis non scientia nec intelligentia," et quod non dicat "Nonne mendacium dextra mea?" Pro-

pria intelligentia ex qua format falsum doctrinae, describitur per quod "fabricet ferrum forcipe, et operetur carbone per brachium roboris sui;" "fabricare ferrum forcipe et operari carbone" significat excudere falsa faventia amoribus propriis: quod conjungat falsa falsis per fallacias ex quibus apparent sicut vera, describitur per quod "extendat filum, describat amussi, faciat illud in angulos suos, circulo definiat, ut faciat in forma viri, juxta pulchritudinem hominis, ad habitandum domo;" per "formam viri" significatur apparentia veri, et per "pulchritudinem hominis" significatur apparentia intelligentiae inde, et per "habitare domo" significatur apparentia vitae spiritualis inde; quod nulla vita intelligentiae et perceptionis veri et boni inde sit, significatur per quod "non cognoscant neque intelligant," quod "non videant oculi eorum, nec intelligant corda eorum." Quid singula in hac descriptione in specie significant, non vacat ob prolixitatem exponere; satis est quod quisque videre possit quod interius et sapientius quid significetur quam solum formatio sculptilis; sciatur quod in descriptione illa lateat sapientia caelestis, quae ineffabilis, in qua sunt angeli cum illa ab homine leguntur, tametsi homo nihil aliud cogitat quam de sculptili et ejus formatione; quot enim ibi voces, tot correspondentiae sunt, et inde tot sapientiae arcana. Apud *Habakuk*,

> "Quid prodest sculptile? quia sculpsit illud fabricator ejus; fusile, et doctor mendacii? quia confidit fabricator mendacii sui super hoc, quoniam facit deos mutos. Vae dicenti ligno, Expergiscere, evigila lapidi silenti, hic docebit; hic ecce fixus auro et argento, spiritus non in medio ejus: sed Jehovah in templo sanctitatis suae" (ii. 18–20):

quoniam per "sculptile" intelligitur falsum doctrinae, religionis et cultus, cui nihil vitae spiritualis inest, quia ex propria intelligentia, ideo dicitur, "Quid prodest sculptile? quia sculpsit illud fabricator ejus[; fusile,] et doctor mendacii? super quo confidit fabricator mendacii;" "mendacium" significat falsum, ac "doctor" et "fabricator mendacii" significat qui excudit illud; quod ibi et inde nulla intelligentia et vita, significatur per quod "faciat deos mutos," et quod "spiritus non in medio ejus:" quod omne verum doctrinae, ecclesiae et cultus, sit a solo Domino, significatur per quod "Jehovah in templo sanctitatis suae;" "templum

sanctitatis" est caelum ubi et unde Divinum Verum. Apud *Davidem*,

> "Idola eorum argentum et aurum, opus manuum hominis; os illis, non loquuntur, oculi illis sed non vident" (Ps. cxv. 4, 5; Ps. cxxxv. 15, 16):

"idola eorum argentum et aurum," significat cultum externum absque interno, confirmatum ex sensu litterae Verbi non intellecto, et quoque ex fallaciis sensuum; "opus manuum hominis" significat ex propria intelligentia (quod "opus manuum" sit id quod ex propria intelligentia, videatur in articulo praecedente); "os illis, non loquuntur, oculi illis sed non vident," significat quod ex illis non aliqua cogitatio nec aliquis intellectus veri.

[*c*.] Quod non nisi quam falsum veniat, est quia proprium hominis non est nisi quam malum, favet enim suo amori et suae intelligentiae; quapropter illi non student veris propter vera, sed solum propter famam, nomen, gloriam et lucrum; quae cum dominantur, non potest caelum cum sua luce influere, ac aperire visum et illustrare; quare vident sicut noctuae, talpae et vespertiliones in tenebris, secundum haec apud *Esaiam*,

> "In die illo projiciet homo idola argenti sui et idola auri sui, quae fecerunt sibi ad incurvandum se talpis et vespertilionibus" (ii. 18, 20).

Apud *Jeremiam*,

> "Siccitas super aquas, et exarescant, quia terra sculptilium illa, et de horrendis gloriantur; ideo habitabunt ibi Tziim et Ijim, et habitabunt in ea filiae noctuae" (l. 38, 39):

"siccitas super aquas" significat non verum; "Tziim et Ijim" significant falsa et mala infernalia, ac "filiae noctuae" affectiones falsi: haec dicta sunt de terra Chaldaea et de Babele, per quae significantur profanationes veri et boni per falsa faventia malis, quae ipsi sibi fingunt propter dominium. Apud *Hoscheam*,

> "Fecerunt sibi fusile ex argento suo, in intelligentia sua idola, opus artificum tota;....sacrificantes hominem, vitulos osculantur" (xiii. 2):

quia per "fusile" significatur doctrinale ex propria intelligentia, ideo dicitur "Fecerunt fusile ex argento suo, in intelligentia sua idola, opus artificum tota;" et quia per id perdunt spiritualem vitam, et induunt mere naturalem,

dicitur, "Sacrificantes hominem, vitulos osculantur;" "sacrificare hominem" significat perdere vitam spiritualem, et "osculari vitulos" significat fieri mere naturales. Apud *Esaiam*,

> "Ecce omnes iniquitas, nihil opera eorum, ventus et inanitas fusilia eorum" (xli. 29):

mala doctrinae, religionis et cultus, significantur per "omnes iniquitas, nihil opera eorum;" et falsa per "ventus et inanitas fusilia eorum;" "ventus" et "inanitas" praedicantur in Verbo de falsis ex proprio. Apud *Jeremiam*,

> "Quare ad iram provocarunt Me per sculptilia sua, per vanitates alienigenarum?" (viii. 19:)

"vanitates alienigenarum" etiam significant falsa religionis similia cum "sculptilibus;" quare dicitur "per sculptilia sua, per vanitates alienigenarum." Apud *Ezechielem*,

> "Quisquis de domo Israelis, qui ascendere fecerit idola super cor suum, et offendiculum iniquitatis posuerit ante facies suas, venerit tamen ad prophetam; Egone Jehovah responderim ei, qui venit cum multitudine idolorum suorum?" (xiv. 3-6:)

etiam hic "idola" pro falsis doctrinae quae ex propria intelligentia; recipere illa falsa et agnoscere, significatur per "ascendere facere idola super cor suum;" et affici illis et vivere secundum illa, significatur per "ponere offendiculum iniquitatis ante facies suas:" quod Dominus non possit revelare talibus genuina vera doctrinae quamdiu in illis falsis sunt, significatur per "Si venerit ad prophetam, Egone Jehovah responderim ei qui venit cum multitudine idolorum suorum?" Per "prophetam" intelligitur docens vera, et in sensu abstracto doctrina genuini veri quae a Domino; et per "multitudinem idolorum" significantur falsa in copia, nam ex uno falso loco principii assumpto fluunt falsa in copia, praeter falsa in serie ex nexu; inde dicuntur "idola" in plurali, et "multitudo" illorum. Apud eundem,

> "Spargam super vos aquas mundas, ut mundemini ab omnibus immunditiis vestris, et ab omnibus idolis vestris mundabo vos" (xxxvi. 25):

quia per "idola" significantur falsa doctrinae, ideo dicitur, "Spargam super vos aquas mundas," per "aquas mundas" enim significantur genuina vera, et per "spargere illas

super eos" significatur purificare a falsis; illa falsa etiam dicuntur "immunditiae," quia sunt falsa ex malo et falsa producentia malum. Apud *Micham*,

> "Ponam Samariam in acervum agri, defluere faciam in vallem lapides ejus, et fundamenta ejus aperiam; tunc omnia sculptilia ejus contundentur, et omnes mercedes meretriciae ejus comburentur igne, et omnia idola eorum ponam vastitatem; nam ex mercede meretricia congregavit, ideo usque in mercedem meretriciam revertentur" (i. [6,] 7);

per Samariam, postquam idololatrica facta est, repraesentabatur ecclesia vastata quoad vera doctrinae et quoad bona vitae, seu destructa per falsa doctrinae et per mala vitae; quod devastabitur quoad omnia ecclesiae vera, significatur per quod "poneretur in acervum agri, ac defluerent in vallem lapides ejus, et aperientur fundamenta;" "ager" est ecclesia, "acervus agri" est devastatio ejus, "lapides" sunt vera ecclesiae, et "fundamenta" sunt vera naturalia super quibus fundatur; quorum devastatio totalis significatur per quod "lapides fluent in vallem, et fundamenta aperientur:" destructio ecclesiae per falsa doctrinae significatur per quod "sculptilia ejus contundentur," et quod "idola ponentur in vastitatem:" per "mercedem meretriciam" quae comburetur igne, significatur falsificatio veri per applicationes ad favendum amoribus sui et mundi.

[***d.***] Similia per "sculptilia," "fusilia" et "idola" significantur in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Quemadmodum invenit manus mea regna idoli, et sculptilia eorum de Hierosolyma et de Samaria, nonne quemadmodum feci Samariae et idolis ejus, sic faciam Hierosolymae et idolis ejus?" (x. 10, 11;)

apud eundem,

> "Immundum judicabitis tegmen sculptilium argenti tui, et amictum fusilis auri tui, disperges ea sicut menstruatum, stercus vocabis id" (xxx. 22);

[apud eundem,]

> "In die illo rejiciet vir idola argenti sui et idola auri sui, quae fecerunt vobis manus vestrae, peccatum" (xxxi. 7);

apud eundem,

> "Ne dices, Idolum meum fecit haec, et sculptile meum et fusile meum praecepit haec" (xlviii. 5);

apud eundem,

> "Recedent retro, pudefient pudore confidentes sculptili, dicentes fusili. [Vos] dii nostri" (xlii. 17);

apud eundem,

> "Leo super specula....dixit, Cecidit, cecidit Babel, et omnia sculptilia deorum ejus confregit in terram" (xxi. [8,] 9);

apud *Ezechielem*,

> "Destruentur altaria vestra, et frangentur solares statuae vestrae, et faciam cadere confossos vestros coram idolis vestris, et dabo cadavera filiorum Israelis coram idolis eorum" (vi. 4, 5);

apud *Micham*,

> "In die illo....exscindam sculptilia tua, et statuas tuas e medio tui, ut non adores amplius opus manuum tuarum" (v. [9,] 12 [*B. A.* 10, 13]);

apud *Mosen*,

> "Dabo corpora vestra super corpora idolorum vestrorum, et fastidiet anima mea vos" (*Levit.* xxvi. 30);

apud eundem,

> "Sculptilia deorum illorum comburetis igne, non concupisces aurum et argentum super illis ut accipias tibi,....abominatio namque.... Dei tui illud" (*Deutr.* vii. 25);

apud eundem,

> "Maledictus qui fecerit sculptile et fusile, abominationem Jehovae, opus manuum artificis, et posuerit in occulto" (*Deutr.* xxvii, 15).

Simile quod per "idola aurea," "argentea," "aenea," "lapidea," "ligna," etiam significatur per

> "Deos auri, argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis," quos laudavit Rex Belschazar, quando cum magnatibus et uxoribus bibit vinum ex vasis auri et argenti, quae ex Templo Hierosolymae: quapropter scriptum fuit in pariete, [1]et ipse rex depulsus est ab homine, et factus est sicut bestia (*Dan.* v. 1, seq.):

per "vasa auri et argenti Templi Hierosolymae" significabantur sancta bona et vera ecclesiae; per "deos auri, argenti, aeris, ferri, ligni et lapidis," quos rex Babelis tunc laudavit, intelligitur simile quod per "idola" ex illis, et significantur mala et falsa doctrinae et cultus; "laudare" significat colere; per "bibere ex vasis Templi Hierosolymae," et simul tunc laudare seu colere illos, significatur profanatio boni et veri per mala et falsa in cultu: et quia per profanationem omne spirituale hominis perit, et absque spirituali homo non est homo, ideo [1]expulsus est ab homine, et factus sicut bestia. Quoniam externum absque

interno non est colendum, sed externum ab interno, ita internum in externo, ideo prohibitum fuit aliquod sculptile ad similitudinem alicujus vivi in terra facere, apud *Mosen*,

"Ne faciatis vobis sculptile, species ullius similitudinis, figuram maris et feminae, figuram ullius bestiae quae in terra, figuram ullius avis alae quae volat sub caelo, figuram ullius reptilis in terra, figuram ullius piscis qui in aquis sub terra" (*Deutr.* iv. 16–18; cap. v. 8):

quod hoc prohibitum fuerit, erat quia gens Judaica prae omni alia gente in externis erat absque internis, et inde in cultu omnium externorum quae gentes vocabant sancta; et externa colere praeter illa quae repraesentabant caelestia, quae erant altare, sacrificium super illo, Tentorium conventus et Templum, erat idololatricum: haec quidem Judaei etiam idololatrice colebant; sed usque quia apud illos erat ecclesia repraesentativa, acceptabatur illorum cultus propter repraesentationem, tametsi illos quoad animam eorum non afficiebat, ut constare potest ex variis quae de illa gente in *Arcanis Caelestibus* ostensa sunt (ex quibus *Collecta* videantur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 248). Et quia colere externum alibi quam ubi mandatum fuit, quod erat juxta Tentorium in deserto et juxta Templum et in Templo in Hierosolyma, erat colere ipsum repraesentativum absque aliqua intuitione rei repraesentatae, ita solum terrenum absque caelesti, ideo id illis prohibitum fuit; et in tantum, ut ne quidem talia sculptilia sibi facerent: nam ut primum facta videbant, adorabant illa; talis enim natura illi genti inerat. Quod gentes idololatrae adoraverint simulachra non modo hominum, sed etiam variarum bestiarum, avium et reptilium, erat causa, quia ex antiquis habuerunt quod illa significaverint caelestia et spiritualia; sicut quod "bestiae" affectiones, "aves" cogitationes inde, "reptilia" et "pisces" easdem in sensuali naturali homine: inde erat, cum audiverunt sancta caeli et ecclesiae per illas significari, quod illi qui in externo cultu absque aliquo interno fuerunt inceperint illa colere; sicut Aegyptii, ac inde filii Israelis in deserto, ac postea in Samaria, vitulos, ex causa quia "vituli" apud antiquos significabant bonas affectiones naturalis hominis.

588. ***"Quae neque videre possunt, neque audire, neque ambulare."***—Quod significet *in quibus et ex quibus nihil intellectus*

veri et perceptionis boni, et sic nihil vitae spiritualis, constat ex significatione "videre," quod sit intelligere verum (de qua supra, n. 11, 260[a], 529); ex significatione "audire," quod sit percipere et obedire (de qua etiam supra, n. 14, 249), et quod sit habere intellectum ad percipiendum (n. 529); et ex significatione "ambulare," quod sit vivere spiritualiter, et cum de Domino, quod sit ipsa vita (de qua etiam supra, n. 97); ex quibus constare potest quod per "non videre, audire et ambulare," significetur quod non sit intellectus veri, perceptio boni, et inde aliqua vita spiritualis. Quod haec non sint in illis et ab illis, nempe idolis, est quia per "idola" significantur falsa doctrinae, religionis et cultus; et in falsis talia non sunt, sed in veris quae ex bono; in his et ex his est omnis intellectus, perceptio ex voluntate boni, et consequenter vita spiritualis: dicitur *consequenter*, quia vita spiritualis consistit in intellectu veri ac in perceptione quae ex voluntate boni; vera enim in luce caeli sunt, in tantum ut ipsa vera luceant in caelo, et hoc ex causa quia Divinum Verum procedens a Domino facit omnem lucem in mundo spirituali, et illa lux dat omnem intelligentiam et sapientiam angelis. Quia nunc ipsa vera sunt lucis, sequitur quod falsa nullius lucis sint, illam enim exstinguunt; quapropter falsa in Verbo vocantur "tenebrae" (videatur supra, n. 526); et quia sunt tenebrae, sunt umbrae mortis spiritualis. At sciendum est quod falsa mali tales tenebrae sint, non autem falsa quae non ex malo. Quod "audire" significet perceptionem quae ex voluntate boni, et inde obedientiam, est quia loquela intrat aurem simul cum sono, ac vera loquelae intrant intellectum et inde cogitationem, ac soni voluntatem et inde affectionem. Quod in mundo spirituali soni sistant et producant affectionem quae est voluntatis, et voces soni cogitationem quae est intellectus, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 236, 241), et supra (n. 323[a]): inde constare potest, unde est quod "audire" et "auscultare" etiam significet obedire, ac "auris" et "auditus" obedientiam.

589. [*Vers.* 21.] ***"Et non egerunt paenitentiam ex homicidiis suis."***—Quod significet *qui non actualiter averterunt se ab exstinguendo illa quae intellectus veri, voluntatis boni, et inde vitae spiritualis sunt*, constat ex significatione "paenitentiam agere," quod sit actualiter se avertere (ut supra,

n. 585[a]); et ex significatione "homicidiorum," quod sint exstinctio intellectus veri, voluntatis boni, et inde vitae spiritualis; nam per "hominem" significatur intelligentia veri et sapientia (videatur supra, n. 280, 546, 547), et per "occidere" significatur exstinguere vitam spiritualem per falsa mali (etiam supra, n. 315, 547, 572). Quod "homicidium," seu "hominis occisio," significet exstinctionem vitae spiritualis, constare potest absque locis e Verbo confirmantibus, ex eo quod singula ibi etiam spiritualiter intelligenda sint, et "occidere" spiritualiter est exstinguere vitam spiritualem, quod fit per falsa mali. Inde est quod diabolus dicatur "homicida ab initio," a Domino apud *Johannem*,

> "Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in illo; quando loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendacium loquens est et pater ejus" (viii. 44):

per haec intelligitur ipsa gens Judaica, quae per idololatrias et traditiones suas exstinxerunt vitam spiritualem per falsa mali; per "patrem ejus" intelliguntur patres eorum; quia exstinxerunt illam vitam per falsa mali, dicitur quod "non veritas in illo, quando loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendacium loquens est et pater ejus;" per "mendacium" in Verbo significatur falsum mali. Simile per "homicidas" et per mendacium" significatur in sequentibus in *Apocalypsi*,

> "Foris stabunt canes, incantatores, scortatores, homicidae, idololatrae, et qui amat et facit mendacium" (xxii. 15).

Quoniam illi qui per "Babelem" intelliguntur, exstinguunt omnia vera Divina per falsa mali, ideo Babel vocatur

> "Surculus abominabilis, vestimentum occisorum, confossorum gladio: ....quia terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti" (*Esai.* xiv. 19, 20):

haec de Babele; "confossi gladio" dicuntur qui perierunt ex falsis mali; et per "terram perdere" significatur [perdere] ecclesiam; et per "populum occidere" significatur vera ecclesiae exstinguere.

590. ***"Neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis."***—Quod significet *a pervertendo bonum et a falsificando verum*, constat ex significatione "incantationum," quod sint perversiones boni (de qua sequitur), et ex significa-

tione "scortationum," quod sint falsificationes veri (de qua supra, n. 141, 161). Quod "incantationes" in sensu spirituali significent perversiones boni, constare potest ex eo, quod conjunctim dicantur cum scortationibus, et "scortationes" significant falsificationes veri; ac in Verbo ubi dicitur de vero, etiam dicitur de bono, ob conjugium Divinum caeleste in singulis ejus: et quoque dicitur "paenitentiam agere ab homicidiis, incantationibus et scortationibus;" et per "homicidia" significantur exstinctiones affectionis boni quae voluntatis et perceptionis veri quae intellectus (videatur mox supra, n. 589), et affectio boni quae voluntatis exstinguitur dum pervertitur bonum Verbi, ac perceptio veri quae intellectus dum falsificatur verum Verbi; inde etiam constare potest quid hic per "incantationes" significatur. Antiquis temporibus plura genera artium infernalium, quae magiae vocantur, in usu fuerunt, quarum aliquae recensentur in Verbo (ut *Deutr*. xviii. 9–11); inter illas etiam fuerunt incantationes, per quas inducebant affectiones et voluptates quibus alter non potuit resistere, quod fiebat per sonos et tacitas voces, quas vel producebant vel mussitabant; quae per correspondentias analogas communicationem habebant cum voluntate alterius, et excitabant ejus affectionem, et fascinabant ad ita et non aliter volendum, cogitandum et faciendum. Tales incantationes etiam callebant prophetae, et quoque faciebant, et per illas excitabant affectiones bonas, auscultationem et obedientiam, quae incantationes in bono sensu nominantur in Verbo

Apud *Esaiam*, cap. iii. 1–3, 20; cap. xxvi. 16: apud *Jeremiam*, cap. viii. 17: et apud *Davidem*, in psalmo lviii. 5, 6 [*B. A.* 4, 5].

Sed quia per tales loquelas et mussitationes a malis excitabantur affectiones malae, et sic incantationes factae sunt magicae, ideo inter artes magicas etiam recensentur, et severe prohibentur

(Ut *Deutr*. xviii. 9–11: *Esai*. xlvii. 9, 12: *Apoc*. xviii. 23; cap. xxii. 15*).

591. ***"Neque ex furtis suis."***—Quod significet *ab eripiendo cognitiones veri et boni, et sic media comparandi sibi vitam spiritualem*, constat ex significatione "furti" et

---

* [NOTA AUCTORIS:—]De Bileamo, de Jesabele.

"furari," quod sit eripere alicui cognitiones boni et veri, quae inserviturae pro mediis comparandi sibi vitam spiritualem (de qua supra, n. 193): quod "furtum" et "furari" illa significent, est quia per "opes," "vestes" et "utensilia," et plura quae fures auferunt, significantur cognitiones veri et boni; quare furtum spirituale seu furtum in spirituali sensu est has auferre, sicut furtum naturale seu in naturali sensu est illa auferre. Quod hoc per "furtum" significetur, constare potest ex eo, quod in hoc versu in specie agatur de exstinctione vitae spiritualis apud alios; et vita spiritualis exstinguitur per perversiones boni et falsificationes veri, tum per deprivationes cognitionum veri et boni, per quas vita spiritualis comparatur; et haec et illa sunt quae significantur per "homicidia, incantationes, scortationes et furta," ut hactenus ostensum est.

CAPUT X.

ET vidi alium angelum fortem descendentem e caelo, circumdatum nube, et iris supra caput, et facies ejus sicut sol, et pedes ejus sicut columnae ignis.

2. Et habebat in manu sua libellum apertum, et posuit pedem suum dextrum super mare, et sinistrum super terram.

3. Et clamavit voce magna, sicut leo rugit, et cum clamavit locuta sunt septem tonitrua suas voces.

4. Et cum locuta sunt septem tonitrua voces suas, futurus sum scribere; et audivi vocem e caelo dicentem mihi, Obsigna quae locuta sunt septem tonitrua, et ne illa scribas.

5. Et angelus, quem vidi stantem super mari et super terra, sustulit manum suam ad caelum.

6. Et juravit per Viventem in saecula saeculorum, qui creavit caelum et quae in eo, et terram et quae in ea, et mare et quae in eo, quod tempus non erit amplius.

7. Sed in diebus vocis septimi angeli, quando futurus clangere, et consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit suis servis prophetis.

8. Et vox quam audivi e caelo, iterum loquens cum me, et dicens, Abi, accipe libellum apertum in manu angeli stantis super mari et super terra.

9. Et abivi ad angelum, dicens ei, Da mihi libellum;

et dixit mihi, Accipe et devora illum, et amaricabit tuum ventrem, sed in ore tuo erit dulcis sicut mel.

10. Et accepi libellum e manu angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo sicut mel dulcis; et cum devoravi illum amaricatus est venter meus.

11. Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare super populos et gentes et linguas et reges multos.

EXPLICATIO.

VERSUS I.

592. ***"Et vidi alium angelum fortem descendentem e caelo, circumdatum nube, et iris supra caput, et facies ejus sicut sol, et pedes ejus sicut columnae ignis."***

1. ***"Et vidi alium angelum fortem descendentem e caelo,"*** significat *Dominum quoad Verbum, hic quoad sensum ejus ultimum, qui vocatur sensus litterae* [n. 593]; ***"circumdatum nube,"*** significat *ultimum Verbi* [n. 594]; ***"et iris supra caput,"*** significat *interiora Verbi* [n. 595]; ***"et facies ejus sicut sol,"*** significat *Divinum Amorem Domini ex quo omne Divinum Verum, quod in caelo et in ecclesia est Verbum* [n. 596]; ***"et pedes ejus sicut columnae ignis,"*** significat *Divinum Verum seu Verbum in ultimis sustentans interiora ibi, etiam plenum bono amoris* [n. 597].

593. [*Vers.* 1.] ***"Et vidi alium angelum fortem descendentem e caelo."***—Quod significet *Dominum quoad Verbum, hic quoad sensum ejus ultimum qui vocatur sensus litterae*, constat ex significatione "angeli fortis," quod sit Dominus quoad Verbum (de qua sequitur); quod sit quoad Verbum in sensu ejus ultimo, qui vocatur sensus litterae, est quia Dominus ex illo dicitur "fortis," nam omne robur et omnis potentia Divini Veri existit et consistit in ejus ultimo, proinde in Verbi sensu litterae (de qua re etiam sequitur). Quia intelligitur sensus litterae Verbi, ideo dicitur de angelo quod visus sit "descendere e caelo:" simile dicitur de Verbo quod est Divinum Verum; hoc a Domino per caelos in mundum descendit; quapropter adaequatum est sapientiae angelorum qui in tribus caelis, et quoque adaequatum est hominibus qui in naturali mundo: inde est quod Verbum in omnium sua prima origine sit prorsus Divinum, dein caeleste, tum spirituale, et denique naturale; caeleste pro angelis intimi seu tertii caeli qui angeli vocantur caelestes, spirituale pro angelis secundi seu medii caeli

qui angeli vocantur spirituales, ac caeleste et spirituale naturale pro angelis ultimi seu primi caeli qui angeli vocantur caelestes et spirituales naturales, ac naturale pro hominibus in mundo; nam homines, quamdiu in corpore materiali vivunt, cogitant et loquuntur naturaliter. Inde nunc est quod Verbum detur apud angelos cujusvis caeli, sed cum differentia secundum gradus sapientiae, intelligentiae et scientiae eorum; et tametsi quoad sensum in singulis caelis differt, usque est idem Verbum; quoniam ipsum Divinum, quod a Domino inest Verbo, cum descendit ad caelum intimum seu tertium fit Divinum caeleste, cum inde descendit ad caelum medium seu secundum fit Divinum spirituale, cumque ab hoc caelo ad ultimum seu primum fit Divinum caeleste aut spirituale naturale; et cum exinde descendit in mundum fit Verbum Divinum naturale, quale est apud nos in littera. Hae successivae derivationes Divini Veri, procedentis ab Ipso Domino, existunt ex constabilitis ab ipsa creatione correspondentiis inter superiora et inferiora, de qua re alibi plura, volente Domino. Quod omne robur et omnis potentia insit ultimis Divini Veri, ita sensui naturali Verbi qui est sensus litterae, est quia hic sensus est continens omnium sensuum interiorum, nempe spiritualium et caelestium (de quibus supra); et quia est continens, etiam est basis, et in basi est ipsum robur: nam superiora si non innituntur suae basi, decidunt et dilabuntur; similiter si spiritualia et caelestia non inniterentur sensui naturali seu litterali Verbi, hic enim non modo sustinet sensus interiores, sed etiam continet illos; quapropter Verbum seu Divinum Verum in hoc sensu non solum est in sua potentia, sed etiam in suo pleno. (At plura de hac re videantur supra; nempe, Quod robur sit in ultimo, quia Divinum ibi est in suo pleno, supra, n. 346, 567. Quod interiora successive influant in exteriora, usque in extremum seu ultimum, et quod ibi coexistant, in *Arcanis Caelestibus*, n. 634, 6239, 6465, [1]9215, 9216. Quod non modo successive influant, sed etiam forment in suo ultimo simultaneum; quo ordine, n. 5897, 6451, 8603, 10099. Quod inde in ultimis sit robur et potentia, n. 9836. Quod inde in ultimis responsa et revelata, n. 9905, 10548. Quod inde ultimum prae interioribus sit sanctum, n. 9824.) Ex his etiam sequitur quod omne doctrinae ecclesiae formari et confirmari debeat ex sensu litterali Verbi, et quod inde etiam doctrinae sit potentia (de qua re videatur supra, n. 356). Ex hac causa est quod "angelus descendens e caelo" dicatur "fortis." Quod per "angelum" in Verbo in sensu supremo intelligatur Dominus, in sensu respectivo omnis recipiens

Divini Veri a Domino, ac in sensu abstracto ipsum Divinum Verum, videatur supra (n. 130, 302); hic itaque per "angelum" intelligitur Dominus quoad Verbum, quia Verbum est ipsum Divinum Verum. Quod Ipse Dominus hic per "angelum" intelligatur, constare potest ex simili repraesentatione Ipsius Domini quoad faciem et quoad pedes, in primo capite hujus Libri; ubi de "Filio hominis," qui est Dominus, ita dicitur,

> Quod facies Ipsius fulserit sicut Sol in sua potentia, et quod pedes Ipsius essent similes chalcolibano in camino igniti (vers. 15, 16).

594[*a*]. ***"Circumdatum nube."***—Quod significet *ultimum Verbi*, constat ex significatione "circumdari," quod sit ab extra illum esse; nam quod circum est hoc quoque est extra, est enim ulterius in circumferentia, hic itaque ultimum: et ex significatione "nubis," quod sit Divinum Verum in ultimis, proinde Verbum in sensu litterae: quod "nubes" id significet, patet ex apparentiis in mundo spirituali, tum ex Verbo ubi "nubes" dicitur. Ex apparentiis in mundo spirituali:—Universum caelum angelicum unice consistit ex Divino Vero quod procedit a Domino; receptio ejus facit angelos. Illud in supremo caelo apparet sicut aura pura quae vocatur aether; in inferiori caelo sicut minus pura, paene sicut atmosphaera quae vocatur aer; in infimo caelo apparet illud sicut tenue aqueum, super quo vapor sicut nubes: talis apparentia est Divini Veri secundum gradus in descensu. Simile apparet quando angeli superiorum caelorum loquuntur de Divinis veris; tunc loquela illorum, apud illos qui in infimo caelo sunt, sistitur sub aspectu nubis, quae huc illuc volat; angeli intelligentiores ibi norunt ex lapsu, candore et forma, quid inter se angeli superiorum caelorum loquuntur; inde constare potest, unde est quod "nubes" significet Divinum Verum in ultimis. Quoniam pleraque in Verbo ex apparentiis in mundo spirituali desumpta sunt, et inde similia quae ibi significant, ideo etiam "nubes." Quod "nubes" in Verbo significet sensum litterae, qui est Divinum Verum in ultimis, constare potest ex sequentibus:—Apud *Evangelistas*,

> "Jesus assumpsit Petrum, Jacobum et Johannem....in montem altum.., et transformatus coram iis, splenduit facies Ipsius sicut sol, vestimenta Ipsius facta sicut lux; et ecce visi sunt Moses et Elias

cum Ipso loquentes." .... Petro "adhuc loquente, ecce nubes lucida obumbravit illos, et ecce vox e nube dicens, Hic est Filius meus dilectus,.... Ipsum audite" (*Matth.* xvii. 1–10; *Marc.* ix. 1–11);

et apud *Lucam*,

Petro "haec loquente, facta est nubes, et obumbravit illos; unde territi sunt, dum ingressi sunt in nubem; sed vox facta est e nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite" (ix. 34, 35):

Dominus in hac transformatione etiam repraesentavit Divinum Verum, quod est Verbum; nam Dominus Humanum suum, cum in mundo fuit, fecit Divinum Verum, et cum exivit e mundo fecit Humanum suum Divinum Bonum per unitionem cum ipso Divino, quod in Ipso fuit ex conceptione: (quod Dominus Humanum suum fecerit Divinum Verum cum fuit in mundo, et postea Divinum Bonum, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 303–306: et quod Dominus sit Verbum, n. 263:) inde est quod singula, quae visa sunt dum transformatus, significent Divinum Verum procedens ex Divino Bono Domini. Divinum Bonum Divini Amoris, quod in Ipso, a quo Ipsi in Humano Divinum Verum fuit, repraesentatum est per quod "splenduerit facies Ipsius sicut sol:" facies enim repraesentat interiora, quare haec per faciem elucent; et "sol significat Divinum Amorem (videatur supra, n. 401[*b*], [1]412[*b*]): Divinum Verum repraesentatum est per vestimenta, quod facta sint sicut lux; "vestimenta" in Verbo significant vera, ac "vestimenta Domini" Divinum Verum (videatur etiam supra, n. 64, 271, 395[*d*]); quapropter etiam apparuerunt "sicut lux;" nam Divinum Verum facit lucem in caelo angelico, et inde "lux" in Verbo id significat (de qua re in opere *De Caelo et Inferno*, n. 126–140). Quoniam Verbum quod est Divinum Verum, repraesentatum est, ideo "visi sunt Moses et Elias cum Ipso loquentes;" per "Mosen" et per "Eliam" significatur Verbum, per "Mosen" Verbum Historicum et per "Eliam" Verbum Propheticum. Verbum autem in littera repraesentatum est per "nubem" quae obumbravit discipulos, et in quam discipuli ingressi sunt; per discipulos enim in Verbo repraesentata est ecclesia, quae eo tempore et postea solum in veris ex sensu litterae fuerat; et quia revelata et responsa fiunt per Divinum Verum in ultimis, ut in superiori articulo dictum est, et hoc verum est quale est verum sensus litterae Verbi, ideo factum est quod "vox e nube audita sit, dicens, Hic est Filius meus dilectus, Ipsum audite;" hoc est, quod Ipse sit Divinum Verum seu Verbum.

[*b.*] Qui non scit quod per "nubem" in Verbi sensu spirituali intelligatur Verbum in littera, non scire potest arcanum quod involvit,

> Quod in consummatione saeculi "visuri sint Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute et gloria" (*Matth.* xxiv. 30: *Marc.* xiii. 26; cap. xiv. 61, 62: *Luc.* xxi. 27);

tum in *Apocalypsi*,

> "Ecce" Jesus Christus "venit cum nubibus, et videbit Ipsum omnis oculus" (i. 7);

et alibi,

> "Vidi, et ecce nubes alba, et super nube sedens similis Filio hominis" (xiv. 14);

et apud *Danielem*,

> "Videns fui in visionibus noctis, et ecce cum nubibus caelorum sicut Filius hominis veniens fuit" (vii. 13):

qui ignorat quod "nubes caeli" significent vera Verbi in sensu litterae, non scire aliter potest quam quod Dominus in consummatione saeculi, hoc est, in fine ecclesiae, venturus sit in nubibus caeli, et Se mundo manifestaturus; at notum est quod postquam Verbum datum est Dominus per id solum Se manifestet, nam Verbum, quod est Divinum Verum, est Ipse Dominus in caelo et ecclesia: ex hoc primum constare potest quod manifestatio ibi praedicta significet manifestationem Ipsius in Verbo; et manifestatio Ipsius in Verbo facta est per quod aperuerit et revelaverit sensum internum seu spiritualem Verbi, in hoc enim sensu est ipsum Divinum Verum quale est in caelo, ac Divinum Verum in caelo est Ipse Dominus ibi. Inde nunc patet quod per "adventum Domini in nubibus caeli cum gloria" significetur Ipsius revelatio in sensu litterae Verbi ex sensu spirituali ejus; "nubes caeli" significant illa quae sunt sensus litterae, et "gloria" illa quae sunt sensus spiritualis (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 1), ac ipsa revelatio sensus spiritualis (in opusculo *De Equo Albo*); "Filius hominis" etiam significat Dominum quoad Divinum Verum (ut supra, n. 63, 151). Quod "nubes" significet Divinum Verum in ultimis, proinde Verbum in sensu litterae, adhuc ex sequentibus locis constare potest:—Apud *Esaiam*,

> "Ecce Jehovah equitans super nube levi, et venit in Aegyptum; unde commoventur idola Aegypti coram Ipso, et cor [1]Aegyptii liquefit in medio ejus" (xix. 1):

per "Aegyptum" ibi non intelligitur Aegyptus, sed naturalis homo separatus a spirituali; qui tunc in falsis et malis est, et per illa pervertit omnia vera et bona ecclesiae; quod falsa et mala illa destruant illum quando influit verum ex bono a Domino, describitur per illa verba Prophetae in sensu interno intellecta: quod Jehovah dicatur "equitare super nube levi" significat quod cum Dominus illustrat intellectum veris; "equitare," cum de Jehovah seu Domino, significat illustrare intellectum, et "nubes levis" significat verum: quod tunc "commoveantur idola Aegypti, et cor [1]Aegyptii liquefiat," significat quod tunc destruant illum falsa et mala quae sunt naturalis hominis separati a spirituali; "idola" sunt falsa, "cor" sunt mala, et "Aegyptus" est naturalis homo. Apud *Mosen*,

> "Non sicut Deus Jeschurum equitans in caelo..., et in magnificentia sua super nubibus; habitaculum Dei antiquitatis, et inferius brachia mundi" (*Deutr.* xxxiii. 26, 27):

hic quoque per "equitare in caelo super nubibus" significatur illustrare intellectum per influxum veri spiritualis in verum naturale, quod est verum sensus litterae Verbi; quia Divinum Verum in caelis est spirituale, et Divinum Verum in terris est naturale, et hoc illustratur per illud, ideo dicitur "in magnificentia sua super nubibus:" "habitaculum Dei antiquitatis" est Divinum Verum ubi angeli, et "brachia mundi" sunt Divina vera ubi homines; vera sensus litterae Verbi sunt quae intelliguntur per "brachia mundi," ille enim sensus est ipsum robur Divini Veri; "brachia" significant robur. (Quod in sensu litterae sit robur Divini Veri, videatur in mox superiori articulo.) Apud *Davidem*,

> Deus "equitavit super cherubo et volavit, ac vectus est super alis venti, posuit tenebras latibulum suum, circuitus suos tentorium suum, [2]tenebras aquarum, nubes caelorum; a splendore ante Ipsum nubes..transierunt" (Ps. xviii. 11–13 [*B. A.* 10–12]):

hic quoque describitur illustratio Verbi et sic ecclesiae; illustratio per influxum Divini Veri e caelis significatur per quod "Deus equitavit super cherubo et volavit;" Divinum Verum in ultimis quod illustratur, significatur per "alas venti," "tenebras aquarum," "nubes caelorum;" varii gradus intellectus recipientis illustrationem significantur per illa; quod obscura illius sensus inde dissipen-

tur, intelligitur per "A splendore ante Ipsum nubes transierunt." Apud eundem,

"Cantate Deo, laudate nomen Ipsius, extollite equitantem super nubibus" (Ps. lxviii. 5 [*B. A.* 4]):

per "equitantem super nubibus" etiam hic intelligitur Dominus quoad illustrationem; "nubes" sunt vera in ultimis quae illustrantur, et haec illustrantur per influxum lucis, quae est Divinum Verum, e mundo spirituali seu caelo. Apud *Nahum*,

"Jehovae in procellis et tempestate via, et nubes pulvis pedum Ipsius" (i. 3):

verum in ultimis, quod est verum sensus litterae Verbi, vocatur "nubes pulvis pedum Jehovae," quia est naturale et infimum, in quod desinit, et super quo subsistit Divinum Verum in caelo, quod est spirituale; Divinum Verum in ultimis, quia parum intelligitur nisi e caelo illustratur, et ideo disceptatur et controvertitur de eo, intelligitur per "procellam et tempestatem," in qua Jehovae est via; "procella et tempestas" spiritualis est disceptatio de genuino sensu, quem tamen Dominus illustrat per influxum apud illos qui verum desiderant. Apud *Davidem*,

"Semen Ejus in aeternum erit, et thronus Ejus sicut sol coram [1]Te, sicut luna firmus erit in aeternum, et testis in nubibus fidelis" (Ps. lxxxix. 37, 38 [*B. A.* 36, 37]):

haec de Domino; et per "semen" quod in aeternum erit, significatur Divinum Verum quod ab Ipso: per "thronum" qui "sicut sol et sicut luna" significatur caelum et ecclesia quoad bonum amoris et quoad verum fidei; per "thronum" caelum et ecclesia, per "sicut sol" quoad bonum amoris, et per "sicut luna" quoad verum fidei: "testis in nubibus fidelis" significat quod Ipse sit Divinum Verum; "testis" enim, cum de Domino, significat id quod procedit ab Ipso; et id, quia Ipsius est, testatur de Ipso. Apud eundem,

Jehovah "[2]contignat aquis triclinia sua, ponit [3]nubes currum suum, ambulat super alis venti" (Ps. civ. 3):

hic paucis verbis describitur caelum et ecclesia, et simul doctrina ex Verbo: "[2]contignat aquis triclinia" significat quod Dominus formet caelos et ecclesiam ex Divinis veris; "aquae" significant Divina vera, "triclinia Jehovae"

caelos et ecclesiam, et "contignare" significat formare: "ponit nubes currum suum" significat doctrinam ex Divinis veris ultimis; "nubes" sunt Divina vera ultima, qualia sunt in Verbi sensu litterae, et "currus" est doctrina; hoc dicitur quia omne doctrinae ecclesiae formandum et confirmandum est ex Verbi sensu litterae: "ambulat super alis venti" significat vitam ei ex influxu spirituali; "ambulare" significat vivere, et cum de Domino ipsam vitam; "alae venti" sunt spiritualia Verbi. (Quod "aquae" significent vera, videatur supra, n. 71, 483, 518, 537, 538.) Apud *Esaiam*,

> "Ponam" vineam meam "in desolationem,....immo nubibus praecipiam, ut non faciant pluere super eam pluviam" (v. 6):

per haec intelligitur quod non erit ecclesiae aliquis intellectus Divini Veri seu Verbi; per "vineam" significatur ecclesia, per "nubes" Verbum in littera, et per "non pluere pluviam" non ex Verbo aliquis intellectus Divini Veri. Apud *Davidem*,

> Jehovah "qui obtegit caelos nubibus, qui praeparat terrae pluviam, qui germinare facit montes gramen" (Ps. cxlvii. 8):

"obtegere caelos nubibus" significat tutari et conservare spiritualia Verbi, quae sunt in caelis, per vera naturalia qualia sunt in sensu litterae Verbi; "qui praeparat terrae pluviam" significat instructionem inde pro ecclesia; "qui germinare facit montes gramen" significat nutritionem sic illis qui in bono amoris sunt.

[*c.*] Simile significatur per haec apud *Esaiam*,

> "Stillate caeli desuper, et nubes defluant justitia, aperiat se terra, et [1]fructificent salutem" (xlv. 8).

In *Libro Judicum*,

> "Jehovah, quando exivisti e Seir, quando egressus es ex agro Edomi, terra contremuit, etiam caeli stillarunt, etiam nubes stillarunt aquas" (v. 4):

per "exire e Seir" et "egredi ex agro Edomi," cum de Jehovah, significatur illuminatio gentium a Domino quando assumpsit Humanum; per "contremiscere terram," significatur ecclesiae status tunc permutatus; per quod "caeli stillarint," et per quod "nubes stillarint aquas," significatur instructio, influxus et perceptio Divini Veri; "stil-

lare" significat instructionem et influxum, "aquae" vera, "caeli" interiora ejus, et "nubes" exteriora ejus qualia sunt in sensu litterae Verbi. Apud *Davidem*,

"Stillarunt aquas nubes, vocem dederunt aetheres, et tela tua iverunt" (Ps. lxxvii. 18 [*B. A.* 17]):

"stillarunt aquas nubes" significat quod ex sensu litterae Verbi genuina vera; "vocem dederunt aetheres" significat influxum e caelis; "tela tua iverunt" significat Divina vera inde. Apud *Hiobum*,

Deus "ligat aquas in nubibus suis, et non rumpitur nubes sub illis; ....expandit super" solium "nubem suam" (xxvi. 8, 9):

etiam hic "nubes" pro veris ultimis in ordine; quae quia in se continent et includunt vera spiritualia, ut non dilabantur, dicitur et significatur per quod "Deus [1]liget aquas in nubibus suis, et non [2]rumpatur nubes;" quoniam vera exteriora, quae vocantur naturalia, etiam circumdant et concludunt vera interiora quae vocantur spiritualia, ac propria sunt angelis caelorum, dicitur et significatur per quod "expandat super solium nubem suam." Apud *Esaiam*,

"Dixit Jehovah..., Quiescam et spectabo in habitaculo meo, sicut aestus serenus super luce, et sicut nubes roris cum calet messis" (xviii. 4):

"nubes roris" significat verum ex bono fructificans. Apud eundem,

"Creabit Jehovah super omne habitaculum Montis Zionis, et super convocationes ejus, nubem interdiu, ac fumum et splendorem ignis flammae noctu; nam super omni gloria obtegumentum" (iv. 5):

per "habitaculum Montis Zionis" significatur bonum ecclesiae caelestis, et per "convocationes ejus" significantur vera illius boni; tutela ne laedatur a nimia luce et a nimia umbra, significatur per "nubem interdiu" et per "fumum et splendorem ignis flammae noctu;" et quia omne spirituale bonum et verum ne laedatur conservatur per naturale bonum et verum, ideo dicitur quod "super omni gloria tegumentum;" "gloria" est spirituale bonum et verum. Simile significatur per

Quod nubes super Tabernaculo fuerit interdiu, et ignis noctu (*Exod.* xl. 36–38: *Num.* ix. 15–17, ad fin.; cap. x. 11, 12, 34; cap. xiv. 14: *Deutr.* i. 33);

Quod Jehovah praecesserit interdiu in columna nubis,....et noctu in columna ignis (*Exod.* xiii. [21]);
Quod steterit columna nubis inter castra filiorum Israelis et castra Aegyptiorum (*Exod.* xiv. 19–21).

Apud *Davidem*,

Deus "duxit eos in nube interdiu, et tota nocte in luce ignis" (Ps. lxxviii. 14);

et alibi apud eundem,

"Laetata est Aegyptus cum exirent, quia cecidit pavor eorum super illos; expandit nubem in tegumentum, et ignem ad illuminandum noctem" (Ps. cv. 38, 39):

quod "super Tabernaculo fuerit nubes interdiu et ignis noctu," erat quia per "Tabernaculum" repraesentabatur caelum et ecclesia, ac per "nubem" praesentia Domini per Divinum Verum, et per "ignem" praesentia Ipsius per Divinum Bonum, quod bonum fidei vocatur, utrumque ultimum in ordine; ideo fuerunt tanquam tegumenta super Tabernaculum: quare in locis supra allatis apud *Esaiam* et *Davidem* dicitur, "Erit super omni gloria tegumentum;" et "Expandit nubem in tegumentum."

[*d.*] Simile significatur per

Nubem quae obtexit Montem Chorebum, in quam nubem intravit Moses (*Exod.* xxiv. 15–18).

Simile etiam per

Nubem in qua descendit Jehovah super Montem Sinai (*Exod.* xix. [1]16, 18; cap. xxxiv. 5).

Simile etiam per

Columnam nubis quae stetit ad ostium tentorii Mosis (*Exod.* xxxiii. 9, 10).

Tum quoque per "nubem" apud *Ezechielem*,

"Vidi cum ecce ventus procellae venit ex septentrione, nubes magna et ignis in se ipsum se recipiens, cui splendor circumcirca" (i. 4).

Et apud eundem,

"Cherubi stantes a dextra domus cum intraret vir, et nubes implebat atrium interius; et sustulit se gloria Jehovae desuper cherubo super limen domus, et impleta est domus nube, et atrium plenum erat splendore gloriae Jehovae" ([2]x. 3, 4):

per "cherubos" significatur Dominus quoad tutelam, ne adeatur nisi quam per bonum amoris: inde quoque per "cherubos" significantur caeli, in specie caelum intimum seu tertium, quia angeli, qui ibi sunt, recipiunt Divinum

Verum in bono amoris; est itaque Divinum Verum quod in sua essentia est bonum amoris, quod tutatur. Hoc Divinum Verum, sicut descendit e caelo intimo in caelos inferiores, et tandem in mundum ubi sunt homines, ita per gradus, a puro fit densius; inde est quod in infimo gradu appareat sicut nubes; per quam ideo significatur Divinum Verum accommodatum captui angelorum qui in infimo caelo, qui spirituales naturales sunt, et denique captui hominum in mundo naturali: et quia Divinum Verum in hoc gradu simile est Divino Vero quale est in Verbi sensu litterae, ideo per "nubem" significatur Verbum quoad sensum litterae. Hoc Divinum Verum est quod sicut nubes implebat atrium, et denique domum, a cujus dextra steterunt cherubi: et quia hoc Divinum Verum interius est spirituale, quod splendet a luce caelesti, ideo vocatur "gloria," et dicitur quod "atrium plenum esset splendore gloriae Jehovae." Et apud *Hiobum*,

> "Cum" Deus "splendere facit lucem nubis suae" (xxxvii. 15).

Quoniam caeli superiores apparent coram oculis eorum qui in caelis inferioribus sunt sicut circumtecti tenui et candida nube, (ex causa quia angeli inferiores non aliter Divinum superius seu interius spectare possunt quam secundum quale eorum,) ideo etiam Divinum Verum in caelis superioribus aliquibus in locis in Verbo intelligitur per "nubes;" seu quod idem, quod caeli superiores per "nubem" intelligantur: sive enim dicas Divinum Verum sive dicas caelos, idem est; nam caeli sunt caeli ex Divino Vero, et angeli ibi sunt angeli ex receptione ejus. In hoc sensu dicitur "nubes" apud *Esaiam*,

> Lucifer, "tu dixisti in corde tuo,....Ascendam super excelsa nubis, similis fiam Altissimo" (xiv. [13,] 14);

apud *Jeremiam*,

> "Deserite" Babelem, "et eamus quisque in terram suam; quia pertulit usque ad caelos judicium ejus, et extulit se usque ad nubes" (li. 9);

et apud *Davidem*,

> "Date robur Deo, super Israele exaltatio Ejus, et robur Ipsius super nubibus" (Ps. lxviii. 35 [*B. A.* 34]).

Simile per "nubem" ibi significatur quod

Per "aquas super expansum" (*Gen.* i. 7);
Et per "aquas supra caelos" (*Psalm.* cxlviii. 4);

nam ex aquis nubes: quod "aquae significent Divina vera, videatur supra (n. 71, 483, 518[*a–d*]). Quoniam dantur nubes tenuiores et candidiores, tum nubes crassiores et nigriores, et quia nubes tenuiores et candidiores infra caelos apparent, at nubes crassae et nigrae circumcirca plura inferna conspiciuntur, inde patet quod etiam per "nubes" in opposito sensu significentur falsa mali contraria veris ex bono, ut in sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

Aegyptum "nubes obteget, et filiae ejus in captivitatem abibunt" (xxx. 18);

apud eundem,

Ascendet "sicut nubes ad obtegendum terram" (xxxviii. 9);

apud eundem,

Oves "dispersae in die nubis et caliginis" (xxxiv. 12).

Inde ultimum judicium, quando perituri qui in falsis mali sunt, vocatur

"Dies nubis et obscuritatis" (*Joel* ii. 2; *Zeph.* i. 15).

Simile quoque significatur per

"Nubem et caliginem," quae apparuerunt filiis Israelis, quando e Monte Sinai promulgabatur Lex (*Deutr.* iv. 11, 12, 15; cap. v. 19–23 [*B. A.* 22–26]);

nam tametsi Jehovah, hoc est, Dominus, super illum montem descendit in nube candida, usque tamen illa coram oculis populi, qui in falsis mali fuit, ut nubes caliginosa apparuit (videantur *Arcana Caelestia*, n. 1861, 6832, 8814, 8819, 9434, 10551).

595. ***"Et iris supra caput."***—Quod significet *interiora Verbi*, constat ex significatione "iridis," quod sit Divinum Verum quale est Verbum in sensu spirituali (de qua sequitur); et ex significatione "supra caput," quod sit interius; nam "supra" et "superius" significat intra et interius, quod constare potest ex eo, quod cum dicitur "interius" in caelo intelligatur superius; caeli enim ubi sunt angeli interiores seu interius sapientes, apparent quoque supra caelos ubi sunt angeli exteriores seu exterius sapientes. Inde est quod tres caeli inter se quoad altitudines distincti sint; caelum intimum seu tertium apparet supra caelum medium seu secundum, et hoc supra caelum ulti-

mum seu primum. Quod "superius" significet interius, est quia dum superiora et inferiora simul sunt, hoc est, simultaneum formant, ut in capite hominis, tunc eo ordine coexistunt, quod quae supra in ordine successivo exstiterant, interius reposita sint; et quae infra in ordine successivo exstiterant, exterius reposita sint: inde est quod "superiora" significent interiora, et "inferiora" exteriora. Hoc potest ad captum illustrari per ideam superficiei, in cujus centris sunt puriora, et in peripheriis crassiora; tales superficies formant superiora et inferiora, cum se in unum demittunt, et simultaneum faciunt. Ex his quoque constare potest quid significat quod mox supra de angelo dictum est quod "circumdatus fuerit nube;" "circumdari" enim ex eadem hac ratione et inde idea significat ab extra et infra esse. Quod "iris" significet Divinum Verum interius, quale est Verbum in sensu spirituali, est quia lux caeli, similiter ac lux mundi, secundum incidentiam in objecta, et inibi modificationem, sistat variegationes colorum, et quoque irides; quas etiam in caelo angelico aliquoties mihi videre datum est (quae etiam descripta videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 1623-1625). Sed irides quae apparent in caelo angelico differunt ab iridibus quae apparent in mundo, quod irides caeli sint ex origine spirituali, at irides mundi ex origine naturali; irides enim caeli sunt ex luce oriunda a Domino ut Sole; et quia Sol ille est in sua essentia Divinus Amor Domini, et lux inde est Divinum Verum, inde lucis variegationes quae sistuntur ut irides, sunt variegationes intelligentiae et sapientiae apud angelos: ex eo est quod irides ibi significent formam et pulchritudinem Divini Veri spiritualis. At irides mundi sunt ex origine naturali, nempe a sole mundi et ejus luce; et inde sunt solum modificationes et inde variegationes lucis ex aquis quae defluunt ex nube: et quia similes apparentiae colorificae sunt in mundo spirituali sicut in mundo naturali, et quia correspondent, inde per irides mundi significantur similia quae per irides caeli, nempe Divina vera spiritualia in sua forma et pulchritudine; haec vera sunt qualia sunt vera Verbi in sensu spirituali. Similia per "irides" significantur apud *Ezechielem*,

"Supra expansum, quod super [1]capite" cheruborum "quasi aspectus lapidis sapphiri, similitudo throni; et super similitudine throni

> similitudo quasi aspectus Hominis super illo superius; vidi quasi speciem prunae juxta speciem ignis intra illam circumcirca, ab aspectu lumborum Ejus et sursum: sed ab aspectu lumborum Ejus et deorsum vidi quasi aspectum ignis cui splendor circumcirca; sicut aspectus iridis quae est in nube in die pluviae, sic aspectus gloriae circumcirca; hic aspectus similitudinis gloriae Jehovae" (i. [1]26–28):

quoniam per "cherubos" significatur providentia et tutela ne adeatur Dominus nisi per bonum amoris, ideo apparuit thronus, et super throno aspectus Hominis; et per "thronum" significatur universum caelum, et per "Hominem" super throno Ipse Dominus: per "speciem prunae instar ignis ab aspectu lumborum Ejus sursum" significatur Divinus Amor caelestis, qui in caelis superioribus regnat; nam caeli superiores repraesentantur per superiorem corporis partem a lumbis sursum, cui correspondent; nam constituunt illam in Maximo Homine qui est caelum; "ignis instar prunae" significat illum amorem, similiter "lumbi," nam lumbi correspondent conjugio boni et veri, quod est illis qui in superioribus caelis; inde est quod caelum dicatur "conjugium," et quod Dominus dicatur "Sponsus" et "Maritus," et caelum et ecclesia "Sponsa" et "Uxor:" quod "a lumbis deorsum apparuerit sicut splendor ignis, qui sicut iris," significat Divinum Amorem spiritualem, qui regnat in caelis inferioribus; nam regio corporis a lumbis usque ad plantas pedis correspondet illi amori; et quia is amor procedit ex Divino Amore caelesti, dicitur "ignis et ejus splendor;" Divinum Verum ex Divino Bono Amoris est quod splendet et sistit speciem iridis. Inde quoque patet quod translucentia Divini Veri spiritualis per Divinum Verum naturale sistat illam apparentiam in caelis, et consequenter quod significet illud (ut supra dictum est). (Sed haec clarius possunt intelligi ex illis quae in opere *De Caelo et Inferno* dicta sunt De Caelo, quod ex Divino Humano Domini referat unum Hominem, n. [2]59–86: De Correspondentia omnium Caeli cum omnibus Hominis, n. 87–102: et quod in *Arcanis Caelestibus* de correspondentia lumborum, n. 3021, 4280, 4462, 5050–5062.) Simile etiam per "arcum in nube," seu iridem, significatur in *Libro Geneseos*,

> "Dixit Deus" ad Noachum, "Hoc signum foederis quod Ego do inter Me et inter vos, et inter omnem animam vivam quae vobiscum in generationes saeculi: arcum meum dedi in nube, et erit in signum foederis inter Me et inter terram; et erit in obnubilando Me nube super terram, et videtur arcus in nube; et recordabor foederis mei, quod inter Me et inter vos, et inter omnem animam vivam in omni carne, et non erit amplius aquae in diluvium ad perdendum om-

nem carnem ; et erit arcus in nube, et video illum ad recordandum foederis aeterni inter Deum et inter omnem animam vivam in omni carne, quae super terra" (ix. 12-17):

qui non scit quod in singulis Verbi sit etiam sensus spiritualis, opinari potest quod arcus in nube, qui iris vocatur, appareat in signum quod terra non amplius perdenda sit diluvio; cum tamen ille arcus existit ex causis in Natura, et reproducitur mediate quando radii lucis e sole partes aqueas pluviae e nube perstringunt; unde patet quod similes arcus seu irides etiam ante diluvium exstiterint. Quapropter per irides visas ab hominibus e tellure ex correspondentia spiritualium et naturalium intelliguntur irides visae angelis in mundo spirituali, quae omnes existunt ex luce caeli et ejus modificatione in sphaera spirituali naturali ibi, proinde ex Divino Vero spirituali et ejus translucentia in Divino Vero naturali; nam omnis lux in caelo est spiritualis, et est in sua essentia Divinum Verum procedens a Domino: inde constare potest quod per "arcum in nube," seu iridem, significetur Divinum Verum spirituale translucens per Divinum Verum naturale; quae translucentia fit ab illis qui per Divinum Verum ac per vitam secundum illud reformantur et regenerantur a Domino. Ipsa translucentia etiam in caelis apparet ut iris. Per "signum foederis" significatur praesentia et conjunctio Domini cum illis, nam "foedus" illam significat. Hoc signum datum est, quia per "diluvium," quo deperditum est genus humanum tunc, significantur dira falsa mali, ex quibus posteritas Antiquissimae Ecclesiae perierat: restitutio et instauratio ecclesiae novae, quae Ecclesia Antiqua vocatur, per Divinum Verum conjunctum bono spirituali, quod in sua essentia est charitas, repraesentative sistitur per irides in caelo, et inde significatur per irides in mundo. Sed quia illa verba involvunt plura arcana, quae non paucis possunt exponi, videantur illa singillatim explicata in *Arcanis Caelestibus* (n. 1031-[1]1059).

596. ***"Et facies ejus sicut sol."***—Quod significet *Divinum Amorem Domini ex quo omne Divinum Verum, quod in caelo et in ecclesia est Verbum*, constat ex significatione "faciei," cum de Domino, quod sit Divinus Amor, Divina Misericordia et omne Bonum (de qua supra, n. 74, 412[*a*-*e*]); et ex significatione "solis," cum de Domino, quod etiam sit

Divinus Amor (de qua etiam supra, n. 401[a–e],[1]525, 527): et quia ex Domino ut Sole in caelo angelico procedit omnis lux quae ibi, et lux ibi est Divinum Verum, inde etiam intelligitur ex quo omne Divinum Verum; et quia Verbum includit omne Divinum Verum, et idem Verbum quod est in mundo etiam est in caelo, et quia per "angelum fortem descendentem e caelo" intelligitur Dominus quoad Verbum (videatur supra, n. 593), ideo dicitur Divinum Verum, quod in caelo et in ecclesia est Verbum. (Quod idem Verbum quod est in mundo etiam sit in caelo, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 259, 261, 303–310.)

597. ***"Et pedes ejus sicut columnae ignis."***—Quod significet *Divinum Verum seu Verbum in ultimis, quod naturale sustentans interiora ibi, etiam plenum bono amoris*, constat ex significatione "pedum," cum de Domino, quod sit Divinum Bonum Divini Amoris naturalis, quod est ultimum in ordine Divino (de qua supra, n. 65, 69); ex significatione "columnarum," quod sint vera inferiora quae sustentant superiora (de qua supra, n. 219); et ex significatione "ignis," cum de Domino, quod sit Divinus Amor (de qua etiam supra, n. 68, 496, 504[a–d]): ex his constare potest quod per "pedes angeli visos sicut columnae ignis" significetur Divinum Verum seu Verbum in ultimis, quod naturale sustentans interiora sit plenum bono amoris. Per Divinum Verum in ultimis intelligitur Verbum in sensu litterae; et quia hic sensus est naturalis, et naturale est ultimum ordinis Divini, ideo id sustentat Divinum Verum spirituale et caeleste, prorsus sicut columnae domum, et sicut pedes corpus; nam absque naturali sensu Verbi diffluerent interiora, quae sunt spiritualia et caelestia, sicut domus submotis columnis. Quare omnia et singula quae in sensu naturali seu ultimo Verbi sunt, perpetuae correspondentiae sunt; hoc est, correspondent spiritualibus et caelestibus quae in caelis sunt, et inde quoque significant illa. Ex quibus aliquatenus patere potest quomodo Divinum Verum naturale, quod est Verbum in mundo, sustentat Divinum Verum spirituale et caeleste, quod est Divinum Verum in caelo, sicut columnae domum. Inde constare potest unde est quod pedes angeli visi sint "sicut columnae ignis." Quod Verbum etiam in sensu ultimo seu naturali sit plenum bono amoris, constare potest ex his Domini verbis,

"Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua; hoc est primarium et magnum mandatum. Secundum simile est illi, Amabis proximum tuum sicut te ipsum: ex his duobus mandatis [tota] Lex et Prophetae pendent" (*Matth.* xxii. 37-39[, 40]):

per "Legem et Prophetas" intelligitur Verbum in omnibus et singulis; proinde per illa verba intelligitur quod omnia et singula Verbi pendeant ex bono amoris in Dominum, et ex bono charitatis erga proximum.

VERSUS 2-4.

598. ***"Et habebat in manu sua libellum apertum, et posuit pedem suum dextrum super mare, et sinistrum super terram. Et clamavit voce magna, sicut leo rugit, et cum clamavit locuta sunt septem tonitrua suas voces. Et cum locuta sunt septem tonitrua voces suas, futurus sum scribere; et audivi vocem e caelo dicentem mihi, Obsigna quae locuta sunt septem tonitrua, et ne illa scribas."***

2. ***"Et habebat in manu sua libellum apertum,"*** significat *Verbum manifestatum* [n. 599]; ***"et posuit pedem suum dextrum super mare, et sinistrum super terram,"*** significat *sensum litterae qui naturalis, in quo sunt omnia caeli et ecclesiae* [n. 600].

3. ***"Et clamavit voce magna sicut leo rugit,"*** significat *testificationem gravis doloris propter desolationem Divini Veri in ecclesia* [n. 601]; ***"et cum clamavit, locuta sunt septem tonitrua suas voces,"*** significat *instructionem e caelo et perceptionem de statu ultimo ecclesiae* [n. 602].

4. ***"Et cum locuta sunt septem tonitrua voces suas, futurus sum scribere,"*** significat *quod illum statum manifestare vellet* [n. 603]; ***"et audivi vocem e caelo dicentem mihi, Obsigna quae locuta sunt septem tonitrua, et ne illa scribas,"*** significat *mandatum a Domino, ut illa reserventur, et nondum manifestentur* [n. 604].

599. [*Vers.* 2.] ***"Et habebat in manu sua libellum apertum."***—Quod significet *Verbum manifestatum* constat ex significatione "libelli aperti," quod sit Verbum manifestatum; quod libellus apertus id sit, constare potest ex eo, quod per "angelum fortem descendentem e caelis, qui habebat in manu libellum," repraesentetur Dominus quoad Verbum, et quidem quoad sensum ejus ultimum, qui vocatur sensus litterae (videatur supra, n. 593); et quia Verbum manifestatum est tam angelis et hominibus, ideo dicitur "libellus apertus."

600[*a*]. ***"Et posuit pedem suum dextrum super mare et sinistrum super terram."***—Quod significet *sensum litterae qui naturalis, in quo sunt omnia caeli et ecclesiae*, constat ex significatione "pedum," cum de angelo per quem intelligitur Dominus quoad Verbum, quod sit Divinum Verum in ultimis, seu Verbum in sensu naturali, qui est

sensus litterae (de qua supra, n. 65, 69): (per "pedes" in communi sensu significantur naturalia, ex causa quia homo a capite ad plantas pedum correspondet caelo, quod in toto complexu refert unum Hominem; caput correspondet caelo intimo seu tertio, cujus angeli sunt caelestes; pectus usque ad lumbos correspondet medio seu secundo caelo, cujus angeli vocantur spirituales; ac pedes correspondent ultimo seu primo caelo, cujus angeli sunt caelestes naturales et spirituales naturales; at ipsae plantae pedum correspondent mundo, in quo omne est naturale: ex quibus patet unde est quod "pedes" significent naturalia (de qua correspondentia videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59–86, et 87–102): inde nunc patet unde est quod [per] "pedes angeli," per quem hic repraesentatus est Dominus quoad Verbum, significetur sensus naturalis Verbi, qui est sensus litterae ejus:—) et ex significatione "pedis dextri super mare et sinistri super terram," quod sint omnia caeli et ecclesiae; per "[1]dextrum" enim significantur omnia boni ex quo verum, et per "sinistrum" omnia veri ex bono; et per "mare" et "terram" significantur omnia caeli et ecclesiae exteriora et interiora, per "mare" exteriora et per "terram" interiora; et quia omnia caeli et ecclesiae se referunt ad bonum et ad verum, tum ad exteriora et interiora, ideo per illa verba communiter significantur omnia caeli et ecclesiae. Quod visus sit stare "super mari et super terra," est quia similis facies rerum apparet in mundo spirituali quae in mundo naturali, nempe quod sicut in hoc etiam in illo sint maria et quoque terrae; maria circumcirca, et terrae inter illa (videatur supra, n. 275, 342, 538[*a,c*]): ex quo constare potest quod per "mare et terram" significentur omnia caeli et quoque ecclesiae. Quoniam in Verbo passim dicitur "dextrum et sinistrum," et in aliquibus locis solum "dextrum" aut solum "sinistrum," velim paucis exponere quid per unum et alterum, et quid per utrumque simul, significatur. Hoc cognosci potest ex plagis in mundo spirituali: ad dextrum ibi est meridies et ad sinistrum est septentrio, ac ante est oriens ac post est occidens: angelus enim perpetuo conversus est ad Dominum ut Solem: quare ante illum est Dominus ut oriens, et post illum est Dominus ut occidens; et a dextro est meridies, et a sinistro est septentrio. Ex

hac conversione est quod "dextrum" significet verum in luce et "sinistrum" verum in umbra; seu quod idem, quod "dextrum" significet spirituale bonum quod est verum in luce, et "sinistrum" spirituale verum quod est verum in umbra; ita quoque "dextrum" significat bonum ex quo verum, ac "sinistrum" verum ex bono. Talia significantur per omnes partes corporis et quoque capitis dextras et sinistras, ut per dextrum et sinistrum oculum, per dextram et sinistram manum, per dextrum et sinistrum pedem, et sic porro; retenta usque propria significatione membri et partis. Ex his paucis sciri potest quid in Verbo tam Novi quam Veteris Testamenti in genere et in specie significatur per "dextrum" et "sinistrum," ut in sequentibus his locis:—Apud *Matthaeum*,

"Tu cum feceris eleemosynam, ne cognoscat sinistra tua quid fecerit dextra, ut sit tua eleemosyna in occulto" (vi. [1]3, 4):

per hoc significatur quod bonum sit faciendum ex bono et propter bonum, et non propter semet et mundum ut appareat; per "eleemosynam" intelligitur omne bonum opus; et per "ne cognoscat sinistra quid fecerit dextra" significatur quod bonum faciendum sit ex ipso bono, et non absque bono, quoniam id non est bonum: per "dextram" significatur bonum ex quo, et per "sinistram" verum ex bono, ut supra dictum est; hoc unum agit apud illos qui in bono amoris et charitatis sunt, at non unum apud illos qui spectant semet et mundum in bonis quae agunt; quare per "sinistram" hic intelligitur scire et agere absque bono: "ut sit eleemosyna tua in occulto" significat ne sit propter apparentiam. Apud eundem,

"Et" Rex "statuet oves a dextris suis, hircos vero a sinistris; et dicet iis qui a dextris, Venite, benedicti Patris mei, tanquam hereditatem possidete paratum vobis regnum a fundatione mundi:....et dicet iis a sinistris, Discedite a Me, maledicti, in ignem aeternum paratum diabolo et angelis ejus" (xxv. 33, 34, 41):

qui non scit quid in proprio sensu per "oves" et quid per "hircos" significatur, opinari potest quod per "oves" intelligantur omnes boni, et per "hircos" omnes mali; sed in proprio sensu per "oves" intelliguntur illi qui in bono charitatis erga proximum sunt et inde in fide, et per "hircos" intelliguntur illi qui in fide separata a charitate sunt,

ita omnes super quos judicium ultimo tempore ecclesiae futurum est; nam omnes qui in bono amoris in Dominum et inde in bono charitatis et fidei fuerunt, ante ultimum judicium in caelum sublati sunt; et omnes qui in nullo bono charitatis et inde fide, proinde omnes qui interius et simul exterius mali fuerunt, in infernum ante ultimum judicium conjecti sunt; at qui interius boni fuerunt, et non aeque exterius, et qui interius mali fuerunt at exterius in bono, omnes illi relicti sunt ad ultimum judicium; tunc qui interius boni fuerunt, sublati sunt in caelum, et qui interius mali fuerunt, conjecti sunt in infernum (de qua re videantur quae ex visis et auditis dicta sunt in opusculo *De Ultimo Judicio*): ex illis constare potest quod per "hircos" intelligantur illi qui in fide separata a charitate fuerunt; quemadmodum etiam per

"Hircum" apud *Danielem* (cap. viii. 5–25), et apud *Ezechielem* (cap. xxxiv. 17).

Inde constare potest quod per "dextram," ubi "oves," intelligatur bonum charitatis et inde fidei; et per "sinistram," ubi "hirci," intelligatur fides separata a charitate. Quod ovibus dictum sit quod "possiderent tanquam hereditatem paratum illis regnum a fundatione mundi," est quia in caelis a dextris est meridies, ubi sunt omnes qui in veris ex bono sunt; in ipsa enim meridionali parte est ipsum Divinum procedens tale, quod intelligitur per "regnum paratum a fundatione mundi:" ideo quoque vocantur "benedicti Patris mei;" per "Patrem" intelligitur Divinum Bonum, ex quo omnia caeli. At de hircis, qui a sinistris, non dicitur "paratum a fundatione mundi," sed "ignis aeternus paratus diabolo et angelis ejus;" quia mali sibi ipsis parant infernum. Vocantur "maledicti" quia per "maledictos" in Verbo intelliguntur omnes qui se avertunt a Domino, nam illi rejiciunt charitatem et fidem ecclesiae. Quid per "ignem aeternum" significatur, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 566–575). Per

"Binos latrones," quorum unus a dextris et alter a sinistris Domini crucifixi fuerunt (*Matth.* xxvii. 38; *Marc.* xv. 27; *Luc.* xxiii. 39–43),

similes intelliguntur qui per "oves" et qui per "hircos;" quare uni, qui agnovit Dominum, dictum est, quod "cum Ipso esset in Paradiso." Apud *Johannem*,

> Jesus dixit discipulis piscantibus, "Mittite in dextras partes navigii rete, tunc invenietis: miserunt itaque; et non amplius illud trahere potuerunt prae multitudine piscium" (xxi. 6):

quoniam per "piscationem" in Verbo significatur instructio et conversio hominum qui in bono externo seu naturali sunt, in quo bono plures eo tempore ex gentibus fuerunt, per "pisces" enim significantur illa quae naturalis hominis sunt, et per "navigium" significatur doctrina ex Verbo, quare per "dextras partes" ejus significatur bonum vitae; inde constare potest quid significatur per quod Dominus dixerit quod "mitterent rete in dextras partes navigii," nempe ut docerent bonum vitae: quod sic ad ecclesiam converterent gentes, significatur per quod "invenerint copiam, ut prae multitudine piscium non valerent trahere rete;" quisque potest videre quod Dominus non dixerit ut "in dextras partes mitterent rete," nisi "dextra pars" esset significativa. Apud *Matthaeum*,

> "Si oculus dexter scandalizaverit te, erue illum et abjice abs te;....et si dextra tua [manus] scandalizaverit, amputa illam et abjice abs te" (v. 29, 30):

quod Dominus per "dextrum oculum" et per "dextram manum" non intellexerit dextrum oculum et dextram manum, quisque videre potest ex eo, quod dicatur quod oculus "eruendus sit," et quod manus "amputanda," si scandalizaverint; sed quia per "oculum" in sensu spirituali significatur omne id quod est intellectus et inde cogitationis, et per "dextram manum" omne id quod est voluntatis et inde affectionis, constare potest quod per "Si oculus dexter scandalizaverit, eruendus sit," significetur si cogitaret malum quod id ex cogitatione rejiciendum sit; et quod per "Si dextra manus scandalizaverit, amputanda sit," significetur si vellet malum quod id voluntatis excutiendum sit: ipse enim oculus non potest scandalizare, nec dextra manus, sed cogitatio intellectus et affectio voluntatis, quae correspondent, possunt. Quod dicatur "dexter oculus" et "dextra manus," et non sinister oculus et sinistra manus, est quia per "dextrum" significatur bonum et in opposito sensu malum, at per "sinistrum" significatur verum et in opposito sensu falsum; et omnis scandalizatio fit ex malo, non autem ex falso nisi falsum sit falsum mali: quod haec dicta sint de interno homine, cujus est

cogitare et velle, et non de externo, cujus est videre et agere, constat quoque ex illis quae proxime ibi praecedunt de "muliere aliena," quod solum illam aspicere ex concupiscentia sit adulterium committere.

[*b.*] Apud *Evangelistas*,

> Mater filiorum Zebedaei petiit a Jesu, ut unus filiorum ejus sederet ad dextram, alter ad sinistram in regno Ipsius; dixit Jesus, "Nescitis quid petitis;....sedere ad dextram meam et ad sinistram meam, non meum est dare, nisi iis quibus datum est a Patre" (*Matth.* xx. 20. 21, [22,] 23; *Marc.* x. 35–40):

quod "mater filiorum Zebedaei," Jacobi et Johannis, [1]petierit illa, erat ut per "matrem" intelligatur ecclesia, per "Jacobum" charitas, et per "Johannem" bonum charitatis actu; haec duo, seu illi qui in iis sunt, in caelo ad dextram et ad sinistram Domini sunt; ad dextram ibi est meridies, et ad sinistram septentrio, et in meridie sunt qui in luce veri ex bono clara sunt, et in septentrione qui in luce veri ex bono obscura sunt: ipsum Divinum procedens a Domino ut Sole producit Divinam sphaeram talem in illis plagis; quapropter non alii ibi possunt esse quam qui in illis veris ex bono sunt; hoc significatur per quod "sedere ad dextram et ad sinistram Domini, non sit nisi iis quibus datum seu paratum est a Patre;" per "Patrem" intelligitur Divinum Bonum Divini Amoris, ex quo caelum et omne caeli; quare per illa Domini verba intelligitur quod Dominus det illis ad dextram et ad sinistram suam in caelis sedere, quibus a fundatione mundi paratum est in meridie et in septentrione hereditatem sortiri. Quod per "dextram" intelligatur meridies in caelis, manifeste constat apud *Davidem*,

> "Tui caeli et tua terra, orbem et plenitudinem ejus fundasti, septentrionem et dextram Tu creasti" (Ps. lxxxix. [12,] 13 [*B. A.* 11, 12]):

per "caelum et terram" intelliguntur caeli superiores et inferiores, similiter ecclesia interna et externa; per "orbem et plenitudinem ejus" intelliguntur caeli et ecclesia in genere quoad bonum et quoad verum, per "orbem" caelum et ecclesia quoad bonum, et per "plenitudinem ejus" caelum et ecclesia quoad verum; et quia illa seu illi qui in illis sunt in septentrione et in meridie, et quia meridies est ad dextram Domini, ideo dicitur "septentrio et dex-

tra;" et quia Divinum Verum unitum Divino Bono tale est in plagis illis a fundatione mundi, ut supra dictum est, ideo dicitur, "fundasti" et "creasti." Apud *Esaiam*,

"Dedit vobis Dominus panem angustiae, et aquas oppressionis, sed non avolare amplius cogentur doctores tui, sintque oculi tui respicientes doctores tuos, et aures tuae audient verbum...., dicendo, Haec via, ite in ea, quando ad dextram abibitis, et quando ad sinistram" (xxx. 20, 21):

agitur ibi de illis qui in tentationibus sunt, et qui per illas et post illas instructionem in veris doctrinae admittunt et recipiunt; ipsae tentationes significantur per "panem angustiae" et per "aquas oppressionis;" per "panem angustiae" significantur tentationes quoad bonum amoris, et per "aquas oppressionis" significantur tentationes quoad vera fidei; sunt enim tentationes duplicis generis, nempe quoad bonum quod est amoris, et quoad verum quod est fidei; "panis" significat bonum amoris, et "aquae" significant vera fidei; "angustia" et "oppressio" significant status tentationum: instructio in veris doctrinae significatur per quod "oculi respicient ad doctores;" "oculi" significant intellectum et fidem, "doctores" significant doctrinam: bonum vitae secundum vera doctrinae significatur per quod "aures audient verbum;" per "aures" significatur obedientia; et quia obedientia est vitae, inde per "audire verbum" significatur vita secundum vera doctrinae: instructio et obedientia ulterius describitur per "dicendo, Haec via, ite in ea, quando ad dextram abibitis et quando ad sinistram;" per "viam" significatur verum ducens; verum ducens ad meridiem in caelo intelligitur per "abire ad dextram," et verum ducens ad septentrionem ibi per "abire ad sinistram." Apud eundem,

"Amplifica locum tentorii tui, et cortinas habitaculorum tuorum expandant, ne prohibeas; longos fac funes tuos, et clavos tuos firma; quia ad dextram et ad sinistram erumpes, et semen tuum gentes hereditabit, et urbes desolatas habitari facient" ([1]liv. 2, 3):

agitur ibi de instauratione ecclesiae apud gentes; et per "amplificare locum tentorii" significantur incrementa ecclesiae quoad cultum ex bono; per "expandere cortinas habitaculorum" significantur incrementa ecclesiae quoad vera doctrinae; per "longos facere funes" significatur extensio illorum; per "firmare clavos" significatur confir-

matio ex Verbo; per "erumpere ad dextram et ad sinistram" significatur amplificatio quoad bonum charitatis et quoad verum fidei, ("ad dextram" quoad bonum charitatis, et "ad sinistram" quoad verum fidei ex illo bono;) per "semen" quod "gentes hereditabit" significatur verum per quod bona ("semen" est verum et "gentes" sunt bona); et per "urbes desolatas" quas "gentes habitari facient" significantur vera ex bonis vitae; "urbes desolatae" sunt vera doctrinae ubi non prius vera, "gentes" sunt bona vitae ex quibus vera, et "habitare" est vivere. Apud eundem,

> "In excandescentia Jehovae Zebaoth obscurata est terra, factusque est populus sicut cibus ignis; vir fratri suo non parcent; et si deciderit ad dextram esuriet tamen, et si comederit ad sinistram non saturabuntur; vir carnem brachii sui comedent" (ix. 18–20 [*B. A.* 19–21]):

per haec describitur exstinctio boni per falsum ac veri per malum; exstinctio omnis boni et veri, utcunque inquiritur, significatur per "Si deciderit ad dextram esuriet tamen, et si comederit ad sinistram non saturabuntur;" "dextra" est bonum ex quo verum, et "sinistra" est verum ex bono; "[1]caedere et comedere" ad illas est inquirere, "esurire et non saturari" est non inveniri, et si invenitur usque non recipi. (Reliqua videantur supra, n. 386[*b*], explicata.) Apud *Ezechielem*,

> "Similitudo facierum" cheruborum, "facies hominis et facies leonis ad dextram quatuor illis, ac facies bovis...ad sinistram, et facies aquilae quatuor illis" (i. 10):

quid per "cherubos," et quid per "facies" eorum, quae sicut facies hominis, leonis, bovis et aquilae, significatur, videatur supra (n. 277-281); quod facies hominis et leonis "ad dextram" visae sint, est quia per "hominem" significatur Divinum Verum in luce et intelligentia, et per "leonem" Divinum Verum in potentia inde, quale est in caelo in meridie; et quod facies bovis "ad sinistram" sit visa, significat bonum veri in obscuro, per "bovem" enim significatur bonum naturalis hominis quod in obscuro est illis qui in caelo ad septentrionem habitant. Apud *Sachariam*,

> "In die illo ponam duces Jehudae sicut fornacem ignis in lignis, et sicut facem ignis in manipulo, ut comedant ad dextram et ad sinistram omnes populos circumcirca, ut habitet amplius Hierosolyma sub se in Hierosolyma" (xii. 6):

agitur ibi de instauratione ecclesiae caelestis, seu ecclesiae quae in bono amoris in Dominum erit; illa ecclesia intelligitur per "domum Jehudae:" per "duces" ejus intelliguntur bona cum veris illius ecclesiae: dispersio malorum et falsorum ab illis, significatur per quod "ponentur sicut fornax ignis in lignis, et sicut fax ignis in manipulo," et per quod "comedent ad dextram et ad sinistram omnes populos circumcirca;" mala quae dispergentur ab illa ecclesia significantur per "sicut fornacem in lignis et sicut facem in manipulo;" et falsa, quae etiam dispergentur, significantur per "populos circumcirca" quos comedent seu consument: quod ecclesia illa tuta erit ab infestatione malorum et falsorum, et victura in bono vitae secundum vera doctrinae, significatur per quod "habitabit amplius Hierosolyma sub se in Hierosolyma;" "habitari" praedicatur de bono vitae, et "Hierosolyma" significat ecclesiam quoad vera doctrinae. Apud *Ezechielem*,

> "Contra omnes portas illorum dabo aciem gladii, et factus est in fulgur, exacutus ad mactationem; aduna te, ad dextram verte; dispone te, ad sinistram verte; quo facies tuae nutant" (xxi. 20, 21 [*B. A.* 15, 16]):

describitur per haec destructio veri per dira falsa; per "gladium" significatur tale falsum destruens verum; diritas et enormitas illius falsi describitur per quod "gladius factus sit in fulgur et exacutus ad mactationem;" quod non illis, qui in eo falso sunt, sit aliquod bonum nec verum, quocunque studio inquirunt, significatur per "Aduna te, ad dextram verte; dispone te, ad sinistram verte; quo facies tuae nutant." Apud [1]*Sachariam*,

> "Vae pastori nihili deserenti gregem; gladius super brachio ejus, et super oculo dextrae ejus; brachium ejus arescendo arefiet, et oculus dextrae ejus caligando caligabit" (xi. 17):

per "pastorem nihili deserentem gregem" intelliguntur qui non docent verum et per id ducunt ad bonum vitae, quibus non curae est num verum sit vel falsum quod docent; per "gladium super brachio ejus" significatur falsum destruens omne bonum voluntatis; et per "gladium super oculo dextrae" significatur falsum destruens omne verum intellectus; quod deprivandi sint omni bono et vero, significatur per quod "brachium arescendo arefiet,

et oculus dextrae caligando caligabit." (Videantur etiam haec explicata supra, n. 131[*b*], 152.)

[*c*.] Quoniam dextra regio corporis, et dextrae regionis membra, significant bonum per quod verum, ideo cum inaugurarentur Aharon et filii ejus in sacerdotium, mandatum est,

> Ut sumeretur sanguis ex ariete, et daretur super auriculam auris eorum dextrae, super pollicem manus eorum dextrae, et super pollicem pedis eorum dextri (*Exod.* xxix. 20):

hoc mandatum est quia "sanguis" significabat Divinum Verum per quod bonum amoris, hoc enim repraesentabatur per Aharonem, et illud per filios ejus; et quia omnis inauguratio ad repraesentandum Divinum Bonum Amoris fit per Divinum Verum, dabatur sanguis super auriculam auris dextrae, super pollicem manus dextrae, et super pollicem pedis dextri; per "auriculam auris dextrae" significatur obedientia ex perceptione, per "pollicem manus dextrae" significatur bonum voluntate, et per "pollicem pedis dextri" significatur bonum actu. Quoniam per "lepram" significatur bonum consumptum per falsa, hoc malum quomodo per Divina media restituendum sit, describitur per processum mundationis leprae in spirituali sensu intellectum; ex quo haec solum velim afferre,

> Quod sacerdos acciperet de sanguine reatus, et daret super auriculam auris mundandi dextram, et super pollicem manus ejus dextrum, et super pollicem pedis ejus dextrum: et acciperet sacerdos e logo oleum, et effunderet super volam suam sinistram, et intingeret sacerdos digitum suum [1]dextrum oleo quod super vola ejus sinistra, et spargeret de oleo in digito suo septem vicibus coram Jehovah (*Levit.* xiv. 14-17, 24-28):

similia hic per "auriculam auris dextram," "pollicem manus dextrum," et "pollicem pedis dextrum" significantur, quae supra; simile etiam per "sanguinem," nempe, Divinum Verum, hoc enim purificat hominem a falsis, quae consumpserunt bona apud illum; a quibus cum purificatus est, produci potest bonum per vera, et sic homo a lepra sanari. Ex his et illis constare potest quod per "dextrum" et "sinistrum" significetur bonum ex quo verum, et verum ex bono (ut supra dictum est). Quid alioqui foret quod sanguis daretur super dextram partem illorum membrorum, et quod oleum sumeretur vola sinistra, et spargeretur digito [2]dextro? Similiter

Quod propheta Ezechiel jussus sit cubare super latere sinistro, et quod ponerentur super illo iniquitates domus Israelis ([*Ezech.*] iv. 4):

per "prophetam" enim significatur docens, et in sensu abstracto doctrina ecclesiae; per "latus sinistrum" significatur doctrina veri ex bono, et per vera ex bono homo ex inquitatibus purificatur. Quod Salomo posuerit labra,

"Quinque juxta humerum domus a dextra, et quinque juxta humerum domus a sinistra ejus; mare autem" aeneum "ab humero domus dextro versus orientem e regione meridiei" (1 *Reg.* vii. 39),

erat causa, quia "domus" seu Templum repraesentabat caelum et ecclesiam, "labra" purificationes a falsis et malis, et sic praeparationes ad intrandum in caelum et in ecclesiam; "humerus dexter domus" significabat meridiem in caelis, ubi Divinum Verum est in sua luce; et "humerus sinister" ejus significabat septentrionem, ubi Divinum Verum est in sua umbra: ita per "decem" illa "labra" significabantur omnia purificationis et omnes qui purificantur, et per "quinque" ab hoc humero et ab altero significabantur illi seu illud genus hominum apud quos Divinum Verum est in luce et apud quos est in umbra; nam "decem" significant omnia et omnes, ac "quinque" unam partem seu unum genus: mare aeneum repraesentabat commune purificatorium; quod hoc positum fuerit "ab humero domus dextro versus orientem e regione meridiei," erat quia Divinum Verum purificans ex Divino Amore Domini procedit; oriens enim est ubi Dominus ut Sol apparet; Divinum Verum, quod est lux caeli ex illo Sole, in meridie est in suo claro et aprico: haec causa fuit quod commune purificatorium positum fuerit "versus orientem e regione meridiei." Haec arcana Verbi non sciri possunt in mundo, nisi ex cognitis plagis in caelo, quae aliter se habent quam in mundo. (Sed De Plagis in Caelo, videantur quae ex visis et auditis in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141–153, dicta sunt.) Quoniam in mundo spirituali quisque intrat et ambulat vias quae ducunt ad illos qui in simili regnante amore sunt, et cuique liberum est ire viam quam vult, et in quam et per quam ejus amor ducit eum, et viae illae ad dextrum et sinistrum tendunt ad unum vel ad alterum amorem, ita ad illum qui insitus est, ideo quoque per "dextrum" et "sinistrum" significatur lubitum, liberum, et optato:—Ut in *Libro Geneseos*,

Dixit Abraham ad Lothum, "Separa te;....si sinistram, dextram petam; si dextram, sinistram ibo" (xiii. 9);

Et servus Abrahami dixit ad Labanem, cum rogaret Rebeccam in uxorem Isaco, "Indicate mihi, ut respiciam ad dextram vel ad sinistram" (xxiv. 49).

Per "non recedere et declinare ad dextram vel ad sinistram" significatur etiam non aliam viam ire quam illam quam Ipse Dominus, et quam bonum et verum caeli et ecclesiae ducunt, sic non erronee: ut

Quod non recederent a verbo sacerdotis Levitae ac judicis, nec a praeceptis in Verbo ad dextram vel ad sinistram (*Deutr.* xvii. 11, 20; cap. xxviii. 14: *Jos.* i. 7: 2 *Sam.* xiv. 19);

Et quod filii Israelis non declinarent ad dextram aut ad sinistram; sed irent viam regis, cum pertransirent terram Edomi (*Num.* xx. 17); et cum pertransirent terram regis Sichonis (*Deutr.* ii. 27).

Praeterea quod "dextra" significet plenam potentiam, et cum de Domino Divinam omnipotentiam, videatur supra (n. 298[*a*,*b*]).

601[*a*]. [*Vers.* 3.] ***"Et clamavit voce magna sicut leo rugit."***—Quod significet *testificationem gravis doloris propter desolationem Divini Veri in ecclesia*, constat ex significatione "clamare voce magna," quod sit testificatio gravis doloris (de qua sequitur); et ex significatione "sicut leo rugit," quod sit propter desolationem Divini Veri in ecclesia; per "leonem" enim significatur Divinum Verum in sua potentia (videatur supra, n. 278), et per "rugire" significatur effectus doloris propter desolationem ejus. Quod haec per "clamare voce magna sicut leo rugit" significentur, constat ex sequentibus hujus capitis, ubi agitur de desolatione Divini Veri in ecclesia; nam per "angelum fortem descendentem e caelo" intelligitur Dominus quoad Verbum, quod est Divinum Verum; de quo postea dicitur quod "angelus sustulerit manum suam ad caelum, et juraverit per Viventem in saecula saeculorum, quod tempus non erit amplius," per quod significatur quod non amplius intellectus Divini Veri, et inde aliquis status ecclesiae: et postea dicitur quod "In diebus vocis septimi angeli consummabitur mysterium Dei," per quod significatur ultimum judicium, quod venturum quando non aliqua fides Divini Veri quia non bonum charitatis. Ex his constare potest quod per "Clamavit voce magna sicut leo rugit," significetur testificatio gravis doloris propter desolationem Divini Veri in ecclesia. Praeterea in Verbo pluries nomina-

tur "leo;" et per "leonem" in supremo sensu significatur Dominus quoad Divinum Verum, et similiter caelum et ecclesia quoad illud a Domino; et inde per "leonem" significatur Divinum Verum quoad potentiam (de qua "leonis" significatione videatur supra, n. 278); inde constare potest quid significatur per "rugire" seu "rugitum leonis," nempe ardens affectio tutandi caelum et ecclesiam, et sic salvandi angelos caeli et homines ecclesiae, quod fit destruendo falsa mali per Divinum Verum et ejus potentiam; ac in opposito sensu per "rugire" et "rugitum leonis" significatur ardens cupiditas perdendi et devastandi ecclesiam, quod fit destruendo Divinum Verum per falsa mali. Hae significationes sunt "rugitus leonis," quia leo dum in fame est et appetit rapinam, et quoque dum incenditur ira contra hostes, solet rugire. Quod "rugire" et "rugitus" talia in Verbo significent, constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"Sic dixit Jehovah ad me, Quemadmodum rugit leo et juvenis leo super rapina sua, cum occurrit contra illum plenitudo pastorum, a quorum voce non consternatur, et a tumultu eorum non affligitur, sic descendet Jehovah Zebaoth ad militandum super monte Zionis et super colle ejus" (xxxi. 4):

Jehovah comparatur leoni rugienti, quoniam per "leonem" significatur Dominus quoad Divinum Verum et ejus potentiam, et per "rugire" ardor tutandi ecclesiam contra mala et falsa; quare dicitur, "Sic descendet Jehovah ad militandum super monte Zionis et super colle ejus;" "mons Zionis" est ecclesia caelestis; et "collis ejus," seu Hierosolyma, est ecclesia spiritualis; "rapina" super qua rugit leo, significat liberationem ab inferno. Apud *Joelem*,

"Jehovah e Zione rugiet, et ex Hierosolyma dabit vocem suam, et contremiscent caeli et terra; sed Jehovah refugium populo suo, et munitio filiis Israelis" (iv. [*B. A.* iii.] 16):

tutatio fidelium a Domino per Divinum Verum describitur per quod "Jehovah e Zione rugiet, et ex Hierosolyma dabit vocem suam;" vehemens potentia Divini Veri et inde terror describitur per quod "contremiscent caeli et terra;" ac salvatio et tutatio per quod "Jehovah refugium populo suo et munitio filiis Israelis;" "populus Jehovae" et "filii Israelis" sunt fideles qui ab ecclesia. Apud *Hoscheam*,

"Non revertar ad perdendum Ephraimum;....post Jehovam ibunt, sicut leo rugiet, quia ille rugiet, et cum honore accedent filii a mari; cum honore advenient sicut avis ab Aegypto, et sicut columba e terra Assyriae; et habitare faciam eos super domibus suis" (xi. [9,] 10, 11);

per "Ephraimum" significatur ecclesia quoad intellectum veri; de illa itaque sequentia dicuntur: "post Jehovam ire" significat colere Dominum et vivere ab Ipso; "sicut leo rugiet quia ille rugiet" significat tutationem illorum per Divinum Verum; "cum honore accedent filii a mari" significat quod ad ecclesiam accessuri qui in naturali bono: "cum honore advenient sicut avis ab Aegypto" significat cogitationem eorum naturalem ex scientificis veris; "avis" est cogitatio, et "Aegyptus" est scientificum quod est naturale verum: "et sicut columba e terra Assyriae" significat quod illis rationale bonum et verum; "columba" est rationale bonum, et "terra Assyriae" est ecclesia quoad rationale verum: (est enim apud hominem naturale ut et rationale bonum et verum; naturale est inferius seu exterius spectans mundum, rationale est superius seu interius conjungens naturale cum spirituali; naturale est "Aegyptus," rationale est "Aschur," et spirituale est "Israel:") "et habitare faciam eos super domibus suis" significat vitam ex voluntate boni et ex intellectu veri; mens humana quae ex illis consistit, intelligitur per "domum," et vivere significatur per "habitare." Apud *Amos*,

"Non faciet Dominus Jehovih verbum, nisi revelaverit arcanum suum servis suis prophetis; leo rugiit, quis non timeat? Dominus Jehovih locutus est, quis non prophetet?" (iii. 7, 8:)

"non [1]faciet Dominus Jehovih verbum, nisi revelaverit arcanum suum servis suis prophetis," significat quod Dominus aperiat interiora Verbi et doctrinae illis qui in veris ex bono sunt; per "revelare arcanum" significatur illustrare et aperire interiora Verbi, per "servos prophetas" significantur qui in veris doctrinae sunt et recipiunt: "leo rugiit, quis non timeat?" significat potentem revelationem et manifestationem Divini Veri; "Dominus Jehovih locutus est, quis non prophetet?" significat receptionem ejus et manifestationem. Dominus vocatur "Dominus Jehovih" quando agitur de bono. Apud *Sachariam*,

"Vox ejulatus pastorum, quod vastata sit magnificentia eorum; vox rugitus leonum [juvenum], quod vastata sit elatio Jordanis" (xi. 3);

"vox ejulatus pastorum, quod vastata sit magnificentia eorum," significat dolorem docentium quod bonum ecclesiae perierit; "pastores" dicuntur qui docent verum et per id ducunt ad bonum vitae, et "magnificentia" est bonum ecclesiae: "vox rugitus leonum juvenum, quod vastata sit elatio Jordanis," significat dolorem propter desolationem Divini Veri in ecclesia; "leones" dicuntur qui in Divinis veris sunt, "rugitus" significat dolorem, "elatio Jordanis" quae vastata significat ecclesiam quoad Divinum Verum introducens. Apud *Hiobum*,

> Deus "rugit voce sua, tonat voce majestatis suae, nec tamen subvertit cum auditur vox ejus; tonat Deus voce sua mirabiliter" (xxxvii. 4, 5);

per "rugire" et "tonare voce," significatur potentia et efficacia Divini Veri seu Verbi.

[**b.**] In allatis locis in lato sensu per "rugire" significata est ardens affectio tutandi caelum et ecclesiam, seu angelos caeli et homines ecclesiae, quod fit destruendo falsa mali per Divinum Verum et ejus potentiam: at per "rugire" in opposito sensu significatur ardens cupiditas perdendi et destruendi ecclesiam, quod fit destruendo Divinum Verum per falsa mali. In hoc sensu dicitur "rugire" in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Erit Babel in acervos, in habitaculum draconum, stuporem et sibilum...; una sicut leones rugient, rugitum edent sicut catuli leonum; cum incaluerint [1]ponam convivia eorum, et inebriabo ut exultent, et dormiant somnum saeculi, nec evigilent" (li. 37–39):

exitium Babelis ut non sit ibi aliquod verum nec aliquod bonum, significatur per "Erit Babel in acervos, habitaculum draconum, stuporem et sibilum;" "Babel" significat illos qui sanctis abutuntur ad dominandum; eorum ardens cupiditas destruendi Divinum Verum per falsa mali significatur per "Una sicut leones rugient, rugitum edent sicut catuli leonum;" ardor consociatorum ad id facinus significatur per "cum incaluerint [ponam] convivia eorum;" quod insanituri sint ex falsis mali, significatur per "Inebriabo ut exultent;" quod nusquam intellecturi aliquod verum, et inde quod non visuri vitam sint, significatur per quod "dormient somnum saeculi nec evigilent." Apud eundem,

"Num servus Israel? num natus domus ille? Quare factus est in praedam? Contra eum rugiunt leones juvenes, edunt vocem suam, redigunt terram ejus in vastitatem, urbes ejus incenduntur, adeo ut non sit habitator" (ii. 14, 15):

"Num servus Israel? num natus domus ille?" significat ecclesiam quae in veris et bonis fuerat, et quod hactenus non sit: "Israel" significat ecclesiam, "servus" illos qui in veris, et "natus domus" illos qui in bonis: "quare factus est in praedam?" significat devastationem ejus; "contra eum rugiunt leones juvenes, edunt vocem suam," significat in illa desolationem Divini Veri a falsis mali; "redigunt terram ejus in vastitatem" significat destructionem ipsius ecclesiae a malis; "urbes ejus incenduntur, adeo ut non sit habitator," significat destructionem doctrinalium ejus etiam a malis, usque ut non supersit aliquod bonum ecclesiae. Apud *Ezechielem*,

"Surrexit unus de catulis" leaenae, "juvenis leo factus, sed didicit rapere rapinam, homines devoravit;....stupravit viduas, et urbes.. devastavit; et [1]devastata est terra et plenitudo ejus a voce rugitus ejus" (xix. 3, 7):

haec de Ecclesia Judaica, quae ibi intelligitur per "matrem leonum:" per "juvenem leonem" significatur falsum mali in ardore destruendi verum ecclesiae; per "rapere rapinam" significatur destructio veri et boni ecclesiae: "homines devoravit, viduas stupravit, et urbes devastavit," significant destructionem omnis intellectus veri, et boni desiderantis verum, tum doctrinalium; "homines" significant intellectum veri, "viduae" bonum desiderans verum, ac "urbes" doctrinalia: "[1]devastata est terra et plenitudo ejus a voce rugitus ejus" significat devastationem ecclesiae, et exstinctionem omnis veri ex Verbo per falsum mali; "terra" est ecclesia, "plenitudo" sunt vera ejus ex Verbo, et "vox rugitus" est falsum mali destruens. Apud *Jeremiam*,

"Gladium Ego voco super omnes habitatores terrae;....quare tu dices ad eos, Jehovah ex alto rugiet, et ex habitaculo sanctitatis suae edet vocem suam: rugiendo rugiet contra habitacula sua, venit tumultus usque ad finem terrae, quia lis Jehovae contra gentes, judicium intrabit cum omni carne, impios tradet gladio" (xxv. 29-31):

tribuitur hic Jehovae vastatio ecclesiae, tametsi homines in causa sunt: "gladium Ego voco super omnes habitatores terrae" significat falsum destruens omne verum in

universa ecclesia; "Jehovah ex alto rugiet, et ex habitaculo sanctitatis suae edet vocem suam," significat testificationem doloris in caelo propter vastationem Divini Veri; "rugiendo rugiet contra habitacula sua" significat gravem dolorem et lamentationem super omnia ecclesiae; "venit tumultus usque ad finem terrae" significat perturbationem omnium a primis ecclesiae ad ultima ejus; "quia lis Jehovae contra gentes, judicium intrabit cum omni carne," significat visitationem et judicium super omnes qui in malis; "impios tradet gladio" significat exitium illorum ex falsis. Apud *Amos*,

> "Jehovah ex Zione rugiet, et ex Hierosolyma dabit vocem suam, ut lugeant habitacula pastorum, et exarescat vertex Carmelis" (i. 2):

"rugitus ex Zione" significat gravem dolorem, et "vox ex Hierosolyma" significat lamentationem; "luctus habitaculorum pastorum, et exarescentia verticis Carmelis," significat propter vastationem omnium bonorum et verorum ecclesiae; "habitacula pastorum" significant omnia bona ecclesiae, "vertex Carmelis" significat omnia vera ejus, et "luctus" et "exarescentia" vastationem: quod "vertex Carmelis" significet vera ecclesiae, est quia in Carmele erant vineae, et "vinum" significat verum ecclesiae. Apud *Esaiam*,

> "Ira accensa est Jehovae contra populum Ipsius,...sustulit signum gentibus e longinquo, et sibilavit illi ab extremitate terrae;.... rugitus illi sicut leonis, rugit sicut leones juvenes, et fremit, et apprehendit praedam, ac rapiet ut non eripiens, et fremit contra eum...quasi fremitu maris; unde despiciet in terram, quae ecce tenebrae, anxietas, et lux obtenebrescit in ruinis ejus" (v. 25–30):

etiam hic "rugitus sicut leonis et sicut leonum juvenum" significat dolorem et lamentationem super vastationem Divini Veri in ecclesia per falsa mali; quod "apprehendat praedam et non eripiens" significat liberationem et salvationem illorum qui in veris ex bono sunt: ipsa vastatio describitur per "Ecce tenebrae, anxietas et lux obtenebrescit in ruinis ejus;" "tenebrae" sunt falsa, "anxietas" est malum, "lucis obtenebratio" est evanescentia Divini Veri, et "ruinae" significant subversionem totalem. Apud *Davidem*,

> "Omnia perdidit hostis in sanctuario, rugierunt hostes in festi tui medio" (Ps. lxxiv. 3, 4):

"hostis" significat malum ab inferno, "sanctuarium" ecclesiam, et "festum" cultum; inde patet quid per illa verba in serie significatur. Quod "rugitus" significet gravem lamentationem ex dolore cordis, constat ex his locis:—Apud *Davidem*,

> "Cum conticui, inveterata sunt ossa mea, per rugitum meum omni die" (Ps. xxxii. 3);

apud eundem,

> "Debilitatus sum et contritus usque valde, rugivi prae rugitu cordis mei" (Ps. xxxviii. 9 [*B. A.* 8]);

et apud *Hiobum*,

> "Ante panem suspirium meum, et effunduntur sicut aquae rugitus mei" (iii. 24).

602. ***"Et cum clamavit, locuta sunt septem tonitrua suas voces."***—Quod significet *instructionem e caelo et perceptionem de statu ultimo ecclesiae*, constat ex significatione "loqui voces," quod sit instruere, hic e caelo, quia dicitur quod septem tonitrua "locuta sint;" et ex significatione "septem tonitruum," quod sint Divinum Verum quoad intellectum et perceptionem (de qua supra, n. 273): tonitrua dicuntur "septem," quia per "septem" significantur omnia, et plenum, et dicuntur quando agitur de rebus sanctis (videatur supra, n. 20, 24, 257, [1]300). Quod sit de statu ultimo ecclesiae de quo Johannes e caelo per voces sicut tonitruum instructus est, est quia de illo statu in hoc capite agitur, ut constat ex his in sequentibus, "In diebus vocis septimi angeli, quando futurus clangere, et consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit servis suis prophetis" (vers. 7): et quod usque docebitur in ecclesia, antequam ille status, qui est finis, venturus, intelligitur per ultima verba hujus capitis, "Oportet te iterum prophetare super populos et gentes et linguas et reges multos" (vers. 11). Ex his constare potest quod per "Locuta sunt septem tonitrua voces suas" significetur instructio e caelo et perceptio de statu ultimo ecclesiae.

603. [*Vers.* 4.] ***"Et cum locuta sunt septem tonitrua voces suas, futurus sum scribere."***—Quod significet *quod illum statum manifestare vellet*, constat ex significatione "cum locuta sunt septem tonitrua voces suas," quod sit instructio e caelo et perceptio de statu ultimo ecclesiae (de qua mox supra,

n. 602); et ex significatione "futurus sum scribere," quod sit velle manifestare; quod "scribere" sit manifestare, patet.

604. ***"Et audivi vocem e caelo dicentem mihi, Obsigna quae locuta sunt septem tonitrua, et ne illa scribas."***—Quod significet *mandatum a Domino, ut illa reserventur et nondum manifestentur*, constat ex significatione "audire vocem e caelo," quod sit mandatum a Domino, quod est, "Ne illa scribas;" ex significatione "obsignare quae locuta sunt septem tonitrua," quod sit quod reticenda et reservanda sint illa quibus instructus est, et quae percepit de statu ultimo ecclesiae; et ex significatione "Ne illa scribas," quod sit quod nondum manifestanda sint (de qua mox supra, n. 603). Quod "obsignare" sit reticere et reservare ad aliud tempus, constare potest ex sequentibus in hoc Libro; agitur enim in sequentibus de statu ecclesiae medio, qui intercedet inter clangorem sexti et septimi angeli, hoc est, inter statum ecclesiae penultimum et ejus ultimum; quare futura in ultimo statu, sunt quae reservanda et nondum manifestanda.

VERSUS 5–7.

605. ***"Et angelus, quem vidi stantem super mari et super terra, sustulit manum suam ad caelum. Et juravit per Viventem in saecula saeculorum, qui creavit caelum et quae in eo, et terram et quae in ea, et mare et quae in eo, quod tempus non erit amplius. Sed in diebus vocis septimi angeli, quando futurus clangere, et consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit servis suis prophetis."***

5. ***"Et angelus, quem vidi stantem super mari et super terra,"*** significat *Dominum, cui subjecta sunt omnia caeli et ecclesiae* [n. 606]; ***"sustulit manum suam ad caelum,"*** significat *contestationem coram angelis de statu ecclesiae* [n. 607].

6. ***"Et juravit per Viventem in saecula saeculorum,"*** significat *veritatem ex Divino suo* [n. 608]; ***"qui creavit caelum et quae in eo, et terram et quae in ea, et mare et quae in eo,"*** significat *Dominum quoad omnia caeli et ecclesiae, interiora et exteriora* [n. 609]; ***"quod tempus non erit amplius,"*** significat *quod non ulterius intellectus Divini Veri, et inde aliquis status ecclesiae* [n. 610].

7. ***"Sed in diebus [vocis] septimi angeli, quando futurus clangere,"*** significat *ultimum statum ecclesiae, et tunc revelationem Divini Veri* [n. 611]; ***"et consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit servis suis prophetis,"*** significat *praedictionem in Verbo de adventu Domini implendam cum finis ecclesiae instat* [n. 612].

606. [*Vers.* 5.] ***"Et angelus, quem vidi stantem super mari et super terra."***—Quod significet *Dominum, cui subjecta sunt omnia caeli et ecclesiae*, constat ex significatione "an-

geli descendentis e caelo," quod sit Dominus (de qua supra, n. 593); et ex significatione "stantis super mari et super terra," quod sit cui subjecta sunt omnia caeli et ecclesiae (de qua etiam supra, n. 600[a]); inde per "stare super illis" significatur illa Ipsi subjecta esse:—Ut quoque apud *Davidem*,

"Dominari fecisti Ipsum super [1]opera manuum tuarum; omnia posuisti sub pedes Ejus" (Ps. viii. 7 [*B. A.* 6]):

hoc de Domino; dominium Ipsius super omnia caeli et ecclesiae intelligitur per quod "omnia posita sint sub pedes Ejus." Et apud *Esaiam*,

"Locum pedum meorum honorabilem reddam" (lx. 13):

per "locum pedum Domini" in communi sensu intelliguntur omnia caeli et ecclesiae, quoniam Dominus ut Sol est supra caelos; at in sensu particulari per "locum pedum" significatur ecclesia, nam ecclesia Domini est apud homines in mundo naturali, et naturale est ultimum, in quod Divinum desinit et super quo quasi subsistit: inde est quod ecclesia in terris etiam dicatur "scabellum pedum Domini," apud eundem,

"Terra scabellum pedum meorum" (lxvi. 1; *Matth.* v. 35);

tum in *Threnis*,

"Projecit e caelis in terram decus Israelis, nec recordatur scabelli pedum suorum" (ii. 1);

et apud *Davidem*,

"Intrabimus in habitacula Ipsius, incurvabimus nos scabello pedum Ipsius" (Ps. cxxxii. 7):

haec de Domino, et per "scabellum pedum Ipsius" intelligitur ecclesia in terris. Ex his constare potest quod per "stare super mari et super terra," cum de Domino, significetur quod omnia caeli et ecclesiae Ipsi subjecta sint. In specie autem per "mare et terram" supra quae posuit pedes suos, significatur caelum ultimum, et ecclesia in terris, ut nunc dictum est: nam per partes corporis superiores, quae fuerunt angelo, significantur caeli superiores, quia correspondent illis; caelum enim intimum correspondet capiti, caelum medium pectori usque ad lumbos, et caelum ultimum pedibus, ecclesia autem in terris plantis pedum; unde est quod haec intelligatur per "scabellum pedum."

Ex hac correspondentia concludi potest quid in genere et in specie repraesentatum est per "angelum," per quem intelligitur Dominus, "stantem super mari et super terra;" nempe quod repraesentatum sit universum caelum; Dominus enim est caelum, ac Divinum Humanum Ipsius format illud ad Sui imaginem: inde est quod totum caelum in conspectu Domini sit sicut unus homo, et quod correspondeat omnibus hominis; quare etiam caelum vocatur Maximus Homo. (Sed de hac re videantur quae in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59–102, allata sunt.)

607. *"Sustulit manum suam ad caelum."*—Quod significet *contestationem coram angelis de statu ecclesiae*, constat ex significatione "tollere manum ad caelum," quod sit contestatio coram angelis: quod sit de statu ecclesiae, patet a sequentibus. Quod sit contestatio coram angelis, quae hic significatur per "tollere manum ad caelum," concludi potest ex eo, quod contestationes fiant per elevationes manuum ad caelum; tum ex eo, quod "juraverit per Viventem in saecula saeculorum quod non tempus erit amplius," ut mox sequitur; et "jurare" est vox contestationis, et "tempus," quod non erit amplius, significat statum ecclesiae.

608[*a*]. [*Vers.* 6.] *"Et juravit per Viventem in saecula saeculorum."*—Quod significet *veritatem ex Divino suo*, constat ex significatione "jurare," quod sit asseveratio et confirmatio, et cum de Domino, quod sit veritas (de qua sequitur); et ex significatione "per Viventem in saecula saeculorum," quod sit Divinum ab aeterno, quod solum vivit, et ex quo omnibus in universo tam angelis quam hominibus vita. (Quod hoc significetur per "Viventem in saecula saeculorum," videatur supra, n. 289, 291, 349[*a,b*].) Quod "jurare" significet asseverationem et confirmationem, hic autem veritatem, quia ab "angelo," per quem intelligitur Dominus, constare potest ex eo, quod jurare sit asseverare et confirmare quod ita sit, et cum a Domino, quod sit Divina Veritas: juramenta enim fiunt solum ab illis qui non interius in ipsa verita sunt; hoc est, ab illis qui non interiores sed solum exteriores homines sunt; inde nec fiunt usquam ab angelis, minus itaque a Domino; sed quod in Verbo dicatur quod juret, et quod concessum fuerit filiis Israelis jurare per Deum, est quia solum exteriores homines fuerunt, et quia asseveratio et confirmatio interni hominis, dum in externum, cadit in

jurare: et in Ecclesia Israelitica omnia erant externa, quae repraesentabant et significabant interna; simile etiam est Verbum in sensu litterae. Inde constare potest quod per quod "angelus juraverit per Viventem in saecula saeculorum," non intelligendum sit quod ita juraverit, sed quod in se dixerit quod veritas sit, et quod hoc in sphaeram naturalem delapsum secundum correspondentias conversum sit in jurare. Nunc quia jurare est solum externum correspondens confirmationi, quae est mentis interni hominis, et inde significat illam, ideo in Verbo Veteris Testamenti dicitur quod liceat jurare per Deum, immo quod Ipse Deus juraverit: quod id significet confirmationem, asseverationem, et simpliciter veritatem, seu quod verum sit, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Juravit Jehovah per dextram, et per brachium roboris" (lxii. 8);

apud *Jeremiam*,

> "Juravit Jehovah Zebaoth per animam suam" (li. 14; *Amos* vi. 8);

apud *Amos*,

> "Juravit Dominus Jehovih per sanctitatem suam" (iv. 2);

apud eundem,

> "Juravit Jehovah per excellentiam Jacobi" (viii. 7);

apud *Jeremiam*,

> "Ecce Ego juravi per nomen meum magnum" (xliv. 26):

quod Jehovah dicatur juravisse per "dextram suam," per "animam suam," per "sanctitatem suam," et per "nomen suum," significat per Divinam Veritatem; nam per "dextram Jehovae," per "brachium roboris Ipsius," per "sanctitatem," per "nomen," et per "animam Ipsius," intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, ita Divinum Verum procedens a Domino; similiter per "excellentiam Jacobi," nam per "fortem Jacobi" intelligitur etiam Dominus quoad Divinum Verum. Quod "jurare," cum a Jehovah, significet confirmationem a Se seu ex suo Divino, patet apud *Esaiam*,

> "Per Me juravi, exivit ex ore meo Verbum, quod non revocabitur" (xlv. 23);

et apud *Jeremiam*,

> "Per Me juravi quod in desolatione futura sit domus haec" (xxii. 5).

Quia per "jurare," cum a Jehovah, significatur Divina Veritas, ideo dicitur apud *Davidem*,

> "Juravit Jehovah Davidi veritatem, e qua Se non [1]subducit" (Ps. cxxxii. 11).

Jehovah Deus seu Dominus nunquam jurat, non enim convenit Ipsi Deo seu Divinae Veritati jurare; at cum Deus seu Divina Veritas vult aliquid coram hominibus confirmatum habere, tunc illa confirmatio, in sphaeram naturalem delapsa, in juramentum seu in juramenti formulam in mundo solennem cadit: inde patet quod tametsi Deus nusquam jurat, usque in Verbi sensu litterae, qui sensus est naturalis, dicatur quod juret. Hoc itaque significatur per "jurare," cum de Jehovah seu Domino, in locis praecedentibus, et quoque in his sequentibus:—Apud *Esaiam*,

> "Juravit Jehovah Zebaoth dicendo, Si non quemadmodum cogitavi, ita futurum est" (xiv. 24);

apud *Davidem*,

> "Pepigi foedus Electo meo, juravi Davidi servo meo:....Domine, jurasti Davidi in veritate" (Ps. lxxxix. 4, 36, [2]50 [*B. A.* 3, 35, 49]);

apud eundem,

> "Juravit Jehovah, et non paenitebit Ipsum" (Ps. cx. 4);

apud *Ezechielem*,

> "Juravi tibi, et inii foedus [tecum],....ut esses Mihi" (xvi. 8);

apud *Davidem*,

> "Quibus juravi in ira mea" (Ps. xcv. 11);

apud *Esaiam*,

> "Juravi non transituras aquas Noachi amplius super terram" (liv. 9);

apud *Lucam*,

> "Ad recordandum foederis sancti sui, juramenti quod juravit Abrahamo patri nostro" (i. 72, 73);

apud *Davidem*,

> "Memor fuit foederis sui....quod excidit cum Abrahamo, et juramenti sui cum Isaco" (Ps. cv. [8,] 9);

apud *Jeremiam*,

> "Ut stabiliam juramentum quod juravi patribus vestris" (xi. 5; cap. xxxii. 22);

[apud *Mosen*,]

> "Terra...quam juravi daturum patribus vestris" (*Deutr.* i. 35; cap. x. 11; cap. xi. 9, 21; cap. xxvi. 3, 15; cap. xxxi. 20; cap. xxxiv. 4).

Ex his constare potest quid intelligitur per quod "angelus sustulerit manum suam ad caelum, et juraverit per Viventem in saecula saeculorum;" similiter ut apud *Danielem*,

"Audivi Virum indutum linteis, quod sustulerit dextram suam et sinistram suam ad caelos, et juraverit per Viventem in saecula saeculorum" (xii. 7);

quod nempe sit contestatio coram angelis de statu ecclesiae, quod Divina Veritas esset quae sequitur.

[***b.***] Quoniam ecclesia apud filios Israelis instituta fuit ecclesia repraesentativa, in qua omnia quae mandata fuerunt erant naturalia quae repraesentabant et significabant spiritualia, ideo filiis Israelis, apud quos illa ecclesia erat, concessum fuit jurare per Jehovam et per nomen Ipsius, tum per sancta ecclesiae; per quod repraesentabatur et inde significabatur confirmatio interna, et quoque veritas; ut constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"Qui benedicit sibi in terra, benedicat sibi in Deo veritatis; et qui jurat in terra, juret in Deo veritatis" (lxv. 16);

apud *Jeremiam*,

"Jura per vivum Jehovam in veritate, in judicio et in justitia" (iv. 2);

apud *Mosen*,

"Jehovam Deum tuum timebis, Illi servies, et in nomine Ipsius jurabis" (*Deutr.* vi. 13; cap. x. 20);

apud *Esaiam*,

"In die illo erunt quinque civitates in terra Aegypti,....jurantes Jehovae Zebaoth" ([1]xix. 18);

apud *Jeremiam*,

"Si discendo discent vias populi mei, ad jurandum per nomen meum, Vivus Jehovah (xii. 16);

apud *Davidem*,

"Gloriabitur omnis jurans per" Deum, "et obturabitur os loquentium mendacium" (Ps. lxiii. 12 [*B. A.* 11]);

"jurare per Deum" hic significat loqui veritatem; nam sequitur, "Obturabitur os loquentium mendacium."

(Quod juraverint per Deum, videatur etiam *Gen.* xxi. 23, 24, 31: *Jos.* ii. 12; cap. ix. 20: *Judic.* xxi. 7: 1 *Reg.* i. 17.)

Quoniam concessum fuit antiquis jurare per Jehovam Deum, ideo sequitur quod enorme malum fuerit jurare falso seu in

mendacium, ut patet ex his locis:—Apud *Malachiam*,

> "Ero testis contra praestigiatores, et contra adulteros, et contra jurantes falso" (iii. 5);

apud *Mosen*,

> "Non jurabis per nomen meum mendacium, ut profanes nomen Dei tui:" et, "Ne sumas nomen Dei tui in vanum" ([1]*Levit.* xix. 12; *Deutr.* v. 11; *Exod.* xx. 7; *Sach.* v. 4);

apud *Jeremiam*,

> "Discurrite per plateas Hierosolymae, et videte....num sint qui per vivum Jehovam dixerint, utique per mendacium jurant:....filii tui [2]destruxerunt Me, et juraverunt per non Deum" (v. 1, 2, 7);

apud *Hoscheam*,

> "Israel,...ne juretis, Vivit Jehovah" (iv. 15);

apud *Zephaniam*,

> "Exscindam....jurantes per Jehovam, et jurantes per Regem suum, et recedentes a post Jehovam" (i. [4,] 5, 6);

apud *Sachariam*,

> "Non juramentum mendacii amate" (viii. 17);

apud *Esaiam*,

> "Audite domus Jacobi,....qui jurant per nomen Jehovae,....non in veritate, neque in justitia" (xlviii. 1);

apud *Davidem*,

> "Mundus manibus et purus corde non effert ad vanitatem animam suam, et non jurat cum dolo" (Ps. xxiv. 4).

Ex his constare potest quod antiquis, qui in ecclesiae repraesentativis et significativis fuerunt, concessum fuerit jurare per Jehovam Deum ut testarentur veritatem, et quod sic per juramentum illud significatum sit quod cogitent verum et velint bonum: imprimis id concessum fuit filiis Jacobi, quoniam illi prorsus externi et naturales homines fuerunt, et non interni et spirituales; et mere externi seu naturales homines volunt veritatem confirmatam et contestatam habere per juramenta; interni autem seu spirituales homines id nolunt, immo aversantur juramenta et horrent ad illa, praecipue ad illa quae fiunt per Deum et per sancta caeli et ecclesiae, contenti quod dicant et quod dicatur hoc verum esse vel ita esse. Quoniam jurare non est interni seu spiritualis hominis, ac Dominus, cum in mundum venit, docuit internos seu spirituales esse, et ob illum finem,

postquam abrogavit externa ecclesiae, et aperuit interna ejus, ideo etiam prohibuit jurare per Deum et per sancta caeli et ecclesiae; ut constare potest ex his Domini verbis, apud *Matthaeum*,

> "Audivistis quod dictum sit, Non jurabis, solves vero Domino juramentum tuum: Ego vero dico vobis, non jurabis omnino; neque per caelum quia thronus Dei est, neque per terram quia scabellum pedum Ipsius est, neque per Hierosolymam quia urbs est magni Regis; neque jurabis per caput tuum, quia non potes unum pilum album vel nigrum facere" (v. 33-37);

memorantur ibi sancta, per quae non jurandum est; nempe "caelum," "terra," "Hierosolyma" et "caput;" et per "caelum" intelligitur caelum angelicum, quare vocatur "thronus Dei;" (quod per "thronum Dei" intelligatur id caelum, videatur supra, n. 253, 462, 477;) per "terram" intelligitur ecclesia (videatur supra, n. 29, 304, 413, 417); quare vocatur "scabellum pedum Dei;" (quod "scabellum pedum Dei" etiam sit ecclesia, supra, n. 606;) per "Hierosolymam" intelligitur doctrina ecclesiae, quare dicitur "urbs magni Dei;" (quod urbs sit doctrina, supra, n. 223:) et per "caput" intelligitur intelligentia inde (supra, n. 553, [1]577); quare dicitur "Non potes unum pilum album vel nigrum facere" per quod significatur quod homo ex se nihil intelligere possit. Porro, apud eundem,

> "Vae vobis, duces caeci, quia dicitis, Quicunque juraverit per templum, nihil est; quicunque vero juraverit per aurum templi, reus est: stulti et caeci, utrum enim majus est, aurum an templum quod sanctificat aurum? Tum, Quicunque juraverit per altare, nihil est; quicunque vero juraverit per donum quod super illo est, reus est: stulti et caeci, utrum majus est, donum an altare quod sanctificat donum? Qui vero juraverit per altare, jurat per id et per omne id quod super illo est; et qui juraverit per templum, jurat per illud et per Ipsum qui habitat in illo; et qui jurat per caelum, jurat per thronum [Dei], et per Ipsum qui sedet super illo" (xxiii. 16-22):

quod "non jurandum sit per templum et per altare" est quia jurare per illa erat jurare per Dominum, per caelum et per ecclesiam; nam per "templum" in supremo sensu intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, et in sensu respectivo caelum et ecclesia quoad illud, tum omnis cultus ex Divino Vero (videatur supra, n. 220); et per "altare" significatur Dominus quoad Divinum Bonum, et in sensu respectivo caelum et ecclesia quoad illud, tum omnis cultus ex Divino Bono (etiam supra, n. 391): et quia per Dominum intelliguntur omnia Divina quae procedunt ab Ipso, est enim Ipse in illis et illa sunt Ipsius, ideo qui jurat per

Ipsum jurat per omnia Ipsius; similiter qui jurat per caelum et ecclesiam jurat per omnia sancta quae sunt caeli et ecclesiae, nam caelum est complexus et continens illorum, similiter ecclesia; ideo dicitur quod templum sit majus auro templi, quia templum sanctificat illud; et quod altare sit majus dono quod super illo, quia altare sanctificat illud.

609. ***"Qui creavit caelum et quae in eo, et terram et quae in ea, et mare et quae in eo."***—Quod significet *Dominum quoad omnia caeli et ecclesiae, interiora et exteriora*, constat ex significatione "creare," quod non solum sit facere ut sit, sed etiam ut perpetuo sit, continendo et sustinendo per Divinum procedens; nam caeli exstiterunt et perpetuo existunt, hoc est, subsistunt, per Divinum Domini, quod vocatur Divinum Verum unitum Divino Bono: hoc receptum ab angelis facit caelum; inde est, cum dicitur caelum, quod intelligatur Dominus, quia caelum, ubi sunt angeli, est caelum ex Domino, hoc est, ex Divino ab Ipso procedente: hoc itaque hic significatur per "creare:" (quod creare, cum de ecclesia, et de hominibus ecclesiae, sit e novo creare, hoc est, regenerare, videatur supra, n. [1]294:) et ex significatione "caeli, terrae et maris, et quae in illis," quod sint omnia caeli et ecclesiae interiora et exteriora; per "caelum, terram et mare" in specie hic significantur caeli superiores et inferiores; quoniam in mundo spirituali similis facies rerum est quae in mundo naturali, nempe montes, terrae et maria; montes ibi sunt caeli superiores, quia angeli illorum caelorum super montibus habitant; ac terra et mare ibi sunt caeli inferiores, nam angeli horum caelorum infra montes super terris et sicut in maribus habitant (de qua re videatur supra, n. 594[*d*]); inde est quod angelus, qui haec locutus est, visus sit stare "super terra et mari." Quod per "terram et mare et quae in illis" etiam significentur omnia ecclesiae, tam interiora quam exteriora, est quia in ecclesia sunt interiora et exteriora, sicut in caelis sunt superiora et inferiora, et his illa correspondent. (Quod per "mare et terram" significetur ecclesia quoad exteriora et interiora ejus, videatur supra, n. 600.) Secundum sensum litterae, per "caelum, terram et mare" intelliguntur caelum aspectabile, terra habitabilis et mare navigabile; et per "illa quae in illis" intelliguntur aves, bestiae et pisces: sed quod haec non intelligantur per illa verba, constare potest ex eo, quod angelus visus sit

Johanni quando "in spiritu" fuit, stare super mari et super terra; et quod videtur in spiritu, hoc non videtur in mundo naturali, sed in mundo spirituali; ubi etiam, ut mox supra dictum est, sunt terrae et maria, et ibi sunt angeli et spiritus. Sed de apparentia marium in illo mundo, et de illis qui inibi sunt, videatur supra (n. 342).

610. ***"Quod tempus non erit amplius."***—Quod significet *quod non ulterius intellectus Divini Veri, et inde aliquis status ecclesiae*, constat ex significatione "temporis," quod hic sit status hominis quoad intellectum Verbi, et inde status ecclesiae, quia de hoc et de illo in hoc capite agitur. Quod "tempus" significet statum, est quia tempora in mundo spirituali non aliter determinantur et distinguuntur quam per status vitae particulares et communes. Causa est, quia Sol in illo mundo, qui est Dominus, constans et status est in loco eodem caeli, qui locus ibi est oriens, nec circumfertur sicut sol in mundo naturali apparet: per circumlationem apparentem hujus solis determinantur et sic existunt tempora in communi et in particulari; in communi annus, et ejus quatuor tempora, quae vocantur ver, aestas, autumnus et hiems; haec quatuor tempora anni etiam sunt quatuor status ejus naturales, qui etiam correspondent totidem statibus in mundo spirituali, qui sunt status ejus communes spirituales: in particulari, intra communes illos, sunt in mundo naturali determinata et stata tempora, quae vocantur menses et septimanae, imprimis autem dies, qui distinguuntur in quatuor status naturales, quae vocantur mane, meridies, vespera et nox; quibus etiam correspondent quatuor status in mundo spirituali. In hoc mundo, quia, ut dictum est, Sol non circumfertur, sed manet constans et status in suo oriente, ideo non dantur anni, nec menses et septimanae, neque dies et horae; proinde nec aliquae determinationes per tempora, sed solum determinationes per status vitae communes et particulares: inde est quod ibi ignotum sit quid tempus; sed notum quid status; determinatio enim rei dat notionem ejus, et res secundum notionem nominatur. Haec nunc causa est quod tempora, tametsi in mundo spirituali aeque succedunt sicut in mundo naturali, usque non sciantur quid sunt, sed quod loco eorum sint status et eorum mutationes: inde etiam est quod "tempora," ubi nominantur

in Verbo, significent status. (Sed De Tempore et De Temporibus in Mundo Spirituali videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 162–169; et De Mutationibus Status Angelorum, n. 154–161.)* Quoniam per "tempus" intelliguntur illa quae temporis sunt in mundo naturali, prout quae anni et quae diei sunt, (quae sunt anni sunt sementis et messis, et quae diei sunt mane et vespera,) per haec, quae temporis sunt, describuntur etiam status ecclesiae in Verbo; per "sementem" describitur et significatur instauratio ecclesiae, per "messem" fructificatio ejus, per "mane" primum tempus ejus, et per "meridiem" ad "vesperam" progressivum ejus; hi status naturales etiam correspondent spiritualibus qui sunt status caeli et ecclesiae. Quod ecclesiam attinet, haec illos status subit in communi, ac unusquisque homo ecclesiae in particulari. Quisque homo ecclesiae a prima sua aetate etiam inauguratur in illos status; at cum finis ecclesiae est, tunc non amplius inaugurari potest, non enim recipit Divinum Verum, sed vel rejicit illud, vel pervertit illud; inde non ei est sementis et messis, hoc est, instauratio et fructificatio, nec est mane et vespera, hoc est, non ei est initium et progressivum: hi status intelliguntur et significantur per "tempora" in Verbo; et quia in fine ecclesiae illi status apud homines ecclesiae cessant, ideo hic dicitur quod "non erit tempus amplius," per quod itaque significatur quod non ulterius intellectus Divini Veri seu Verbi, proinde non aliquis status ecclesiae. Simile significatur per "tempus" apud *Ezechielem*,

> "Malum, unum malum ecce venit, finis venit, venit finis; evigilavit super te, ecce venit mane super te, habitator terrae, venit tempus" (vii. 5–7):

haec quoque de statu ecclesiae dicta sunt; finis prioris ecclesiae primum describitur, et instauratio novae ecclesiae postea; finis prioris ecclesiae per haec, "Malum unum, malum ecce venit, finis venit, venit finis;" instauratio novae ecclesiae per haec, "Ecce venit mane super te, habitator terrae, venit tempus;" "mane" significat statum novae seu incohantis ecclesiae, ac "tempus" significat statum progressivum ejus, proinde simile quod per "sementem et messem," tum per "meridiem et vesperam" (ut supra);

---

* [Nota ex margine:—]Videatur ubi dicitur quod "erit quando non dies nec nox." [(*Jerem.* xxxiii. 20; *Sach.* xiv. 7.)]

consequenter statum ecclesiae quoad intellectum veri et voluntatem boni. Apud *Danielem*,

> Bestia quarta "verba contra Altissimum loquetur, et sanctos altissimorum atteret, quia cogitabit immutare tempora et jus; et dabuntur in manus Ejus ad tempus, et tempora, et partem temporis" (vii. 25):

per "bestiam quartam" intelligitur malum quod plene vastaturum est ecclesiam; falsa destruentia vera ecclesiae intelliguntur per "verba" quae "contra Altissimum loquetur," et per "sanctos altissimorum" quos "atteret;" "sancti altissimorum" in sensu abstracto significant Divina vera: quod tunc convertentur vera Verbi et bona ejus in falsa et mala, significatur per quod "immutabit tempora et jus;" "tempora" sunt status ecclesiae quoad intellectum veri: duratio illius status quoad finem ecclesiae significatur per "ad tempus, et tempora et partem temporis," per quae intelligitur status plenus vastationis. Similiter per haec apud *Danielem*,

> "Audivi Virum indutum linteis,....quod sustulerit dextram suam et sinistram suam ad caelos, et juraverit per Viventem in saecula saeculorum, quod ad tempus statum temporum statorum et dimidium, cum consummaturi essent dispergere populum sanctitatis, consummanda essent haec omnia" (xii. [1]7):

per "tempus" hic significatur status, et per "tempus, tempora et dimidium" significatur status plenus vastationis; quare dicitur "cum consummaturi essent dispergere populum sanctitatis;" "populus sanctitatis" sunt illi qui ab ecclesia in Divinis veris, et abstracte sunt Divina vera. Similiter per eadem in *Apocalypsi*,

> Quod mulier in deserto aleretur "ad tempus et tempora et dimidium tempus" (xii. [2]14).

Quoniam "tempus" significat illa quae temporis sunt, prout ver, aestatem, autumnum et hiemem, per quae significantur status regenerandi et regenerati,—tum quae illorum temporum sunt, nempe sementem et messem, per quae significatur status ecclesiae quoad implantationem veri et quoad fructificationem boni inde,—similia etiam significantur per "tempora dierum," quae sunt mane, meridies, vespera, nox; ideo etiam similia per illa significantur in sequentibus locis:—In *Genesi*,

"Adhuc omnibus diebus terrae sementis et messis, et frigus et aestus, et aestas et hiems, et dies et nox non cessabunt" (viii. 22);

(quae in *Arcanis Caelestibus*, n. 930–937, explicata videantur:) apud *Davidem*,

"Tibi dies et Tibi nox, Tu praeparasti lucem et solem; Tu decidisti omnes terminos terrae, aestatem et hiemem Tu formasti" (Ps. lxxiv. 16, 17);

apud *Jeremiam*,

"Jehovah dans solem in lucem diei, statuta lunae et stellarum in lucem noctis:.....si recesserint statuta haec coram Me,...etiam semen Israelis cessabunt, ut non sint gens coram Me omnibus diebus" (xxxi. 35[, 36]);

et apud eundem,

"Dixit Jehovah, Si non foedus meum diei et noctis, statuta caeli et terrae posuero, etiam semen Jacobi et [1]Davidis servi mei reprobabo" (xxxiii. 25, 26):

per "statuta solis, lunae et stellarum," tum per "foedus diei et noctis," ac per "statuta caeli et terrae," similia significantur quae per "tempora," quoniam ex illis statutis existunt tempora: quod per "sementem et messem," "aestatem et hiemem," tum per "diem et noctem," significentur similia quae per "tempora," supra dictum est. Inde sequitur quod eadem per "tempora" significentur, per haec in *Genesi*,

"Dixit Deus, Sit luminaria in expanso caelorum, ad distinguendum inter diem et inter noctem; et erunt in signa, et in stata tempora, et in dies et annos" (i. [2]14–19):

per duo "luminaria," solem et lunam, significantur amor et fides; in eo enim capite in sensu spirituali agitur de nova creatione seu de regeneratione hominis ecclesiae; et per ea quae de sole et luna dicuntur, significantur illa quae principaliter regenerant hominem et faciunt ecclesiam; quare per illa verba et sequentia ibi describitur processus quo regeneratio facta est, ac postea describitur status eorum. Ex his nunc constare potest quid significatur per quod "tempus non erit amplius."

611. [*Vers.* 7.] ***"Sed in diebus vocis septimi angeli, quando futurus clangere."***—Quod significet *ultimum statum ecclesiae, et tunc revelationem Divini Veri*, constat ex significatione "dierum vocis septimi angeli," quod sit status ultimus ecclesiae; progressivae enim mutationes status ecclesiae descriptae sunt per quod "septem angeli clanxerint;" unde per "vocem septimi angeli" significatur ultimus status;

et ex significatione "quando futurus clangere," quod sit tunc revelatio Divini Veri. Quod per "clangere tuba" seu "buccina" significetur influxus Divini Veri, ac revelatio ejus, videatur supra (n. 502); quod hic significetur revelatio ejus, patet ex sequentibus hujus versus, ubi dicitur, "Et consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit suis servis prophetis," per quae significatur quod implebitur tunc praedictio de adventu Domini: cum adventu Domini est quoque revelatio Divini Veri.

612. ***"Et consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit servis suis prophetis."***—Quod significet *praedictionem in Verbo de adventu Domini implendam cum finis ecclesiae instat*, constat ex significatione "consummari," quod sit impleri; ex significatione "mysterii Dei, sicut evangelizavit," quod sit adventus Domini (de qua sequitur); et ex significatione "servorum suorum prophetarum," quod sint vera doctrinae, hic Verbum. Quod "servi Domini" dicantur qui in veris ex bono sunt, videatur supra (n. 6, 409[*a*]); et quod "prophetae" dicantur qui doctrinam docent, et quod in sensu abstracto sint doctrinae (de qua re videbitur infra); quod etiam sint Verbum, est quia Verbum est doctrina Divini Veri, et quia Verbum per prophetas conscriptum est, tum quia omne doctrinae erit ex Verbo. Ex his nunc sequitur quod per "consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit servis suis prophetis" significetur praedictio in Verbo [de adventu] Domini implenda cum finis ecclesiae instat. Quod hoc per illa verba significetur patet ex mox praecedentibus, ut ex sequentibus: in mox praecedentibus dicitur quod hoc futurum "in diebus vocis septimi angeli," per quae intelligitur quod hoc futurum quando finis ecclesiae instat; in sequentibus, quod "postquam septimus angelus clanxit, dictum sit quod regna mundi facta sint Domini et Christi Ipsius;" et postea, quod "apertum sit templum Dei in caelo, ac visa sit arca foederis Ipsius in templo Ipsius (videatur cap. xi. 15–19). Idem etiam ex eo patet quod dum finis ecclesiae instat, Verbum aperiatur, et nova ecclesia instauretur: hoc quoque intelligitur per adventum Domini, nam Dominus est Verbum; quare hoc cum aperitur, apparet Dominus. Quod Verbum apertum fuerit quando Ipse in mundum venit, notum est; quod etiam nunc apertum sit per id quod sensus spiritualis Verbi revelatus sit, constare potest

ex opusculo *De Equo Albo;* et in opere *De Caelo et Inferno* (n. 1); et quod nunc finis ecclesiae sit, in opusculo *De Ultimo Judicio* (n. 33–39, et 45–52, seq.). Finis ecclesiae etiam intelligitur per "vesperam," et adventus Domini per "mane," apud *Danielem*,

> "Usque ad vesperam et mane, bis mille trecenta" (viii. 14[, 26]):

"vespera" significat finem ecclesiae prioris, et "mane" adventum Domini et initium ecclesiae novae. Simile per "mane" apud *Ezechielem*,

> "Malum ecce venit, finis venit, venit finis, evigilavit super te; ecce venit, venit mane super te, habitator terrae, venit tempus" (vii. 5–7);

per "finem" etiam hic significatur finis ecclesiae, et per "mane" adventus Domini et initium ecclesiae novae. Pariter apud *Sachariam*,

> "Erit dies unus qui notus erit Jehovae, non dies nec nox, quia circa tempus vesperae erit lux" (xiv. 7):

per "diem unum qui notus Jehovae" intelligitur adventus Domini; per "tempus vesperae" intelligitur finis ecclesiae, quando omne Divinum Verum obscuratum et falsificatum est; et per "lucem" significatur Divinum Verum manifestatum. Haec nova lux, seu illud mane, quod in fine ecclesiae apparebit, intelligitur etiam hic per "mysterium Dei quod consummabitur sicut evangelizavit servis suis prophetis." In Verbo pluries dicitur "evangelizare" et "Evangelium," et per illud significetur adventus Domini, ut ex sequentibus locis constare potest:—Apud *Esaiam*,

> "Super montem altum ascende tibi, evangelizatrix Zion; extolle cum virtute vocem tuam, evangelizatrix Hierosolyma;.....dic urbibus Jehudae, Ecce Deus vester, ecce Dominus Jehovih in forti venit, et brachium Ejus dominabitur Ipsi;....sicut Pastor gregem suum pascet" (xl. 9–11):

quod haec de adventu Domini dicta sint, manifeste patet; inde est quod Zion et Hierosolyma dicantur "evangelizatrices:" per "Zionem" intelliguntur omnes qui ab ecclesia caelesti sunt, qui sunt qui in amore in Dominum sunt; quare dicitur, "Ascende in montem altum;" per "montem altum" significatur ille amor (videatur supra, n. 405): per "Hierosolymam" intelliguntur omnes qui ab ecclesia spirituali, qui sunt qui in doctrina genuini veri sunt; quare dicitur "Ex-

tolle cum virtute vocem tuam," per quae significatur confessio ex genuinis veris: per "urbes Jehudae," ad quas dicitur quod "Deus vester, Dominus Jehovih in forti venit," significantur doctrinalia ex Verbo, per "urbes" doctrinalia, et per "Jehudam" Verbum: quod Zion et Hierosolyma dicantur "evangelizatrices" ex eo, quod "Evangelium" significet adventum Domini, patet, nam dicitur "Ecce Deus vester, ecce Dominus Jehovih in forti venit:" quod judicium facturus sit, et tutaturus illos qui Ipsum agnoscunt, significatur per quod "brachium Ejus dominabitur Ipsi, sicut Pastor gregem suum pascet." Apud eundem,

> "Quam jucundi sunt super montibus pedes evangelizantis, audire facientis pacem, evangelizantis bonum, audire facientis salutem, dicentis Zioni, Regnabit [1]Rex tuus;....cum oculo ad oculum viderit quod revertatur Jehovah Zionem" ([2]lii. 7, 8):

haec quoque dicta sunt de adventu Domini, qui intelligitur per "Regnabit [1]Rex tuus, quum oculo ad oculum viderit quod revertatur Jehovah Zionem;" similiter in sequentibus illius capitis; inde est quod dicatur "evangelizare." (Reliqua illius versus videantur supra, n. 365[*e*], explicata.) Apud *Nahum*,

> "En super montibus pedes evangelizantis, proclamantis pacem; feriare, Jehudah, festa tua" (ii. 1 [*B. A.* i. 15]).

Apud *Esaiam*,

> "Spiritus Domini Jehovih super Me, ideo unxit Jehovah Me ad evangelizandum pauperibus; misit Me ad obligandum fractos corde, ad praedicandum captivis libertatem, vinctis, oculis capto, ad proclamandum annum beneplaciti Jehovae, et diem vindictae Deo nostro, ad consolandum omnes lugentes" (lxi. 1, 2):

quod haec de Domino et Ipsius adventu dicta sint, patet apud *Matthaeum* (cap. v. 3, seq.) et apud *Lucam* (cap. iv. 16–22); ipse adventus intelligitur per "annum beneplaciti Jehovae," et per "diem vindictae Deo nostro:" per "pauperes" quibus Dominus evangelizaturus est, tum per "captivos," "vinctos," et "oculis captos," intelliguntur gentes, qui tales dicuntur quia in ignorantia veri fuerunt ex eo, quod non habuerint Verbum: gentes quoque intelliguntur apud *Matthaeum*, per

> "Pauperes qui audiunt Evangelium" (xi. 5).

Apud *Davidem*,

> "Cantate Jehovae, benedicite nomini Ipsius, evangelizate de die in diem salutem Ipsius;....Jehovah quia venit, quia venit ad judicandum

terram, judicabit orbem in justitia, et populos in veritate sua" (Ps. xcvi. 2, 13):

agnitio et celebratio Domini, cum gaudio cordis propter adventum Ipsius, significatur per "Cantate Jehovae, benedicite nomini Ipsius, evangelizate de die in diem salutem Ipsius;" ipse adventus describitur per "Jehovah venit:" quoniam adventus Ipsius est quando ultimum judicium instat, ideo dicitur, "Venit ad judicandum terram, judicabit orbem in justitia, et populos in veritate;" per "terram" intelligitur ecclesia, per "orbem" intelliguntur illi in ecclesia qui in bono charitatis sunt, et per "populos" qui in veris inde: quod adventus Domini sit quando ultimum judicium instat, supra dictum est; tunc enim separabuntur mali a bonis, seu hirci ab ovibus, et mali judicabuntur ad infernum, ac boni ad caelum; hoc quoque significatur per Esaiae verba mox supra, "ad proclamandum diem vindictae Deo nostro, et ad consolandum omnes lugentes;" haec causa est quod ubi de ultimo judicio agitur, etiam dicatur "evangelizare," ut quoque in sequentibus in *Apocalypsi*,

"Vidi alium angelum volantem in medio caeli, habentem Evangelium aeternum, ad evangelizandum habitantibus super terra, et omni genti et tribui et linguae et populo, dicentem voce magna, Timete Deum, et date Ipsi gloriam, quia venit hora judicii Ipsius" (xiv. 6, 7).

Quod cum finis ecclesiae instat, evangelizabitur adventus Domini, etiam ab Ipso Domino praedicitur, apud *Evangelistas*,

"Praedicabitur hoc Evangelium regni in toto orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis" ([*Matth.*] xxiv. 14; *Marc.* xiii. 8, 9, [10]).

Quod adventus Domini intelligantur per "evangelizationem" et "Evangelium," constare etiam potest ex sequentibus locis:—Apud *Lucam*,

Angelus [dixit] ad Zachariam, "Ego sum Gabriel, stans coram Deo, missusque sum ut loquar ad te, et ad evangelizandum tibi hoc" (i. 19);

apud eundem,

"Angelus dixit pastoribus, Ne timete, ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod fiet omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in urbe Davidis" (ii. 10, 11);

apud eundem,

Quod Johannes evangelizaverit populo de Jesu (iii. 16–18);
Jesus dixit, "Lex et Prophetae ad Johannem" evangelizantur (xvi. 16);

[et alibi,]

Quod Ipse Dominus evangelizaverit, et quoque discipuli Ipsius, regnum Dei (*Matth.* iv. 23; cap. ix. [1]35: *Marc.* i. 15: *Luc.* vii. 22; cap. viii. 1; cap. ix. 1, 2, 6):

per "regnum Dei" intelligitur novum caelum et nova ecclesia a Domino. Quoniam per "evangelizare" significatur annuntiare adventum Domini, inde per "Evangelium" in supremo sensu significatur Ipse Dominus quoad adventum suum, quoad judicium, et quoad salvationem fidelium, in his locis apud *Marcum*,

Jesus dixit, "Qui voluerit animam suam servare, perdet eam; qui vero perdiderit animam suam propter Me et propter Evangelium, servabit illam" (viii. 35; cap. [2]x. 29, 30);
Jesus dixit discipulis, "Euntes in universum mundum praedicate Evangelium omni creaturae" (xvi. 15).

VERSUS 8–10.

613. ***"Et vox quam audivi e caelo, iterum loquens cum me, et dicens, Abi, accipe libellum apertum in manu angeli stantis super mari et super terra. Et abivi ad angelum, dicens ei, Da mihi libellum; et dixit mihi, Accipe et devora illum, et amaricabit tuum ventrem, sed in ore tuo erit dulcis sicut mel. Et accepi libellum e manu angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo sicut mel dulcis; et cum devoravi illum amaricatus est venter meus."***

8. ***"Et vox quam audivi e caelo, iterum loquens cum me, et dicens,"*** significat *explorationem hominum ecclesiae, qualis intellectus Verbi adhuc apud illos superesset* [n. 614]; ***"Abi, accipe libellum apertum in manu angeli stantis super mari et super terra,"*** significat *Verbum a Domino manifestatum caelo et ecclesiae* [n. 615].

9. ***"Et abivi ad angelum dicens [ei,] Da mihi libellum,"*** significat *facultatem percipiendi a Domino quale est Verbum* [n. 616]; ***"et dixit mihi, Accipe et devora illum,"*** significat *ut legeret, perciperet et exploraret Verbum, quale est intra et quale est extra* [n. 617]; ***"et amaricabit tuum ventrem,"*** significat *quod injucundum esset interius, quia adulteratum* [n. 618]; ***"sed in ore tuo erit dulcis sicut mel,"*** significat *quod jucundum exterius* [n. 619].

10. ***"Et accepi libellum e manu angeli, et devoravi illum,"*** significat *explorationem* [n. 620]; ***"et erat in ore meo sicut mel dulcis,"*** significat *quod Verbum adhuc quoad externum seu quoad sensum litterae ejus perciperetur sicut jucundum, sed modo ex eo quod serviret ad confirmandum principia falsi ex amore sui et mundi oriunda* [n. 621]; ***"et cum devoravi illum amaricatus est venter meus,"*** significat *quod perceptum et exploratum sit, quod Verbum esset interius injucundum ex adulterato vero sensus litterae ejus* [n. 622].

614. [*Vers.* 8.] ***"Et vox quam audivi e caelo, iterum loquens cum me, et dicens."***—Quod significet *explorationem hominum ecclesiae, qualis intellectus Verbi adhuc apud illos superes-*

set, constat ex illis quae praecedunt et ex illis quae sequuntur in hoc capite; nam "vox e caelo, quae cum illo locuta est et dixit," involvit illa. In illis quae praecedunt agitur de intellectu Divini Veri seu Verbi, ut constare potest a versibus 2, 3, 4, ubi per "vocem, qua clamavit angelus fortis descendens e caelo," et per "voces septem tonitruum," significatur manifestatio qualis status ecclesiae est quoad intellectum Verbi (videatur supra, n. 601–604). In illis quae sequuntur agitur de intellectu Verbi adhuc residuo apud homines ecclesiae; per "libellum" enim, quem angelus in manu sua habuit, significatur Verbum, et per "devorationem ejus" significatur exploratio, et per quod "fuerit dulcis in ore et amarus in ventre" significatur quod Verbum in sensu litterae esset jucundum, at in sensu interno, in quo sunt ipsa vera, injucundum; quod ulterius ex sequentibus patebit. Quia haec sunt de quibus actum est, et de quibus adhuc agitur, constare potest quod per "vocem, quam audivit e caelo iterum loquentem et dicentem" significetur exploratio hominum ecclesiae, qualis intellectus Verbi adhuc apud illos superesset. Sciendum est quod intellectus Verbi in ecclesia per gradus pereat, sicut homo ecclesiae ab interno fit externus; et ab interno fit externus sicut recedit a charitate, proinde sicut recedit a vita fidei. Quando homo ecclesiae talis est, tunc quidem delectari potest lectione Verbi, sed usque non delectatur ipso vero, quod est sensus interioris ejus; nam ipsa vita fidei, quae est charitas, producit affectionem veri interioris, et inde [1]delectationem ejus: quare Verbum quoad sensum litterae quidem amari potest, sed propterea quia potest trahi ad confirmandum falsa oriunda ex amore sui et mundi, Verbum enim in littera tale est. Inde fluit quod in fine ecclesiae vix aliquis intellectus veri sit; vera quidem ex Verbo tunc ore loquuntur, sed usque non aliquam ideam veri habent: quod ita sit, cum pluribus in mundo spirituali datum est experiri, et compertum est quod tametsi vera, quatenus ex Verbo, locuti fuerint, usque intellectum eorum nullum habuerint; sic ut fuerint sicut vasa vacua, et sicut campanulae sonantes solum ex talibus quae ex memoria deprompserunt, et prorsus nihil ex perceptione intellectus. Cum homo talis est, tunc non aliquid caeleste et spirituale intus possidet, sed modo naturale ex corpore

et mundo, quod separatum a caelesti et spirituali est infernale. Ex his quoque constare potest quid in sequentibus intelligitur per quod libellus datus Johanni ad comedendum "in ore fuerit dulcis sicut mel," sed quod ex eo "amaricatus sit venter."

615. ***"Abi, accipe libellum apertum in manu angeli stantis super mari et super terra."***—Quod significet *Verbum a Domino manifestatum caelo et ecclesiae*, constat ex significatione "libelli aperti," quod sit Verbum manifestatum (de qua supra, n. 599): ex significatione "angeli qui in manu habebat libellum," quod sit Dominus quoad Verbum (de qua supra, n. 593); ex significatione "maris et terrae," quod sit caelum et ecclesia (de qua etiam supra, n. 600); et ex significatione "stare super illis," quod sit cui subjecta sunt omnia quae in illis (de qua etiam supra, n. 606). Ex his constare potest quod per "libellum apertum in manu angeli stantis super mari et super terra" significetur Verbum a Domino manifestatum caelo et ecclesiae. Quid per "accipere illum et devorare" significatur, patebit ex sequentibus.

616. [*Vers.* 9.] ***"Et abivi ad angelum, dicens, Da mihi libellum."***—Quod significet *facultatem percipiendi a Domino quale est Verbum*, constat ex significatione "abire ad angelum, et dicere, Da mihi libellum," quod in sensu proximo sit obedire mandato, quia dictum est illi quod abiret et acciperet illum; in sensu autem remotiori, qui etiam est sensus interior, per illa verba intelligitur facultas percipiendi a Domino quale est Verbum. Dominus dat cuivis homini percipere illud; sed usque nemo percipit, nisi velit quasi ex se percipere illud: hoc reciprocum erit ab homine ut recipiat facultatem percipiendi Verbum; hoc nisi homo velit et faciat sicut ex se, non appropriatur ei aliqua facultas: erit enim activum et reactivum, ut fiat appropriatio; activum est a Domino, etiam reactivum, sed hoc apparet sicut ab homine; nam Ipse Dominus dat hoc reactivum, et inde est a Domino et non ab homine; sed quia homo non aliter scit quam quod vivat ex se, proinde quod cogitet et velit ex se, inde sicut ex proprio vitae suae id agere debet; et cum id agit, tunc primum ei inditur, conjungitur et appropriatur. Qui credit quod Divinae veritates et bonitates influant absque tali reactivo seu reciproco, multum fallitur; hoc enim foret remittere manus, ac immedia-

tum exspectare influxum, sicut putant illi qui fidem prorsus separant a charitate, et dicunt bona charitatis, quae sunt bona vitae, absque ulla cooperatione voluntatis hominis influere; cum tamen Dominus docet quod Ipse jugiter stet ad ostium et pulset, et quod homo aperiturus sit, et quod Dominus ad illum qui aperit intret (*Apoc.* iii. 20). In summa, actio et reactio facit omnem conjunctionem, et actio et mera passio nullam; agens enim seu activum, dum influit in mere patiens seu passivum, transit et dissipatur, nam passivum cedit et fugit; at cum agens seu activum influit in tale passivum quod etiam est reactivum, tunc applicantur, et utraque manent conjuncta: ita est cum influxu Divini Boni et Divini Veri in voluntatem seu in amorem hominis; quapropter cum Divinum influit in intellectum solum, tunc transit et dissipatur, at cum in voluntatem, ubi est hominis proprium, tunc manet conjunctum. Ex his constare potest quid involvit, quod hic primum dicatur, "Abi, accipe libellum apertum in manu angeli stantis super mari et terra," et tunc quod "abiverit ad angelum, dicens, Da mihi libellum," quod tunc angelus dixerit, "Accipe et devora;" ita describitur reactivum seu reciprocum: inde nunc est quod per illa verba significetur facultas recipiendi a Domino quale est Verbum. Receptio Divini influxus etiam alibi in Verbo similiter describitur.

617[*a*]. ***"Et dixit mihi, Accipe et devora illum."***—Quod significet *ut legeret, perciperet et exploraret Verbum quale est intra et quale est extra*, constat ex significatione "Dixit mihi, Accipe libellum," quod sit facultas data percipiendi quale est Verbum, hoc est, qualis est intellectus Verbi nunc in ecclesia (de qua in articulo mox praecedente, n. 616); et ex significatione "devorare" seu comedere, quod sit conjungere et appropriare sibi; et quia Verbum conjungitur homini per lectionem et perceptionem, ideo hic per "devorare" seu comedere significatur legere et percipere: quod etiam "devorare" hic significet explorare, est quia sequitur quod "libellus amaricaverit ventrem illius," et quod "in ore sentitus sit dulcis sicut mel," per quae exploratum est quale Verbum est quoad intellectum intra et quale est extra; intra significatur per "ventrem" et ejus maricationem, et extra per "os" in quo sentitus dulcis

sicut mel: ex his constare potest quod per "Dixit mihi, Accipe et devora libellum," significetur ut legeret, perciperet et exploraret Verbum quale est intra et quale est extra. Pluries in Verbo dicitur "edere" et "bibere;" et qui non aliquid de sensu spirituali novit, non aliter scire potest quam quod per illa significetur edere et bibere naturaliter; cum tamen per illa significatur nutrire se spiritualiter, proinde appropriare sibi bonum et verum; per "edere" appropriare sibi bonum, et per "bibere" appropriare sibi verum. Quisque scire potest qui credit quod Verbum etiam sit spirituale, quod nutritio spiritualis per "edere" et "bibere," sicut per "panem," "cibum," "vinum" et "potum," intelligatur; quae si non intelligerentur, foret Verbum mere naturale, et non simul spirituale, ita solum pro naturali homine et non pro spirituali, et minus pro angelis. Quod per "panem," "cibum," "vinum," et "potum," nutritio mentis in sensu spirituali intelligatur, supra passim ostensum est; et quoque quod Verbum ubivis sit spirituale, tametsi in sensu litterae naturale. Spiritualiter nutriri est instrui et imbui, proinde scire, intelligere et sapere; homo nisi hac nutritione simul cum nutritione corporis fruatur, non est homo sed est bestia; quae causa est quod illi qui omne jucundum ponunt in comessationibus et epulis, ac quotidie indulgent gulae, quoad spiritualia obesi sint, utcunque ratiocinari possunt de rebus mundi et corporis; unde post obitum ferinam potius quam humanam vitam agunt, nam loco intelligentiae et sapientiae est illis insania et stultitia. Haec dicta sunt, ut sciatur quod hic per "devorare" seu comedere "libellum," significetur legere, percipere et explorare Verbum; nam per "libellum," qui in manu angeli descendentis e caelo erat, intelligitur Verbum, ut supra dictum est. Praeterea nemo potest edere aut devorare aliquem libellum, sicut nec Verbum, naturaliter; ex quo etiam manifeste constare potest quod per "comedere" hic significetur spiritualiter nutriri. Quod per "comedere" et "bibere" in Verbo etiam significetur spiritualiter comedere et bibere, quod est instrui et per instructionem et vitam imbuere et appropriare sibi bonum et verum, proinde intelligentiam et sapientiam, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Invenientur verba tua, ita ut comedam ea, et sit Verbum tuum mihi in gaudium et in laetitiam cordis mei" (xv. 16):

hic "comedere" manifeste pro spiritualiter comedere, quod est scire, percipere et sibi appropriare; nam dicitur, "ut comedam verba tua, et sit Verbum tuum mihi in gaudium et laetitiam cordis;" "verba" Dei significant praecepta seu Divina Vera. Hoc simile est cum illis quae Dominus dixit tentatori,

> Quod homo non e pane solo vivat, "sed ex omni verbo quod exit ex ore Dei" (*Matth.* iv. 3, 4; *Luc.* iv. 4; *Deutr.* viii. 3);

tum,

> "Ne operemini cibum qui perit, sed cibum qui manet in vitam aeternam" (*Joh.* vi. 27);

simile etiam cum Domini verbis ad discipulos,

> "Discipuli dicebant, Rabbi, ede; Ipse vero dixit, Cibum habeo quem edam, quem vos nescitis: dicebant discipuli ad se invicem, Num quis attulit Ipsi quod comederet? Dixit illis Jesus, Cibus meus est ut faciam voluntatem Ipsius qui misit Me, et perficiam Ipsius opus" (*Joh.* iv. 31–34):

ex his etiam patet quod "comedere" in sensu spirituali significet recipere voluntate et facere, unde conjunctio; nam Dominus per id quod fecerit Divinam voluntatem conjunxit Divinum quod in Ipso cum Humano suo, ita quod Divinum appropriavit suo Humano. Huc etiam referri potest

> Quod Dominus cibaverit quinquiens mille viros praeter mulieres et pueros quinque panibus et duobus piscibus, et postquam comederant et saturati fuerant, sustulerint duodecim cophinos fragmentorum (*Matth.* xiv. 15–22; *Joh.* vi. 5, 13, 23).
> Et quod cibaverit quater mille homines ex septem panibus et paucis piscibus (*Matth.* xv. 32, seq.):

hoc miraculum factum est quia Dominus prius illos docuerat, et quia illi doctrinam Ipsius receperunt et sibi appropriaverunt; hoc erat quod spiritualiter comederint; inde naturalis esus sequebatur, nempe e caelo influebat apud illos sicut manna apud filios Israelis, illis nescientibus; nam Domino volente vertitur cibus spiritualis, qui etiam realis cibus est sed modo pro spiritibus et angelis, in naturalem, similiter ut in mannam quovis mane. Simile significatur per "comedere panem in regno Dei apud *Lucam*,

> "Dispono vobis regnum,....ut comedatis et bibatis super mensa mea in regno meo" (xxii. 27, 29, 30):

hic quoque per "comedere" et "bibere" significatur spiritualiter comedere et bibere; quare per "comedere" ibi significatur a Domino recipere, percipere et appropriare sibi bonum caeli; et per "bibere" significatur recipere, percipere et appropriare sibi verum illius boni; nam "comedere" dicitur de bono quia "panis" significat bonum amoris, et "bibere" dicitur de vero quia "aqua" et "vinum" significant verum illius boni. Simile significatur alibi apud *Lucam*,

> "Beatus qui comedit panem in regno Dei" (xiv. 15):

inde est, quod Dominus ibi assimilaverit regnum Dei

> Magnae cenae, ad quam invitati non venerunt, sed solum qui e plateis introducti sunt (vers. 16–24).

[*b*.] Esus spiritualis, ex quo nutritur anima, etiam significatur per "edere" in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Si volueritis et auscultaveritis, bonum..comedetis" (i. 19):

per "bonum comedere" hic significatur bonum spirituale; quare dicitur, "Si volueritis et auscultaveritis," hoc est, Si feceritis: bonum spirituale enim datur, conjungitur et appropriatur homini, per velle ejus et inde facere ejus. Apud *Davidem*,

> "Beatus omnis timens Jehovae, qui ambulat in viis Ipsius; laborem manuum tuarum comedes, beatus tu et bonum tibi" (Ps. cxxviii. 1, 2):

per "comedere laborem manuum suarum" significatur bonum caeleste quod homo per vitam secundum Divina vera a Domino recipit, et quasi suo labore et studio sibi acquirit; quare dicitur quod is comedet "qui timet Jehovae et ambulat in viis Ipsius;" et postea, "Beatus tu et bonum tibi." Apud *Esaiam*,

> "Dicite justo quod bonum, quia fructum operum suorum comedent" (iii. 10):

per "fructum operum comedere" simile significatur quod per "comedere laborem manuum suarum," de quo nunc supra. Apud *Ezechielem*,

> "Similam, mel et oleum comedisti; unde pulchra facta es valde, et prosperata usque ad regnum" (xvi. [1]13):

haec de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia, hic Ecclesia Antiqua, quae in veris et in bono spirituali et simul naturali fuit; per "similam" significatur verum, per "mel" bonum naturale seu externi hominis, et per "oleum" bonum spirituale seu interni hominis; illorum receptio, perceptio et appropriatio significatur per "comedere similam, mel et oleum;" quod ex illis intelligens facta sit, significatur per "unde pulchra facta es valde admodum" ("pulchritudo" significat intelligentiam); quod inde ex illis facta sit ecclesia, significatur per "Prosperata es usque ad regnum" ("regnum" significat ecclesiam). Apud *Esaiam*,

> "Ecce virgo concipiet et pariet Filium, et vocabit nomen Ipsius Deus nobiscum: butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum; nam antequam scit puer reprobare malum et eligere bonum, deseretur terra quam tu fastidis a coram duobus regibus ejus" (vii. 14–16):

quod "Filius" quem virgo concipiet et pariet, et cujus nomen vocabitur "Deus nobiscum," sit Dominus quoad Humanum, constat: appropriatio Divini Boni spiritualis et naturalis quoad Humanum, intelligitur per "butyrum et mel comedet;" Divinum Bonum spirituale per "butyrum," et Divinum Bonum naturale per "mel," et appropriatio per "comedere:" et quia tantum scitur reprobare malum et eligere bonum, quantum appropriatur Divinum Bonum spirituale et naturale, ideo dicitur, "ut sciat reprobare malum et eligere bonum:" quod ecclesia deserta et vastata fuerit quoad omne bonum et verum per scientifica false applicata et per ratiocinia inde, significatur per quod "tunc deseretur terra quam fastidient a coram duobus regibus ejus;" "terra" significat ecclesiam, desertio et vastatio ejus intelligitur per quod "deseretur et fastidietur," et "duo reges," qui sunt rex Aegypti et rex Assyriae, significant scientifica male applicata et inde ratiocinia; "rex Aegypti" scientifica illa, et "rex Assyriae" ratiocinia inde. Quod illi reges intelligantur, patet a mox sequentibus in versu 17 et 18, ubi Aegyptus et Assyria nominantur; haec quoque sunt quae praecipue ecclesiam vastant. Quod Dominus in mundum venerit quando in ecclesia amplius non verum et bonum esset, ita quando non aliquod ecclesiae superesset, supra aliquoties dictum est. Apud eundem,

"Fiet...prae multitudine faciendi lac comedet quisque butyrum, nam butyrum et [mel] comedet omnis residuus in..terra" (vii. 22):

haec de nova ecclesia a Domino instauranda; et per "butyrum et mel" significatur bonum spirituale et bonum naturale, et per "comedere" illa significatur appropriare sibi (ut supra); per "lac" significatur spirituale a caelesti, ex quo bona illa. Apud eundem,

"Heu omnis sitiens, ite ad aquas; et cui non argentum, ite, emite et comedite; et ite et emite sine argento et sine pretio vinum et lac: quare appenditis argentum pro eo quod non panis, et laborem vestrum pro eo quod non ad satietatem? Attendite attendendo [1]ad Me, et comedite bonum, ut delicietur in pinguedine anima vestra" (lv. 1, 2):

quod "comedere" hic significet appropriare sibi a Domino, manifeste patet; nam dicitur, "Omnis sitiens, ite ad aquas; et cui non argentum, ite, emite et comedite," per quae significatur quod omnis qui desiderat verum, cui non verum prius, comparet et approprìet id sibi a Domino; "sitiens" significat desiderantem, "aqua" verum, "argentum" verum boni, ibi cui non est verum boni; "ire" est ad Dominum, "emere" significat comparare sibi, et "comedere" appropriare sibi: "ite, emite sine argento et sine pretio vinum et lac," significat ut absque propria intelligentia comparetur Divinum Verum spirituale et Divinum Verum naturale; "vinum" significat Divinum Verum spirituale, et "lac" Divinum Verum spirituale naturale: "quare appenditis argentum pro eo quod non panis, et laborem vestrum [pro eo] quod non ad satietatem?" significat quod irritum sit ex proprio comparare sibi bonum amoris, et ex proprio id quod animam nutrit; per "argentum" hic significatur verum ex proprio seu propria intelligentia, similiter per "laborem;" per "panem" bonum amoris, per "satietatem" id quod nutrit animam, hic quod non nutrit: "attendite attendendo ad Me" significat quod illa solum a Domino; "et comedite bonum, ut delicietur in pinguedine anima vestra," significat ut approprient sibi bonum caeleste, ex quo omne jucundum vitae; "deliciari in pinguedine" significat jucundari ex bono, et "anima" significat vitam. Apud eundem,

"Habitantibus coram Jehovah erit mercatura" Tyri "ad comedendum ad satietatem, et tegenti se antiquo" (xxiii. 18):

per "mercaturam Tyri" significantur cognitiones boni et veri omnis generis; "habitare coram Jehovah" significat vivere a Domino, "comedere ad satietatem" significat cognitiones boni recipere, percipere et appropriare sibi quantum satis ad nutritionem animae: "tegere se antiquo" significat cognitiones genuini veri imbuere; "tegere" enim praedicatur de veris, quia "vestes" significant vera induentia bonum, et "antiquum" dicitur de genuino, quoniam genuina vera erant apud antiquos. Simile significatur apud *Mosen*,

> Quod ederent ad satietatem, et quod ederent vetus vetustum (*Levit.* xxvi. 5, 10);

apud eundem,

> Comedes et satiaberis in terra bona (*Deutr.* xi. 15);
> Tum quod ederent et non satiarentur (*Levit.* xxvi. 26);

apud *Esaiam*,

> "Aedificabunt domus et inhabitabunt, et plantabunt vineas et comedent fructum earum; non aedificabunt ut alius inhabitet, non plantabunt ut alius comedat" (lxv. 21, 22):

quisque scit quid in sensu litterae per illa verba significatur; sed quia Verbum in sinu suo est spirituale, etiam per illa intelliguntur spiritualia, nempe talia quae caeli et ecclesiae sunt, nam haec sunt spiritualia: per "aedificare domos et inhabitare" significatur interiora mentis implere bonis caeli et ecclesiae, et per id frui vita caelesti; "domus" significant interiora mentis, et "inhabitare" significat vitam caelestem inde: per "plantare vineas et comedere fructum earum" significatur ditare se veris spiritualibus, et appropriare sibi bona inde; "vineae" sunt vera spiritualia, "fructus" sunt bona inde, et "comedere" est recipere, percipere et appropriare sibi; nam omne bonum appropriatur homini per vera, nempe per vitam secundum illa: ex dictis nunc patet quid significatur per "non aedificabunt ut alius inhabitet, non plantabunt ut alius comedat;" "alius" significat falsum et malum destruens verum et bonum, nam cum vera et bona pereunt apud hominem, intrant falsa et mala. Apud *Jeremiam*,

> "Aedificate domos et inhabitate, et plantate hortos et comedite fructum eorum" (xxix. 5, 28);

haec similiter intelligenda sunt sicut illa quae nunc ex-

plicata sunt. Apud *Mosen*,

> Dabuntur in terra urbes magnae et bonae quas non aedificaverunt, domus plenae omni bono quas non impleverunt, cisternae effossae quas non effoderunt, vineae et oliveta quae non plantaverunt, edent ad satietatem (*Deutr.* vi. [10,] 11):

haec naturalis homo non aliter intelligit quam secundum sensum litterae; sed si non spiritualis sensus singulis inesset, foret Verbum mere naturale et non spirituale, et sic crederetur quod foret modo opulentia et abundantia mundana quae spondetur illis qui secundum Divina praecepta vivunt; sed quid homini si lucraretur universum mundum, et jacturam animae faceret? videlicet quid homini si domus ei darentur plenae omni bono, similiter cisternae, et si ei vineae et oliveta, et ex illis ederet ad satietatem? Sed hae opes recensitae sunt opes mundanae per quas intelliguntur opes spirituales, ex quibus homini vita aeterna; per "urbes magnas et bonas" quae dabuntur, significantur doctrinalia ex genuinis bonis et veris; per "domus plenas omni bono" significantur interiora mentis plena amore et sapientia; per "cisternas effossas" significantur interiora mentis naturalis plena cognitionibus boni et veri; per "vineas et oliveta" significantur omnia ecclesiae, tam vera quam bona ejus; ("vinea" est ecclesia quoad verum, et "olivetum" ecclesia quoad bonum, nam "vinum" significat verum, et "oleum" bonum;) "edere ad satietatem" significat receptionem et appropriationem plenariam. Apud *Esaiam*,

> Deliciabitur in Jehovah, "et equitare te faciam super excelsa terrae, et cibabo te hereditate Jacobi" (lviii. 14):

per "equitare facere super excelsa terrae" significatur dare intellectum veritatum superiorum seu interiorum de rebus ecclesiae et caeli: et per "cibare hereditate Jacobi" significatur donare omnibus caeli et ecclesiae; per "hereditatem Jacobi" intelligitur terra Canaan, et per illam terram significatur ecclesia, et in superiori sensu caelum.

[*c.*] Quoniam "comedere" significat appropriare sibi, constare potest quid significatur per

> Comedere ex arbore vitae quae in medio Paradisi (*Apoc.* ii. 7);

quod nempe sit appropriare sibi vitam caelestem: tum

quid significatur per "comedere ex arbore scientiae" in *Genesi*,

"Praecepit Jehovah Deus homini, dicendo, De omni arbore horti comedendo comedes, at de arbore scientiae boni et mali, de hac non comedes, quia quo die comederis de ea, moriendo moriemini" (ii. 16, 17):

per "arborem scientiae boni et mali" significatur scientia rerum naturalium, per quam non licet intrare in caelestia et spiritualia quae caeli et ecclesiae sunt, proinde a naturali homine in spiritualem; quae via inversa est, et sic non ducit ad sapientiam, sed destruit illam. Per "Adamum et ejus uxorem" intelligitur Ecclesia Antiquissima, quae fuit ecclesia caelestis. Homines illius ecclesiae, quia in amore in Dominum fuerunt, habuerunt Divina vera sibi inscripta, et inde ex influxu noverunt correspondentia in naturali homine, quae vocantur scientifica; verbo, erat apud illos influxus spiritualis, ita a spirituali mente in naturalem, et sic in illa quae ibi, quae viderunt qualia erant sicut in speculo ex correspondentia. Spiritualia apud illos prorsus distincta erant a naturalibus; spiritualia residebant in mente eorum spirituali, et naturalia in mente eorum naturali, et inde non aliquid spirituale immerserunt menti naturali, ut solent spirituales naturales homines: quapropter si spiritualia tradidissent memoriae naturali, et eo modo appropriavissent sibi illa, periisset insitum quod apud illos, et cepissent ex naturali homine ratiocinari de spiritualibus, et inde concludere illa, quod nusquam faciunt; id etiam foret ex propria intelligentia velle sapere, et non ex Divina, ut prius, et per id exstinxissent omnem vitam suam caelestem, ac cepissent naturales ideas etiam de spiritualibus. Hoc itaque significatur per quod "non comederent ex arbore scientiae boni et mali," et si comedissent, quod "moriendo morirentur." Similis res cum antiquissimis illis, qui per "Adamum" intelliguntur, fuit, quae cum illis qui in regno caelesti Domini sunt; hi si naturalem hominem et ejus memoriam imbuunt cognitionibus veri et boni spiritualis, et ex illis volunt sapere, fiunt stupidi; cum tamen sunt omnium sapientissimi in caelo. (Sed de his videantur plura in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20–28, ubi actum est De Binis Regnis, caelesti et spirituali, in quae Caelum in communi distinctum est.) Apud *Davidem*,

"Qui comedit meum panem, sustulit super Me calcaneum suum" (Ps. xli. 10 [*B. A.* 9]):

haec dicta sunt de Judaeis, apud quos erant Divina vera, quia habebant Verbum, ut constare potest apud *Johannem* (cap. xiii. 18), ubi illa verba Judaeis applicata sunt; quare per "comedere panem" Domini significatur appropriatio Divini Veri; ibi communicatio ejus, quia id eis non potuit appropriari: "panis" significat Verbum, ex quo nutritio spiritualis: "tollere calcaneum super Ipsum" significat pervertere sensum litterae Verbi usque ad negationem Domini et ad falsificationem omnis veri: nam Divinum Verum sistitur in imagine sicut Homo; unde caelum in toto complexu vocatur Maximus Homo, et correspondet omnibus hominis, caelum enim formatum est secundum Divinum Verum procedens a Domino; et quia Verbum est Divinum Verum, ideo etiam hoc coram Domino est in imagine sicut Divinus Homo; ideo ultimus ejus sensus, qui est mere sensus litterae, correspondet calcaneo: perversio Verbi seu Divini Veri per applicationem sensus litterae ad falsitates, quales fuerunt traditiones Judaeorum, significatur per "tollere super Dominum calcaneum." Quod universum caelum sit in imagine sicut Homo, et quod inde correspondeat omnibus hominis, et quod caelum tale sit quia creatum et formatum est a Domino per Divinum Verum procedens ab Ipso, quod est Verbum ex quo omnia facta sunt (*Joh.* i. 1–3), videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 59–102, tum n. 200–212). Apud *Lucam*,

"Incipient dicere, Edimus coram Te, et bibimus coram Te, et in plateis nostris docuisti; sed dicet...., Non novi vos unde estis; discedite...operarii iniquitatis" (xiii. 26, 27):

quod dicturi sint, quando sistentur ad judicium, quod "ederint" et quod "biberint" coram Domino, significat quod legerint Verbum et hauserint cognitiones boni et veri inde, putantes quod ex eo salvarentur; quare sequitur, "In plateis nostris docuisti," per quod significatur quod instructi fuerint in veris ex Verbo, ita a Domino: sed quod legere Verbum, ac instrui ex illo, nihil faciat ad salutem nisi simul vivatur secundum illud, significatur per responsum, quod dicet "Non novi vos unde estis; discedite a Me, operarii iniquitatis;" nihil enim facit ad salutem ditare memo-

riam ex Verbo, et ex doctrinalibus ecclesiae, nisi illa mandentur vitae. Apud *Matthaeum*,

> Dixit Rex iis a dextris, "Esurivi et dedistis Mihi quod ederem, sitivi et potastis Me."....Et illis a sinistris, "Esurivi et non dedistis Mihi quod ederem, sitivi et non potastis Me" (xxv. 35, 42):

per haec quoque spiritualis esuritio et sitis, tum spiritualis esus et potus significatur; spiritualis esuritio et sitis est affectio et desiderium ad bonum et verum, ac spiritualis esus et potus est instructio, receptio et appropriatio. De Domino ibi dicitur quod esuriat et sitiat, quia ex Divino Amore desiderat omnium salutem; et de homine, quod dederint quod ederet, et quod potaverint Ipsum, quod fit quando ex affectione a Domino recipiunt et percipiunt bonum et verum, et illa sibi per vitam appropriant. Similiter dicetur de homine qui ex corde amat hominem instruere, et vult salvationem ejus; est itaque charitas, seu affectio veri spiritualis, quae per illa verba et reliqua etiam describitur. Ex dictis nunc constare potest quid in spirituali sensu per comedere panem et bibere vinum in Sacra Cena, *Matth.* xxvi. 26; *Marc.* xiv. 22, significatur; ubi etiam dicitur quod "panis sit corpus Ipsius," et "vinum, sanguis;" quod per "panem" ibi significetur bonum amoris, et per "vinum" verum ex illo bono, quod etiam est bonum fidei, et quod simile per "carnem et sanguinem," tum quod per "manducationem" significetur appropriatio et conjunctio cum Domino, constare potest ex illis quae in *Doctrina Novae Hierosolymae* (n. 210–222) dicta et ostensa sunt. Quod talia significentur per "panem et vinum," perque "corpus et sanguinem," tum per "manducationem," adhuc evidentius constare potest ex Domini verbis apud *Johannem*,

> "Patres [1]vestri comederunt mannam in deserto, et mortui sunt. Hic est panis qui e caelo descendit;....si quis comederit ex hoc pane, vivet in saeculum; panis vero quem Ego dabo caro mea est, quam Ego dabo pro mundi vita. ....Amen dico vobis, nisi comederitis carnem Filii hominis, et biberitis Ipsius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et resuscitabo eum extremo die: ....qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in Me manet et Ego in illo. ....Hic est panis qui e caelo descendit; ....qui manducat hunc panem, vivet in aeternum" (vi. 49–58):

quod non caro nec sanguis, tum non panis nec vinum, hic intelligatur, sed Divinum procedens a Domino, nullus non,

qui facultate interius cogitandi gaudet, videre potest; est enim Divinum procedens, quod est Divinum Bonum et Divinum Verum, quae homini dant vitam aeternam, ac faciunt ut Dominus in homine et homo in Domino maneat, quoniam Dominus in homine est in suo Divino, et non in proprio hominis; hoc enim non est nisi quam malum; et Dominus in homine est, et homo in Domino, quando Divinum procedens per justam receptionem appropriatur homini: ipsa appropriatio significatur per "manducationem;" Divinum Bonum procedens, per "carnem" et per "panem;" et Divinum Verum procedens, per "sanguinem" et per "vinum:" similiter quod in sacrificiis, in quibus "caro" et "mincha," quae erat panis, significabant bonum amoris; ac "sanguis" et "vinum," quod erat libamen, significabant verum ex illo bono; utrumque a Domino. Quoniam per "carnem" et "panem" significatur Divinum Bonum procedens, ac per "sanguinem" et "vinum" Divinum Verum procedens, ideo per "carnem" et "panem" intelligitur Ipse Dominus quoad Divinum Bonum, ac per "sanguinem" et "vinum" Ipse Dominus quoad Divinum Verum: quod Ipse Dominus intelligatur per illa, est quia Divinum procedens est Ipse Dominus in caelo et in ecclesia; quare dicit Dominus de Se, "Hic est panis qui e caelo descendit;" tum, "Qui comedit et bibit illa, in Me manet et Ego in illo."

[*d.*] Quoniam "panis" significat Dominum quoad Divinum Bonum, et "comedere" illum significat appropriationem et conjunctionem, ideo

> Cum Dominus Se coram discipulis post mortem manifestavit, quando panem fregit et dedit illis, "aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt Ipsum" (*Luc.* xxiv. 30, 31):

ex eo etiam patet quod "comedere panem" datum a Domino significet conjunctionem cum Ipso; ex qua illustrati cognoverunt Ipsum; nam "oculi" in Verbo correspondent intellectui, et inde significant illum; et hic est qui illustratur, et inde "oculi aperiuntur:" per "frangere panem" in Verbo significatur communicare suum bonum cum altero. Quod Dominus cum publicanis et peccatoribus comederit,

> De quo Judaei murmurabant et scandalizabantur (*Marc.* ii. 15, 16; *Luc.* v. 29, 30; cap. vii. 33-35),

est quia gentes, quae intelliguntur per "publicanos et peccatores," receperunt Dominum, hauserunt praecepta Ipsius, et vixerunt secundum illa; per quae Dominus appropriavit illis bona caeli, quod in sensu spirituali significatur per "comedere cum illis." Quoniam per "comedere" significabatur appropriari, ideo concessum est filiis Israelis comedere ex sanctificatis, seu ex sacrificiis; nam per "sacrificia" significabantur Divina caelestia et spiritualia, et inde per "comessationem" ex illis significabatur appropriatio illorum; et quia appropriatio sanctorum significabatur per comessationem illam, ideo plures leges latae sunt, quinam et ubinam comederent, et ex quibus sacrificiis; sic

> Quid Aharon et filii ejus ex sacrificiis acciperent et comederent (*Exod.* xxix. 31–33: *Levit.* vi. 9–11 [*B. A.* 16–18]; cap. vii. 6, 7; cap. viii. 31–33; cap. x. 13–15);
> Quod illi panes propositionis comederent in loco sancto (*Levit.* xxiv. 5[–9]);
> Quod filia sacerdotis nupta alienigenae non comederet ex sanctificatis; sed filia sacerdotis vidua aut repudiata, cui non proles, reversa ad domum patris comederet (*Levit.* xxii. 12, 13);
> Quinam ex populo comederent (*Num.* xviii. 10, 11, 13, 19);
> Quod alienus, inquilinus, mercenarius sacerdotis, non comederent ex illis, sed quod emptus argento comederet (*Levit.* xxii. 10–12);
> Quod immundus non comederet (*Levit.* vii. 19–21; cap. xxi. 16 ad fin.; cap. xxii. 2–8);
> Quod nihil ederent ex holocaustis, sed quod ex sacrificiis eucharisticis ederent et laetarentur coram Jehovah (*Deutr.* xii. 27; cap. xxvii. 7).

In his et in pluribus aliis statutis et legibus de comessatione ex sanctificatis, continentur arcana appropriationis Divini Boni et Divini Veri, et inde conjunctionis cum Domino; sed singula evolvere, non hujus loci est; modo ex allatis sciatur quod "comedere" significet appropriari et conjungi. Quare etiam

> Cum filii Israelis conjuncti fuerunt Domino per sanguinem foederis, et postquam Moses legerat Librum Legis coram illis, et mox viderunt Deum Israelis, dicitur quod comederint et biberint (*Exod.* xxiv. 6–11).

Quod "comedere carnem et bibere sanguinem" significet appropriationem spiritualis boni et veri, constare potest apud *Ezechielem*,

> "Sic dixit Dominus Jehovih, ... Congregate vos a circuitu super sacrificium meum quod Ego sacrifico vobis, sacrificium magnum super montibus Israelis, ut comedatis carnem et bibatis sanguinem, carnem fortium comedetis, et sanguinem principum terrae bibetis; ....

et comedetis adipem ad satietatem, et bibetis sanguinem ad ebrietatem, de sacrificio meo quod sacrifico vobis: satiabimini super mensa mea equo et curru, forti et omni viro belli....: sic dabo gloriam meam inter gentes" (xxxix. 17-21):

agitur ibi de convocatione omnium ad regnum Domini, et in specie de instauratione ecclesiae apud gentes; nam dicitur, "Sic dabo gloriam meam inter gentes:" per "comedere carnem et bibere sanguinem" intelligitur quod appropriarent sibi Divinum Bonum et Divinum Verum; "caro" significat bonum amoris, et "sanguis" verum illius boni: per "fortes" seu boves significantur affectiones boni, per "principes terrae" affectiones veri: plenaria fruitio eorum significatur per "comedere adipem ad satietatem, et bibere sanguinem ad ebrietatem;" per "adipem" significantur interiora bona, et per "sanguinem" interiora vera, quae manifestata sunt a Domino quando in mundum venit, et appropriata illis qui Ipsum receperunt: ante adventum Ipsius in mundum prohibitum fuit edere adipem et bibere sanguinem, ex causa quia filii Israelis solum in externis fuerunt; erant naturales sensuales homines, et prorsus non in internis seu spiritualibus; quare si licuisset eis edere adipem et sanguinem, per quae significabatur appropriare sibi interiora bona et vera, profanavissent illa; ideo per "comedere" illa significabatur profanatio: similia significantur per "satiari super mensa" Domini "equo, curru, forti et omni viro belli:" per "equum" significatur intellectus Verbi, per "currum" doctrina ex Verbo, per "fortem et virum belli" bonum et verum pugnans cum malo et falso et destruens illa; per "montes Israelis," super quibus comederent, significatur ecclesia spiritualis, in qua bonum charitatis est essentiale. Ex his manifeste patet quod per "comedere" significetur appropriare sibi; ac quod per "carnem," "sanguinem," "fortem," "principes terrae" "equum," "currum," "virum belli," significentur spiritualia quae approprianda; et nequaquam naturalia, nam naturaliter illa edere foret nefarium et diabolicum. Similia significantur per

Comedere carnes regum, chiliarchorum, equorum, et sedentium super illis, liberorum et servorum (*Apoc.* xix. [1]18).

[*e.*] Quoniam pleraque in Verbo etiam oppositum sensum habent, ita quoque "comedere" et "bibere;" et in eo

sensu significant appropriare sibi malum et falsum, et inde conjungi inferno; ut constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Vocabit Dominus Jehovih in die illo ad fletum et ad planctum, et ad calvitiem et ad induendum saccum; ecce laetitia et gaudium occidere bovem et mactare pecudem, comedere carnem et bibere vinum; comedendum et bibendum est, cras enim moriemur" (xxii. 12, 13):

vastatio ecclesiae, et lamentatio super ea, describitur per "vocari in die illo ad fletum, planctum, calvitiem et induitionem sacci;" lamentatio quod verum deperditum sit significatur per "fletum," quod bonum per "planctum," quod omnis affectio boni per "calvitiem," quod affectio veri per "saccum:" per "occidere bovem et mactare pecudem" significatur exstinguere bonum naturale et bonum spirituale: per "comedere carnem et bibere vinum" significatur appropriare sibi malum et falsum; "caro" hic significat malum, "vinum" falsum mali, ac "comedere et bibere" illa appropriare sibi. Apud *Ezechielem*,

> Dictum est Prophetae ut comederet cibum pondere et cum sollicitudine, et quod biberet aquam in mensura et cum stupore; et quod comederet placentam hordeorum factam cum stercore: quod sic comedent filii Israelis panem suum immundum inter gentes quo depellentur, et carebunt pane et aqua, et desolabuntur vir et frater ejus, et contabescent propter iniquitatem (iv. 10–17):

per haec apud Prophetam repraesentabatur adulteratio Divini Veri seu Verbi apud gentem Judaicam: "placenta hordeorum facta cum stercore" significat adulterationem illam, "placenta hordeorum" bonum et verum naturale, quale Verbum est in sensu litterae, "stercus" malum infernale; quare dicitur quod "filii Israelis sic comedent panem suum immundum;" "panis immundus" significat bonum conspurcatum malo, seu adulteratum: quod "carituri pane et aqua inter gentes quo depellentur," significat quod non illis bonum et verum amplius, quia in malis et falsis; "gentes" significant mala et falsa, "depelli" illuc est tradi illis: per "virum et fratrem," qui desolabuntur, significatur fides et charitas; "vir" significat verum fidei, et "frater" bonum charitatis, et "desolari" plenariam exstinctionem utriusque: quoniam illa significantur per "comedere panem et bibere aquam," ideo dicitur quod "contabescent

propter iniquitatem;" "contabescere" dicitur de vita spirituali quando perit. Quia "bestiae" significant affectiones, quaedam affectiones bonas et quaedam affectiones malas, ideo leges latae sunt pro filiis Israelis, apud quos erat ecclesia repraesentativa, quaenam bestiae comederentur, et quaenam non comederentur (*Levit.* xi. 1 ad fin.); per quae significabatur quaenam bestiae repraesentabant affectiones bonas quae appropriarentur, et quaenam malas quae non appropriarentur, quoniam affectiones bonae mundum reddunt hominem, at affectiones malae immundum. Omnia quae in eo capite sunt, quoad singulas bestias et aves, et quoad illarum ungulas, pedes et rumen, per quae distinguuntur munda ab immundis, significativa sunt. Apud *Esaiam*,

> "Si deciderit ad dextram, esuriet tamen; et si comederit ad sinistram, non saturabuntur; vir carnem brachii sui comedent, Menascheh Ephraimum et Ephraimus Menaschen" (ix. 19, 20 [*B. A.* 20, 21]);

per haec describitur exstinctio boni per falsum, ac veri per malum; exstinctio omnis boni et veri, utcunque inquiruntur, significatur per "Si deciderit ad dextram, esuriet tamen; et si comederit ad sinistram, non saturabuntur;" "[1]caedere" et "comedere" ad illas est inquirere, "esurire et non saturari" est non inveniri, et si invenitur usque non posse recipi; "vir carnem brachii sui comedent" significat quod falsum consumet bonum ac malum verum in naturali homine; "Menascheh Ephraimum et Ephraimus Menaschen," significat quod voluntas mali consumet intellectum veri, et quod intellectus falsi consumet voluntatem boni. (Sed haec videantur etiam supra, n. 386[*b*] et 600[*b*], explicata.) Consumptio omnis veri et boni etiam significatur

> Per quod ederent carnem filiorum et filiarum (*Levit.* xxvi. 29);
> Tum per quod "patres comedent filios..., et filii comedent patres" (*Ezech.* v. 10):

"patres" significant bona ecclesiae, et in opposito sensu mala ejus; "filii" vera ecclesiae, et in opposito sensu falsa ejus; et "filiae" affectiones veri et boni, et in opposito sensu cupiditates falsi et mali: consumptio et exstinctio eorum mutua significatur per "comedere" illos. Exinde patet quod haec aliter quam secundum litteram intelligenda sint. Apud *Matthaeum*,

In consummatione saeculi erit sicut ante diluvium, "edentes et bibentes, contrahentes matrimonium et nuptui dantes" (xxiv. 38; *Luc.* xvii. [1]26–28):

per "edere et bibere," perque "contrahere matrimonium et nuptui dare," hic non intelligitur edere et bibere, nec contrahere matrimonium et nuptui dare; sed per "edere" significatur appropriare sibi malum, per "bibere" appropriare sibi falsum, per "contrahere matrimonium et nuptui dare" significatur conjungere falsum malo et malum falso; nam agitur ibi de statu ecclesiae quando instat ultimum judicium, hoc enim significatur per "consummationem saeculi:" quod tunc esuri et bibituri sint tam boni quam mali, quia in edere et bibere nihil mali inest, patet; et quoque quod similiter fecerint ante diluvium, et quod ideo non perierint, sed quod malum et falsum sibi appropriaverint, et quod illa apud se conjunxerint; haec itaque sunt quae ibi per "edere et bibere," perque "contrahere matrimonium et nuptui dare," significantur. Apud *Lucam*,

Dives dixit animae suae, "Anima, habes multa bona reposita in annos multos; requiesce, ede, bibe" (xii. 19);

apud eundem,

"Si dixerit servus corde suo, Moratur Dominus venire, et coeperit verberare servos..., edere, bibere, inebriari....." (xii. 45):

tum per "comessationem" et "ebrietatem," apud eundem,

Jesus dixit, "Cavete vobis, ne graventur corda vestra comessatione et ebrietate" (xxi. 34):

apparet sicut per "edere et bibere," et per "comessationem," [2]in illis locis intelligatur luxuria et intemperantia, quales sunt illis qui solum genio indulgent; verum is sensus est sensus naturalis litteralis istorum verborum, at sensus spiritualis illorum est appropriare sibi malum et falsum; ut constare potest ex locis supra allatis, ubi "edere" et "bibere" talia significant; et ex eo, quod Verbum in littera sit naturale, ac interius spirituale, hoc pro angelis, et illud pro hominibus. Praeter haec loca e Verbo etiam perplura alia possunt adduci, testantia et confirmantia quod "comedere" significet recipere, percipere et appropriare sibi talia quibus nutritur anima; "edere" enim spiritualiter non aliud est quam imbuere mentem suo victu,

qui est velle scire, intelligere et sapere talia quae vitae aeternae sunt: quod "comedere" illa significet, constare etiam potest ex significatione "panis" et "cibi," tum ex significatione "famis" et "esuritionis," ut et "vini" et "aquae," de quibus supra in suis locis actum est. Quoniam "comedere" significat percipere quale est, et hoc percipitur per saporem, inde ex correspondentia est quod in linguis humanis "sapor" et "sapere" etiam praedicetur de perceptione rei; unde quoque dicitur "sapientia."

618. *"Et amaricabit tuum ventrem."*—Quod significet *injucundum esset interius, quia exterius adulteratum*, constat ex significatione "amari" seu "amaritudinis," quod sit injucundum ex adulterato vero (de qua infra), et ex significatione "ventris," quod sit interius: quod "venter" sit interius, est quia sequitur post haec, quod "in ore esset sicut mel dulcis;" et per "os" intelligitur exterius, nam quod ore sumitur, manducatur, et demittitur in ventrem, hoc ab exteriori vadit ad interius, intratur enim in viscera hominis; sed de significatione "ventris," in sequentibus dicetur. Quod "amarum" et "amaritudo" significet injucundum ex adulterato vero, et quod inde "amaricare" significet injucundum reddere, est quia dulce fit amarum et inde injucundum per admixtionem cum aliquo tetro; inde est amaritudo absinthii, fellis, myrrhae: nunc quia "dulce" significat jucundum ex bono veri et vero boni, inde "amarum" significat injucundum ex adulterato vero. Injucundum inde non percipitur et sentitur ab aliquo homine in mundo naturali ut amarum, sed a spiritu et ab angelo in mundo spirituali; omne enim bonum veri adulteratum, dum vertitur in saporem apud illos, persentiscitur sicut amarum: est enim spiritibus et angelis gustus, aeque ac hominibus; sed spirituum et angelorum gustus ex origine spirituali profluit, hominum autem gustus ex origine naturali; gustus amari est spiritibus ex vero boni adulterato, at gustus amari hominibus est ex commixtione dulcis et tetri: sensus amari fuit Johanni etiam ex origine spirituali, nam fuit in spiritu; alioqui nec potuisset comedere libellum. Per verum adulteratum significatur verum boni applicatum malo et commixtum falso ejus, quod fit quando vera sensus litterae Verbi applicantur spurcis amoribus, et sic commiscentur malis. Hoc injucundum est quod

hic per "amaricationem ventris" significatur. Paucis etiam dicetur quid per interius in Verbo, hoc est, per interiora Verbi, significatur. Interiora Verbi sunt illa quae sensus ejus internus seu spiritualis continet; haec vera sunt genuina vera; his correspondent vera exteriora Verbi, quae sunt quae in sensu ejus externo seu naturali sunt, qui vocatur sensus litterae et litteralis: quando exteriora Verbi, seu vera Verbi in sensu litterae et litterali, falsificantur et adulterantur, tunc vera interiora Verbi falsificata et adulterata sunt; quapropter cum homo Verbum in sensu litterae applicat malis amorum terrestrium, tunc fit illud angelis, qui in sensu Verbi interno seu spirituali sunt, injucundum; et injucundum hoc est sicut injucundum amari. Ex his constare potest quod per quod "libellus amaricabit" et "amaricaverit ventrem" significetur quod Verbum esset interius injucundum. Sed injucundum, de quo nunc actum est, est injucundum spirituale; at injucundum spirituale naturale, quod etiam hic per "amaricationem" illam intelligitur, est quod verum doctrinae, quod interius colligitur ex sensu litterae Verbi, et vocatur sensus litteralis ejus, sit injucundum illis qui in falsis mali sunt; agitur enim de intellectu Verbi ab hominibus ecclesiae in fine ejus, quando plerique in falsis ex malo sunt; et tunc falsa mali confirmata ex sensu litterae Verbi illis [1]jucunda sunt, at vera confirmata ex sensu litterali Verbi illis injucunda; hoc quoque significatur per quod "libellus amaricaverit ventrem," et quod "in ore fuerit sicut mel dulcis." Quod "amarum" significet verum boni adulteratum, constare etiam potest ex Verbo, ubi "amarum" dicitur; ut ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

> "Vae dicentibus de malo bonum, et de bono malum, ponentibus tenebras in lucem, et lucem in tenebras, ponentibus amarum in dulce, et dulce in amarum;....vae heroibus ad potandum vinum, et viris roboris ad miscendum siceram" (v. 20, 22):

quod bonum et verum adulteratum hic per "amarum" significetur, patet; nam dicitur, "Vae dicentibus de malo bonum, et de bono malum, ponentibus tenebras in lucem, et lucem in tenebras;" per quae significatur adulteratio boni et falsificatio veri; adulteratur enim bonum quando "bonum dicitur malum," et quando "malum dicitur bonum;" et falsificatur verum quando "tenebrae ponuntur

in lucem, et lux in tenebras;" "tenebrae" sunt falsa, et "lux" sunt vera: ex illis patet quod similia significentur per "ponere amarum in dulce, et dulce in amarum;" simile etiam significatur per "Vae heroibus ad potandum vinum, et viris roboris ad miscendum siceram;" per "heroes ad potandum vinum" significantur illi qui adulterant verum Verbi, et per "viros roboris ad miscendum siceram" significantur illi qui falsificant illud; "vinum" et "sicera" sunt vera Verbi; et per "heroes" et "viros roboris" significantur pollentes ingenio et solertia adulterandi illa. Apud eundem,

> "Lugebit mustum, languescet vitis, gement omnes laeti corde;....cum cantu non bibent vinum, amara erit sicera bibentibus illam" (xxiv. 7, 9):

per "mustum" quod lugebit, et per "vitem" quae languescet, significatur verum Verbi et ecclesiae quod deperditum sit; "mustum" significat verum Verbi, et "vitis" verum doctrinae ecclesiae: per "Gement omnes laeti corde, et cum cantu non bibent vinum" significatur quod perierit interna beatitudo mentis et felicitas cordis propter deperditum verum boni spiritualis: "Amara erit sicera bibentibus illam" significat verum boni injucundum ex falsificatione et adulteratione ejus. Apud *Mosen*,

> Quod aquae in Marah, quae non bibi poterant prae amaritudine, sanatae sint per lignum eis injectum (*Exod.* xv. 23–25):

"aquae in Marah, quae non bibi poterant prae amaritudine," repraesentabant vera adulterata, nam "aquae" significant vera, et "amaritudo" adulterationem: sanatio illarum per "lignum injectum," repraesentabat bonum amoris et vitae, discutiens falsum, et aperiens verum, et sic restituens; nam omne verum ex malo vitae et amoris adulteratur; quare per bonum amoris et vitae aperitur et restituitur, ex causa, quia omne verum est boni, ac bonum amoris est instar ignis ex quo verum apparet in luce. Simile significatur per

> Pulmentum, in quod filii prophetarum injecerunt colocynthidas. seu uvas agrestes amaras, quod Elisaeus sanavit per injectionem farinae (2 *Reg.* iv. 38–41):

per "pulmentum, in quod miserunt colocynthidas amaras" significatur Verbum falsificatum; et per "farinam" immis-

sam, ex qua sanatum, significatur verum ex bono; verum enim quod ex bono dissipat falsa ex quibus falsificatio. Quoniam filii Jacobi pervertebant omnia vera Verbi, et per applicationem ad se et ad amores terrestres falsificabant et adulterabant illa, ideo dicitur de illis in Cantico Mosis,

Quod de vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhae, et quod uvae ejus uvae fellis, et botri amaritudinum illis (*Deutr.* xxxii. 32):

per "vitem" significatur ecclesia quoad verum, proinde etiam verum ecclesiae; et per "uvas" significantur bona inde, quae sunt bona charitatis; et per "botros" bona fidei; inde patet quod per "botros amaritudinum" significentur bona fidei adulterata. Apud eundem,

Quod aquae maledictae darentur uxori a marito accusatae adulterii; quae si rea [1]esset, fierent aquae illae in ea in amaritudines; ac tumesceret venter et concideret femur (*Num.* v. 12–29):

per conjugium viri cum uxore significatur conjugium veri et boni, quoniam amor vere conjugialis ex conjugio illo spirituali descendit; inde per "adulterium" significatur conjunctio falsi et mali; ex eo erat quod "si rea esset, aquae fierent in amaritudines," per quod significatur adulteratio boni: et quia "venter" significabat amorem conjugialem, simile quod "uterus" et quoque "femur," inde erat quod "tumesceret venter et concideret femur;" per quod in sensu spirituali significatur quod perierit conjugiale, seu ipse amor conjugialis spiritualis et naturalis; "uterus" seu "venter" significat amorem illum spiritualem, et "femur" eundem naturalem. Ex his constare potest quod per "amarum" et "amaritudinem" in genere significetur falsificatio et adulteratio veri et boni; et quod earum variae species significentur per "fel," "absinthium," "myrrham," "labruscas," "colocynthidas," et plura.

619[*a*]. ***"Sed in ore tuo erit dulcis sicut mel."***—Quod significet *jucundum exterius*, constat ex significatione "oris," quod sit exterius; nam agitur de libello et ejus devoratione, et per "libellum" significatur Verbum, et per "devorationem" perceptio et exploratio; inde per "os," quod primum recipit, intelligitur externum Verbi: et ex significatione "dulcis sicut mel," quod sit jucundum boni naturalis; quod externum Verbi fuerit "dulce sicut mel," hoc

est, ita jucundum, erat quia tale est ut applicari posset cuicunque amori, et cuicunque principio inde capto, et haec per id confirmari. Quod externum Verbi, quod est sensus litterae ejus, tale sit, est quia multa ibi secundum apparentias coram naturali homine scripta sunt; et multae apparentiae, si non interius intelliguntur, sunt fallaciae, quales sunt fallaciae sensuum; ideo ab illis qui amant vivere corpori et mundo, trahitur id per apparentias illas ad confirmanda mala vitae et falsa fidei; quod imprimis factum est a filiis Jacobi, qui omnia Verbi applicuerunt ad se, et ex sensu litterae illam fidem tenuerunt, et quoque hodie retinent, quod illi prae aliis electi fuerint, et inde quod gens sancta fuerint; quod eorum Hierosolyma, et ibi templum, arca, altare, sacrificia, praeter innumera alia, sancta essent ex se; non scientes ac volentes scire quod sanctitas omnium istorum proflueret unice ex eo quod repraesentarent Divina procedentia a Domino, quae vocantur caelestia et spiritualia, quae sunt sancta caeli et ecclesiae, et quod cogitare illa sancta ex se, et non ex Divinis quae repraesentabant, foret falsificare et adulterare Verbum per applicationes ad se et ad suos amores; similiter ac fit apud illos cum fide de Messia, quod futurus Rex mundi, et evecturus illos super omnes gentes et populos in universo terrarum orbe; ut taceam reliqua quae colligunt ex mero sensu litterae Verbi, quae illis dulcia sunt sicut in ore mel. Inde est quod illa quae in Verbi sensu spirituali sunt, injucunda sint, nam in hoc sensu sunt ipsa vera, quae non secundum apparentias sunt; sicut quod ipsa illa gens non sancta esset, sed pejor omni alia gente, proinde quod non electa; quod Hierosolyma urbs modo significet ecclesiam Domini ac doctrinam de Ipso ac de sanctis caeli et ecclesiae, et quod templum, arca, altare, et sacrificia repraesentaverint Dominum et sancta ab Ipso procedentia, et quod inde et non aliunde sancta fuerint. Haec vera sunt quae in sensu litterae Verbi interius recondita sunt, hoc est, in sensu ejus interno spirituali; quae negant, quia Verbum in sensu litterae falsificaverunt et adulteraverunt, ut dictum est; quae idcirco illis sunt injucunda sicut cibi amari in ventre. Quod dicatur quod libellus in ore esset "dulcis sicut mel," est quia "mel" significat jucundum boni naturalis; quod "mel" id jucundum significet, constare potest a sequen-

tibus locis:—Apud *Ezechielem*,

> Dictum est Prophetae, "Aperi os tuum, et comede quod Ego do tibi; et vidi, quod ecce manus emissa ad me, et ecce in ea volumen libri; quod cum explicaret coram me, illud scriptum ante et post; et quod scriptum super eo, erant lamentationes, gemitus et planctus."...."Tunc dixit ad me, Fili hominis,....comede volumen hoc, et abi loquere ad domum Israelis:....deinde dixit ad me,.... Ventrem tuum ciba, et viscera tua imple volumine hoc quod Ego do tibi, et cum comedi, fuit in ore meo sicut mel quoad dulcedinem: et tunc dixit,....Abi ad domum Israelis, et loquere verba mea ad eos" (ii. 8–10; cap. iii. 1–4):

haec prorsus similia involvunt quae in *Apocalypsi;* quod prophetae Ezechieli mandatum fuerit ut "comederet volumen libri," simile involvit quod mandatum Johanni ut "comederet libellum," nempe, ut exploraretur quomodo Divinum Verum, quod est in Verbo, adhuc recipitur, percipitur et appropriatur illis qui ab ecclesia; nam per prophetam Ezechielem et Johannem repraesentatur doctrina Veri et Verbum; inde exploratio apud illos facta est: quod facta sit per "comedere librum," est quia "comedere" significat percipere et sic sibi appropriare, ut supra ostensum est; et cum id exploratum est, nempe qualiter Verbum adhuc percipitur, tunc dicitur ad prophetam Ezechielem ut "abiret ad domum Israelis, et loqueretur verba Dei ad illos;" etiam ad prophetam Johannem quod "oporteret illum prophetare," hoc est, adhuc docere Verbum in ecclesia; et hoc quia liber in ore illius sentitus est "dulcis sicut mel," hoc est, quia Verbum quoad sensum litterae adhuc est jucundum, sed ex causa quia ille sensus applicari potest ad quaecunque principia falsi, et ad quoscunque amores mali, et sic illis servire pro confirmandis jucundis vitae naturalis separatis a jucundis vitae spiritualis; quae cum separata sunt, mere jucunda amorum corporis et mundi sunt, unde principia falsi ex fallaciis. Apud *Esaiam*,

> "Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabit nomen Ipsius Deus nobiscum; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum" ([1]vii. 14, 15):

quod haec de Domino dicta sint, confirmatum apud *Matthaeum* (cap. i. 23) videatur: quisque videre potest quod per "butyrum et mel" non ibi intelligatur butyrum et mel, sed aliquod Divinum correspondens; nam sequitur,

"ut sciat reprobare malum et eligere bonum," quod non scitur per comedere butyrum et mel: sed per "butyrum" significatur jucundum boni spiritualis, et per "mel" jucundum boni naturalis; proinde per illa significatur Divinum spirituale et Divinum naturale, ita Ipsius Humanum interius et exterius. Quod Humanum Domini sit quod intelligitur, constat ex eo quod dicatur quod "Virgo concipiet et pariet Filium;" et quod Divinum sit, ex eo quod dicatur, "Et vocabit nomen Ipsius Deus nobiscum;" "vocare nomen" significat quale, hic quale Divinum, nam vocabitur "Deus nobiscum." Per "butyrum et mel" etiam jucundum boni spiritualis et naturalis significatur in eodem capite per haec,

> "Butyrum et mel comedet omnis residuus in terra" ([*Esai.* vii.] vers. 22):

per "residuos" intelliguntur qui interius et quoque exterius boni a Domino sunt, proinde qui recipiunt bonum procedens a Domino in veris; beatitudo inde interni seu spiritualis hominis, tum quoque externi seu naturalis, significatur per "butyrum et mel." Apud *Hiobum*,

> "Venenum aspidum suget, occidet eum lingua viperae; ne videat rivos, flumina torrentium mellis et butyri" (xx. 16, 17):

haec dicta sunt de hypocritis, qui bene et blande loquuntur de Deo, de proximo, deque caelo et ecclesia, cum tamen prorsus aliter cogitant; et quia per id dolos nectunt ad captandos animos, tametsi infernale gerunt corde, dicitur, "Venenum aspidum suget, occidet eum lingua viperae:" quod illis non aliquod jucundum boni naturalis nec spiritualis sit, intelligitur per "ne videat rivos, flumina torrentium mellis et butyri;" per "rivos" intelliguntur illa quae intelligentiae sunt; per "flumina torrentium mellis et butyri" illa quae inde affectionis et amoris sunt, quae sunt ipsa jucunda vitae caelestis: omne jucundum vitae manens in aeternum est jucundum boni et veri spiritualis, et inde jucundum boni et veri naturalis; at jucundum hypocriticum est jucundum naturale separatum a jucundo spirituali, sed id jucundum vertitur in altera vita in dirum infernale. Quod per "butyrum et mel" hic nec intelligantur butyrum et mel, constat; ubinam enim in mundo dan-

tur flumina torrentium mellis et butyri? Simile quod per "butyrum et mel," etiam significatur per "lac et mel:" et quoniam per "lac" significatur jucundum boni spiritualis, et per "mel" jucundum boni naturalis, et haec jucunda sunt illis qui ab ecclesia Domini sunt, ideo terra Canaan, per quam significatur ecclesia, dicta fuit

> "Terra fluens lacte et melle" (*Exod.* iii. 8, 17: *Levit.* xx. 24: *Num.* xiii. 27; cap. xiv. 8: *Deutr.* vi. 3; cap. xi. 9; cap. xxvi. 9, 15; cap. xxvii. 3; cap. xxxi. 20: *Jos.* v. 6: *Jerem.* xi. 5; cap. xxxii. [1]22: *Ezech.* xx. 6):

quod per "terram Canaanem" in Verbo intelligatur ecclesia, supra (n. 29, 304[*b*, *g*], [2]431[*b*]) ostensum est; et ecclesia, solum est apud illos qui in bono spirituali et simul bono naturali sunt: in his formatur a Domino ecclesia; est enim ecclesia in homine et non extra illum, proinde non apud illos apud quos illa bona non sunt: haec bona cum illorum jucundis significantur per "lac et mel."

[**b.**] Quod in terra Canaane etiam multum mellis eo tempore fuerit, ex causa quia ibi tunc erat ecclesia Domini, constat ex *Libro Primo Samuelis*, ubi dicitur

> Quod venerint in silvam, ubi erat mel super faciebus terrae, et ibi rivus mellis, et quod Jonathani ex gustatione mellis oculi aperti fuerint (xiv. 25–27, 29):

quod "Jonathani ex gustatione mellis oculi aperti fuerint," erat quia "mel" correspondet bono naturali et ejus jucundo, et hoc bonum dat intelligentiam et illustrat; unde ei cognitio fuit quod malum fecerit; sicut legitur apud *Esaiam*, quod "comedet butyrum et mel, ut sciat reprobare malum et eligere bonum:" correspondentiae enim eo tempore sistebant suum effectum, quoniam omnia Ecclesiae Israeliticae constabant ex correspondentiis, per quas repraesentabantur et significabantur caelestia et spiritualia. Simile quod per "butyrum et mel" significatur etiam per "oleum et mel" in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Equitare fecit eum super excelsis terrae, et cibavit proventu agrorum, sugere fecit eum mel e rupe, et oleum e saxo petrae" (*Deutr.* xxxii. 13):

haec in Cantico Mosis, in quo agitur de ecclesia in suo principio, et postea de illa in progressu, et tandem in fine: illi qui Ecclesiam Antiquam constituerunt describuntur

per illa verba; non autem illi qui Ecclesiam Israeliticam, hi enim a principio usque ad finem mali fuerunt, ut constare potest ex patribus eorum in Aegypto, et dein in deserto; sed Antiqua Ecclesia, cujus homines intelliguntur per "patres illorum," erat quam Dominus "equitare fecit super excelsis terrae, et cibavit proventu agrorum:" quod illis bonum amoris naturalis et bonum amoris spiritualis cum eorum jucundis data fuerint per vera, ex quibus intelligentia eorum, et secundum quae vita eorum, significatur per "Sugere fecit eum mel e rupe, et oleum e saxo petrae;" per "mel" significatur jucundum amoris naturalis, per "oleum" jucundum amoris spiritualis, ac per "rupem" et "saxum petrae" verum a Domino. (Quod "oleum" significet bonum amoris et charitatis, videatur supra, n. 375; quodque "rupes" et "petra" significent verum a Domino, n. [411,] 443[a].) Apud *Davidem*,

> "Cibavi eos ex adipe tritici, et e petra melle saturavi eos" (Ps. lxxxi. 17 [*B. A.* 16]):

per "adipem tritici" etiam significatur jucundum boni spiritualis, et per "mel e petra" jucundum boni naturalis per vera a Domino (ut supra). Sciendum est quod bonum naturale non sit bonum nisi etiam sit bonum spirituale; nam omne bonum influit per spiritualem hominem seu mentem in naturalem hominem seu mentem, et quantum homo seu mens naturalis recipit bonum hominis seu mentis spiritualis, tantum recipit bonum; utrumque seu utrobivis erit ut sit bonum; quapropter bonum naturale separatum a bono spirituali in se est malum, quod usque percipitur ab homine sicut bonum: quia utrumque erit, ideo in locis allatis et adhuc afferendis dicitur "butyrum et mel," "lac et mel," "adeps et mel," tum "oleum et mel;" ac per "butyrum," "lac," "adipem" et "oleum" significatur bonum amoris spiritualis, ac per "mel" bonum amoris naturalis, una cum jucundis eorum. Apud *Ezechielem*,

> "Sic ornata es auro et argento, et vestes tuae byssus et sericum et acupictum; similam, mel et oleum comedisti, unde pulchra facta es valde admodum, et prosperata es usque ad regnum. . . . . At panem meum, quem dedi tibi, ac similam, oleum, mel quibus cibavi te, dedisti coram idolis in odorem quietis" (xvi 13, 19):

haec de Hierosolyma, per quam significatur ecclesia, pri-

mum Ecclesia Antiqua, et postea Ecclesia Israelitica: de Ecclesia Antiqua dicitur quod "ornata fuerit auro et argento," per quae significatur amor boni et veri, qui hominibus illius ecclesiae fuit: quod "vestes ejus byssus, sericum et acupictum," significat cognitiones veri caelestis, spiritualis et naturalis; "byssus" significat verum ex origine caelesti, "sericum" verum ex origine spirituali, et "acupictum" verum ex origine naturali, quod vocatur scientificum: quod "comederit similam, mel et oleum," significat perceptionem veri et boni naturalis et spiritualis, et appropriationem eorum; "comedere" significat appropriari, "simila" verum, "mel" bonum naturale, et "oleum" bonum spirituale, quae illis appropriata sunt per vitam secundum vera supra memorata: quod "pulchra facta sit valde admodum, et prosperata usque ad regnum," significat quod intelligens et sapiens facta sit, usque ut ab illis ecclesia; "pulchritudo" significat intelligentiam et sapientiam, ac "regnum" significat ecclesiam. At de Ecclesia Israelitica, quae solum fuit in externis absque internis, et inde homines ejus fuerunt idololatrae, dicitur quod "similam, mel et oleum dederint coram imaginibus maris, seu idolis, in odorem quietis," hoc est, quod perverterint vera et bona ecclesiae in falsa et mala, et sic profanaverint illa. Apud eundem,

> "Jehudah et terra Israelis fuerunt negotiatores tui in triticis minnith et pannag, et melle et oleo et balsamo, dederunt negotiationem tuam" (xxvii. 17):

haec de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni; et inde quoque per "Tyrum" significantur cognitiones veri et boni quae sunt ecclesiae; et per "mel" et "oleum" significantur similia quae supra: quid per "Jehudam" et "terram Israelis," tum per "tritica minnith et pannag," perque "balsamum," tum per "negotiationem Tyri," ibi in sensu spirituali intelligitur, supra (n. 433[*c*]) explicatum est. Apud *Mosen*,

> "Terra fluviorum aquae, fontium et abyssorum exeuntium e valle et e monte, terra tritici et hordei, et vitis, et ficus, et malogranati, terra olivae olei et mellis" (*Deutr.* viii. 7, 8):

haec de terra Canaane, per quam intelligitur ecclesia, quae in bono caelesti, spirituali et naturali, ac inde in

veris est; sed quae in hoc versu continentur, supra (n. 374[c] et 403[b]) explicata sunt, et quod per "oleum" et "mel" ibi significetur bonum amoris in interno seu spirituali homine ac in externo seu naturali. Apud *Davidem*,

> "Judicia Jehovae veritas, justa sunt simul, desiderabilia prae auro et prae obryzo multo, et dulcia prae melle et stillatione favorum" (Ps. xix. 10, 11 [*B. A.* 9, 10]);

et apud eundem,

> "A judiciis tuis non recessi, quia Tu docuisti me; quam dulcia sunt palato meo verba tua, prae melle ori meo" (Ps. cxix. 102, 103):

per "judicia" significantur vera et bona cultus; quare dicitur quod "judicia Jehovae sint veritas, et justa simul;" "justum" significat bonum vitae et inde cultus: et quia bonum etiam significatur per "aurum" et "obryzum," ideo dicitur quod "desiderabilia sint prae auro et prae obryzo multo;" "aurum" est bonum caeleste, "obryzum" est bonum spirituale, "desiderabile" est quod est affectionis et amoris: quoniam bona quibus homo afficitur etiam sunt jucunda, ideo dicitur quod sint "dulcia prae melle et prae stillatione favorum," et quod "verba Jehovae dulcia sint palato, et prae melle ori;" "dulce" significat jucundum, "mel" bonum naturale, "stillatio favorum" verum naturale: et quia "mel" est bonum naturale, et "os" significat externum, ideo dicitur "prae melle ori meo;" sicut in *Apocalypsi*, quod "libellus esset dulcis sicut mel in ore." Apud *Lucam*,

> Jesus dixit ad discipulos credentes se videre spiritum, "Videte manus meas et pedes meos, quod Ipse Ego sim; palpate Me et videte, nam spiritus carnem et ossa non habet, sicut Me videtis habere." ....Dein dixit illis, "Habetisne aliquid edulei? Illi vero dederunt Ipsi piscis assi partem, et de favo apiario, quae accipiens coram illis comedit" (xxiv. 39, 41–43):

ex serie horum verborum in sensu spirituali spectata manifeste constat quod per "favum apiarium" et per "mel" significetur bonum naturale; Dominus enim discipulis aperuit quod glorificaverit seu Divinum fecerit totum suum Humanum usque ad naturale et sensuale ejus; hoc significatur per "manus et pedes," ac per "carnem et ossa," quae viderent et palparent; per "manus et pedes" ultimum hominis quod vocatur naturale, per "carnem" bonum ejus, et per "ossa" vera ejus; omnia enim quae in corpore

humano dantur, correspondent spiritualibus, caro bono naturalis hominis, et ossa veris ejus (de qua correspondentia videatur in opusculo *De Caelo et Inferno*, n. 87–102): idem etiam confirmavit Dominus per id, quod coram discipulis comederit ex pisce asso et quoque ex favo apiario; "piscis assus" significat verum boni naturalis et sensualis hominis, et "favus apiarius" bonum veri ejusdem: quare Dominus per palpationem ostendit et confirmavit quod totum Humanum Ipsius usque ad ultima ejus glorificatum, hoc est, Divinum factum sit; et per esum, per id quod "comederit coram illis piscis assi partem et de favo apiario."

[*c.*] Quoniam "mel" significat bonum naturalis hominis, ideo etiam

> "Johannes" Baptista "habebat indumentum..ex pilis cameli, ac cingulum coriaceum circum lumbum.., et alimentum ei fuit locusta et mel agreste" (*Matth.* iii. 4; *Marc.* i. 6):

Johannes enim Baptista simile repraesentavit quod Elias; quare etiam dicitur quod "Elias venerit," per quem intelligitur Johannes: Elias repraesentavit Dominum quoad Verbum, seu Verbum quod a Domino; similiter Johannes: et quia Verbum docet quod Messias seu Dominus venturus sit, ideo Johannes praemissus est, qui de adventu Domini secundum praedictiones in Verbo praedicaret: et quia Johannes repraesentavit Verbum, ideo ultima Verbi, quae sunt naturalia, repraesentata sunt a Johanne per indumenta ejus, et quoque per alimenta; nempe per indumentum ex pilis cameli, et per cingulum coriaceum circum lumbos; "pili cameli" significant ultima naturalis hominis, qualia sunt exteriora Verbi, et "cingulum coriaceum circum lumbos" significat vinculum externum et connexionem eorum cum interioribus Verbi quae sunt spiritualia: similia significantur per "locustam" et per "mel agreste;" per "locustam" verum naturalis hominis, et per "mel agreste" bonum ejus: sive dicas verum et bonum naturalis hominis, sive verum et bonum naturale, quale est Verbum in sensu suo ultimo, qui vocatur sensus litterae seu sensus naturalis, idem est; nam Johannes per indumenta et alimenta sua repraesentavit illum. Quod

> Nullum fermentum, nec ullum mel adhiberetur in quo adolerent ignitum Jehovae (*Levit.* ii. 11),

erat causa, quia "fermentum" significat falsum naturalis hominis, et "mel" jucundum boni ejus ac in opposito sensu jucundum mali ejus; quod etiam instar fermenti est dum admiscetur talibus quae sancta interiora significant, nam jucundum naturale trahit suum ex jucundis amorum sui et mundi: et quia gens Israelitica in illis jucundis prae aliis gentibus fuit, ideo melle uti in sacrificiis prohibitum illis fuit. (De significatione "mellis," quod sit jucundum boni naturalis hominis, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 5620, [1]6857, 8056, 10137, 10530.) Quod

> Schimson postquam discerpserat leonem juvenem, in cadavere ejus invenerit examen apum et mel, quando uxorem duceret ex gente Philisthaea (*Judic.* xiv. 8),

significabat dissipationem fidei separatae a charitate, quam gens Philisthaea repraesentabat; quare etiam Philisthaei vocabantur "praeputiati," per quod nomen significatur quod absque amore et charitate spirituali essent, et solum in amore naturali, qui est amor sui et mundi: illa fides, quia destruit bonum charitatis, repraesentabatur per leonem juvenem qui aggressus est Simsonem animo discerpendi illum; sed Simson, quia erat Naziraeus, et per Naziraeatum repraesentabat Dominum quoad ultimum naturale Ejus, "discerpsit leonem," et dein in cadavere ejus invenit "examen apum et mel," per quod significabatur, quod, postquam fides illa dissipata est, loco ejus succedat bonum charitatis. Similia repraesentata et significata sunt per reliqua quae de Simsone in *Libro Judicum* memorantur; nam nihil quicquam in Verbo scriptum est quod non repraesentat et significat talia quae caeli et ecclesiae sunt, quae solummodo ex scientia correspondentiarum, et inde ex sensu spirituali Verbi, sciri possunt.

620. [*Vers.* 10.] ***"Et accepi libellum e manu angeli, et devoravi illum."***—Quod significet *explorationem*, constat ex illis quae praecedunt; quod nempe per "libellum" intelligatur Verbum, per "angelum" Dominus quoad Verbum, et per "devorare" seu comedere illum, recipere, percipere et sibi appropriare, proinde etiam explorare, hic qualis adhuc in ecclesia est intellectus Verbi. Exploratio fit per id quod percipiatur, et quomodo percipitur; hoc factum est apud prophetam Johannem, quia per "prophetam" significatur doctrina ecclesiae, et in universali sensu Verbum.

621. ***"Et erat in ore meo sicut mel dulcis."***—Quod significet *quod Verbum adhuc quoad externum seu quoad sensum litterae ejus perciperetur sicut jucundum boni, sed modo jucundum ex eo, quod serviret ad confirmandum principia falsi et amores mali, seu principia oriunda ex amore sui et mundi, quae omnia sunt falsa;* quod inde Verbum, quod intelligitur per "libellum," perceptum esset "dulce sicut mel," in superioribus ostensum videatur.

622[*a*]. ***"Et cum devoravi illum, et amaricatus est venter meus."***—Quod significet *quod perceptum et exploratum sit quod Verbum esset interius injucundum ex adulterato vero sensus litterae ejus*, constat ex illis quae supra (n. 617 et 618) explicata sunt, ubi similia verba. Quod "venter" hic significet interiora Verbi quae vocantur spiritualia, est quia exploratio repraesentata est per devorationem seu comestionem libelli, per quem intelligitur Verbum, perque ejus saporem, per quem intelligitur perceptio: inde prima perceptio significatur per "saporem in ore," ubi libellus erat "dulcis sicut mel;" prima perceptio Verbi est qualis est perceptio sensus litterae ejus, ita quale est Verbum exterius; altera autem perceptio significatur per saporem ejus dum "in ventrem" venit, qui dicitur "amaricatus;" altera haec perceptio Verbi est qualis est perceptio sensus spiritualis ejus, seu quale Verbum est interius: inde est quod quia per "os" significatur exterius, ideo per "ventrem" hic significetur interius, quia interius receptum et exploratum. Quod "venter" significet interiora, est quia venter interius recondit cibum, et per "cibum" significatur omne quod nutrit animam, et quia venter sicut reliqua viscera intus seu in medio corporis est; inde est quod per "ventrem" et quoque per "viscera" in Verbo significentur interiora. Quod per "ventrem" et per "viscera" significentur interiora, constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Ezechielem*,

> "Fili hominis, ventrem tuum ciba, et viscera imple volumine hoc" (iii. 1[, 3]);

per quae similia significantur quae in *Apocalypsi*, quae nunc explicantur, quod nempe "acciperet et devoraret libellum;" per "volumen" enim simile significatur quod per "libellum," nempe Verbum; et per "cibare ventrem et

implere viscera volumine" significatur explorare quomodo Verbum intelligitur in ecclesia, quod fit per lectionem et perceptionem ejus. Apud *Davidem*,

> "Thesauro tuo imple ventrem eorum, saturantur filii, et relinquunt residuum suum infantibus suis" (Ps. xvii. 14):

per "thesaurum" significatur verum Verbi, per "ventrem" interior intellectus; inde per "thesauro implere ventrem eorum" significatur veris Verbi instruere interiorem intellectum apud illos: quod inde qui veris afficiuntur, plene instruantur, significatur per "saturantur filii;" "filii" significant illos qui in veri affectione sunt; et "infantes" filiorum significant vera nascentia; de illis dicitur quod "relinquant residuum infantibus suis." Dicitur interior intellectus, nam apud hominem est intellectus exterior et intellectus interior; intellectus exterior est mentis naturalis, et intellectus interior est mentis spiritualis; intellectus interior significatur per "ventrem." Apud *Johannem*,

> Jesus dixit, "Si quis sitiverit, venito ad Me, et bibito; quisque credit in Me, sicut dicit Scriptura, flumina e ventre Ipsius fluent aquae viventis: hoc dixit de spiritu, quem accepturi credentes in Ipsum" (vii. 37–39):

ita describit Dominus Divinum Verum interius perceptum ab illis qui in affectione veri spirituali sunt; hi intelliguntur per eos "qui sitiunt ac veniunt ad Dominum et bibunt;" quod intellectus Divini Veri illis sit, significatur per quod "flumina e ventre Ipsius fluent aquae viventis;" "flumina e ventre" sunt intellectus seu intelligentia interior, et "aqua vivens" est Divinum Verum a Domino: et quia per "spiritum sanctum" intelligitur Divinum Verum procedens a Domino, dicitur quod hoc dixerit "de spiritu, quem accepturi credentes in Ipsum." Apud *Marcum*,

> "Omne extrinsecus ingrediens in hominem non potest illum immundum reddere; quoniam non ingreditur illius in cor, sed in ventrem, et in latrinam ejicitur, expurgantem omnes cibos:....quod autem ex homine egreditur, hoc immundum reddit hominem; intrinsecus enim ex corde hominis" egreditur (vii. 18–20[, 21]; *Matth.* xv. 17–20):

haec ita intelligenda sunt; quod omnia tam falsa quam mala, quae vel ex visis vel ex auditis influunt in cogita-

tionem intellectus, et non in affectionem ejus voluntatis, non afficiant et inficiant hominem; quoniam cogitatio intellectus hominis, quatenus non procedit ex affectione voluntatis ejus, non est in homine sed extra illum; quare non appropriatur ei: similiter fit cum vero et bono. Haec Dominus docet per correspondentias, dicendo quod "id quod per os intrat in ventrem non immundum reddat hominem, quoniam non intrat in cor, illud enim quod intrat in ventrem in latrinam ejicitur;" per quod intelligitur quod id quod ab extra seu extrinsecus, sive sit ex objectis visus, vel ex objectis loquelae, vel ex objectis memoriae, intrat in cogitationem intellectus hominis, non immundum reddat illum; sed id, quatenus non est ejus affectionis seu voluntatis, separatur et ejicitur, sicut assumptum ventre in latrinam. Haec spiritualia exposuit Dominus per naturalia; quoniam cibi qui assumuntur ore, et demittuntur in ventrem, significant talia quae homo spiritualiter haurit et quibus nutrit animam; inde est quod "venter" correspondeat cogitationi intellectus, et quoque significet illam: quod "cor" significet affectionem voluntatis hominis, supra ostensum est; tum quod id solum approprietur homini quod fit ejus affectionis seu voluntatis: quod spiritualia intelligantur, et non naturalia, patet; nam dicit Dominus quod "ex corde egrediantur cogitationes malae, caedes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, blasphemiae." Quoniam falsa et mala, quae extrinsecus in cogitationes intrant, ex infernis intrant, et si non recipiuntur affectione voluntatis ab homine, rejiciuntur in inferna, quare dicitur quod "ejiciantur in latrinam," nam per "latrinam" significatur infernum; ex causa quia in infernis omnia immunda sunt, et illi qui ibi ejecti sunt e caelo, quod in forma est sicut homo et inde vocatur Maximus Homo, et quoque correspondet omnibus hominis; at inferna inde correspondent ejectionibus ex ventre Maximi Hominis seu caeli; ex eo est quod infernum per "latrinam" in sensu spirituali intelligatur. Quod "venter" dicatur "expurgare omnes cibos," est quia per "ventrem" significatur cogitatio intellectus, ut supra dictum est, et per "cibos" significantur omnes nutritiones spirituales, et cogitatio intellectus est quae separat immunda a mundis, et sic expurgat. Apud *Jeremiam*,

Dixit Jehovah Deus, "Conturbavit Me Nebuchadnezar, rex Babelis, constituit Me vas vacuum, deglutivit Me sicut cetus, implevit ventrem suum ex deliciis meis, dispulit Me" (li. [1]34);

per "Nebuchadnezarem regem Babelis" significatur profanatio Divini Veri; et quia illi qui profanant illud, prae reliquis hauriunt illud, et applicant spurcis amoribus, imprimis amori dominandi, usque dum omnem Divinam potestatem in se transtulerint, hoc significatur per quod "deglutiverit Me sicut cetus," et quod "impleverit ventrem suum deliciis meis;" "cetus" significat ultimum naturale, in quo sunt tales qui in amore sui sunt; "deliciae" sunt cognitiones veri et boni ex Verbo; ac "implere ventrem" illis significat haurire illa et profanare. Apud *Davidem*,

"Miserere mei, Jehovah, quia angustia mihi; contabuit prae indignitate oculus meus, anima mea, et venter meus" (Ps. xxxi. 10 [*B. A.* 9]):

per "oculum," "animam" et "ventrem" hic significatur intellectus et inde cogitatio veri exterior et interior; ita per "ventrem" significantur interiora intellectus, quae "contabescere prae indignitate" dicuntur quando pereunt per falsa. Apud eundem,

"Incurvata est ad pulverem anima nostra, adhaesit terrae venter noster" (Ps. xliv. 26 [*B. A.* 25]);

per "animam" et per "ventrem" in spirituali sensu etiam ibi significatur cogitatio intellectus: et per "incurvata ad pulverem et adhaesit terrae" significatur quod imbuta falsis; per "pulverem" enim et "terram" significatur infernale et damnatum: infernale et damnatum etiam significatur per "ambulare super ventre," et per "comedere pulverem," ut dictum est ad serpentem,

"Maledictus esto prae omnibus bestiis, et prae omnibus feris agri; super ventre tuo ambulabis, et pulverem comedes omnibus diebus vitae tuae" (*Gen.* iii. 14).

Inde quoque erat

Quod prorsus vetitum fuerit comedere omne ambulans super ventre, quia abominatio (*Levit.* xi. 42):

quod per "pulverem" et per "adhaesionem ventris ad terram" significetur falsum et damnatum, est quia sub terris in mundo spirituali sunt inferna, et per terras ibi ab infer-

nis exhalantur falsa mali; et quia "venter" ex correspondentia significat interiora intellectus et cogitationis, quae inficiuntur et imbuuntur falsis mali, si terris illis adhaerent; quare etiam in mundo spirituali nemo cubat ventre super terra: at vero ibi ambulare super terra pedibus est tangere et haurire exhalata ab infernis corporeo naturali, quod correspondet plantis pedum; et hoc naturale non communicationem habet cum cogitationibus intellectus nisi apud illos qui in malis quoad vitam et in falsis quoad doctrinam sunt. Apud *Hiobum*,

> [1]Quod venter paret dolum (xv. 35);

et alibi,

> "Impletus sum verbis, angustiam mihi facit spiritus ventris mei; et venter meus, sicut vinum, non aperitur" (xxxii. 18, 19);

per quae intelligitur quod non aperire possit cogitationes intellectus sui. Apud *Jeremiam*,

> "Ablue a malitia cor tuum, Hierosolyma, ut serveris; quamdiu commorabuntur in ventre tuo cogitationes iniquitatis [tuae]?" (iv. 14:)

hic cogitationes manifeste tribuuntur ventri; nam dicitur, "Quamdiu commorabuntur in ventre tuo cogitationes iniquitatis?" et malitia tribuitur cordi, quia cor correspondet voluntati, in qua malitia residet. Apud *Davidem*,

> "Non in ore cujusvis certum, venter eorum perditiones, sepulchrum apertum guttur eorum, lingua sua blandiuntur" (Ps. v. 10 [*B. A.* 9]);

hic quoque ventri tribuuntur "perditiones," hoc est, cogitationes malae. Apud eundem,

> "Venter viri atque cor profundum" (Ps. lxiv. 7 [*B. A.* 6]):

per "ventrem viri" significantur cogitationes falsi, et per "cor" significantur affectiones mali; hae sunt voluntatis, et illae intellectus. Apud *Habakuk*,

> "Commotus est venter meus, ad vocem tinnuerunt labia mea" (iii. 16);

"Commotus est venter meus" significat dolorem cogitationis; quare etiam dicitur, "Ad vocem tinnuerunt labia mea," per quae significatur quod titubaret inde loquela. Per "viscera ceti,"

> In quibus fuit Jonas tres dies et tres noctes (*Jon.* ii. 1 [*B. A.* i. 17]),

significantur inferna ubi dirissima falsa, quibus circumstipatus; proinde atroces tentationes; ut constare potest a prophetico Jonae in eo capite, ubi etiam dicitur,

> "E ventre inferni vociferatus sum, et exaudivisti vocem meam" (vers. 3 [*B. A.* 2]).

[**b.**] Similia quae per "ventrem" etiam per "viscera" significantur, ut constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

> "Viscera mea propter Moabum sicut cithara commoventur, et intestinum meum propter Kir Cheres" (xvi. 11);

apud *Davidem*,

> "Benedic, anima mea, Jehovae; et omnia viscera mea nomini sanctitatis Ipsius" (Ps. ciii. 1);

apud eundem,

> "Facere voluntatem tuam, Deus mi, desideravi, et lex tua in visceribus meis" (Ps. xl. 9 [*B. A.* 8);

apud *Ezechielem*,

> "Argentum eorum et aurum eorum non poterit eripere eos in die irae Jehovae, animam eorum non saturabunt, et viscera eorum non implebunt" (vii. 19):

per "argentum" et "aurum" eorum significantur falsa et mala religionis quae ex propria intelligentia et ex propria voluntate; quod ex illis non aliqua nutritio spiritualis seu intelligentia et affectio boni, significatur per quod "animam eorum non saturabunt, et viscera eorum non implebunt." Quoniam per "viscera" significantur interiora cogitationis, et haec sunt quae dolore afficiuntur, ideo dolor ille exprimitur in Verbo per "commoveri visceribus"

> (Ut *Esai.* lxiii. 15: *Jerem.* xxxi. 20: *Thren.* i. 20: *Matth.* ix. 36: *Marc.* vi. 34; cap. viii. 2: *Luc.* i. 78; cap. vii. 12, 13; cap. x. 33, 34; cap. xv. 20).

Quoniam per "ventrem" significantur interiora cogitationis seu intellectus, ideo per "fructum ventris" in sensu spirituali significantur bona intellectus, et per "filios" vera ejus:—Ut apud *Davidem*,

> "Ecce hereditas Jehovae filii, merces fructus ventris" (Ps. cxxvii. 3);

apud *Esaiam*,

> "Fructus ventris non miserebuntur, filiis non parcet oculus eorum" xiii. 18);

apud *Hiobum*,

"Miserans lugeo filios ventris mei" (xix. 17);

apud *Mosen*,

"Benedicetur fructus ventris, et fructus terrae" (*Deutr.* vii. 13);

apud *Hoscheam*,

"Etiam cum generaverint, occidam desideria ventris eorum" (ix. 11, 16):

"fructus ventris" et "desideria ventris" significant in sensu litterae prolem naturalem, sed in sensu spirituali prolem spiritualem, quae est scientia, intelligentia, et sapientia; in has enim renascitur homo quando regeneratur: inde est quod per "partus," per "filios" et "filias," et per reliqua nomina quae nativitatis sunt, significentur illa quae nativitatis spiritualis, hoc est, regenerationis sunt; angeli enim, qui spiritualiter Verbum percipiunt, non alios partus et fructus ventris norunt. Inde etiam est quod per "uterum" et "ventrem" similia significentur in sequentibus his:—Apud *Esaiam*,

"Utinam auscultavisses praeceptis meis;....futurum esset semen tuum sicut arena, et nati viscerum tuorum sicut lapilli ejus" xlviii. 18, 19);

apud *Davidem*,

"Super Te projectus sum....a ventre matris meae, Deus Tu" (Ps. xxii. 11 [*B. A.* 10]);

apud eundem,

"Tu possides renes meos, obtexisti me in ventre matris meae" (Ps. cxxxix. 13);

apud eundem,

"Abalienati sunt impii ab utero, aberrant a ventre loquentes mendacium" (Ps. lviii. 4 [*B. A.* 3]);

et alibi. Quod "venter" seu "viscera" significent interiora cogitationis seu intellectus, est quia binae vitae apud hominem sunt, nempe vita intellectus et vita voluntatis: binis illis vitae fontibus correspondent omnia corporis; quare etiam ad omnem nutum eorum aguntur et agunt, usque adeo ut pars corporis quae non patitur se agi ab illis non sit viva: inde est quod universum corpus sit subjectum imperiis binarum illarum vitarum; omnia enim in corpore quae moventur et quatenus moventur a respiratione pulmonum, illa subjecta sunt imperio vitae intellec-

tus; et omnia in corpore quae aguntur et quatenus aguntur a pulsu cordis, illa subjecta sunt imperio vitae voluntatis. Inde est quod in Verbo pluries dicatur "anima" et "cor;" et quod "anima" significet vitam intellectus, tum vitam fidei, nam anima praedicatur de respiratione; et quod "cor" significet vitam voluntatis, tum vitam amoris. Ex his etiam est quod "venter" et "viscera" dicantur de cogitatione quae est intellectus, et quod "cor" dicatur de affectione quae est voluntatis.

VERSUS II.

623. *"Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare super populos et gentes et linguas et reges multos."*

11. *"Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare,"* significat *Divinum mandatum ut adhuc doceatur Verbum* [n. 624]; *"super populos et gentes et linguas et reges multos,"* significat *apud omnes qui in veris et bonis quoad vitam sunt, et simul in bonis et veris quoad doctrinam, proinde ut doceatur Verbum quoad bona vitae et quoad vera doctrinae* [n. 625].

624[*a*]. [*Vers.* 11.] *"Et dixit mihi, Oportet te iterum prophetare."*—Quod significet *Divinum mandatum ut adhuc doceatur Verbum*, constat ex significatione "dicere," cum ab angelo, per quem in hoc capite repraesentatus est Dominus quoad Verbum, quod sit mandatum; nam quod Dominus dicit, hoc mandatum est: et ex significatione "prophetare," quod sit docere Verbum (de qua sequitur). Quod oporteret illum adhuc docere Verbum, erat causa quia exploratum est qualis adhuc intellectus Verbi in ecclesia residuus esset, et compertum quod Verbum jucundum esset quoad sensum litterae; hoc enim significatur per id, quod "libellus in ore fuerit dulcis sicut mel," nam per "libellum" significatur Verbum. Quod mandatum sit ut adhuc doceretur Verbum in ecclesia, erat causa, quia nondum finis ejus erat; finis ejus describitur per "clangorem septimi angeli;" hic autem status ecclesiae proximus ante finem per "clangorem sexti angeli," de quo statu ecclesiae nunc agitur: et antequam finis est, Verbum, cum docetur, quibusdam adhuc est jucundum; non autem in statu ecclesiae ultimo seu finis ejus, nam tunc Dominus aperit interiora Verbi, quae injucunda sunt, ut supra dictum est, ubi actum est de amaricato ventre et devorato libello. Quod Verbum adhuc docendum sit, tametsi interiora vera ejus

injucunda sunt, et quod ultimum judicium non veniat priusquam consummatio est, hoc est, quando non amplius aliquod bonum et verum superest apud homines ecclesiae, est causa quae in mundo prorsus ignota est, sed in caelo nota: nempe, sunt duo genera hominum super quos judicium fit; unum genus consistit ex probis, alterum ex improbis; probi sunt angeli in ultimo caelo, quorum plerique sunt simplices, ex causa quia non excoluerunt intellectum veris interioribus, sed solum exterioribus ex sensu litterae Verbi, secundum quae vixerunt; inde est quod mens eorum spiritualis, quae est mens interior, non quidem clausa fuerit, sed nec aperta sicut apud illos qui interiora vera receperunt doctrina et vita; inde est quod quoad spiritualia simplices facti, et quod dicantur probi: improbi autem sunt qui exterius vixerunt sicut Christiani, sed interius in cogitationem et in voluntatem admiserunt omnis generis mala; sic ut in externa forma apparuerint sicut angeli, tametsi in interna forma essent diaboli; hi, quando in alteram vitam veniunt, consociantur ut plurimum probis, hoc est, simplicibus bonis, qui in ultimo caelo sunt; exteriora enim consociant, ac simplices boni tales sunt ut credant bonum esse quod in externa forma apparet bonum; ulterius cogitatione non penetrant; hi (nempe improbi) ab illis (nempe probis) separandi sunt antequam ultimum judicium venit, et quoque post illud, et non separantur nisi successive; haec causa est quod ante tempus ultimi judicii docendum usque sit Verbum, tametsi interius, hoc est, quoad interiora ejus, injucundum est; quae, nempe interiora, quia injucunda sunt, illa non recipiunt, sed solum talia ex sensu litterae Verbi quae favent amoribus eorum ac principiis inde captis, propter quae illis Verbum quoad sensum litterae est jucundum: per haec itaque separantur probi ab improbis. Quod propter hanc causam protrahatur tempus, antequam post ultimum judicium nova ecclesia plene instauratur, est arcanum e caelo quod hodie non potest in intellectum cadere, nisi apud paucos; hoc usque est quod Dominus docet apud *Matthaeum*,

"Accedentes servi Patrisfamilias dixerunt ei,..Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo sunt zizania? .....Et dixerunt, Vis ergo abeamus et colligamus ea? At ille dixit, Non, ne colligendo zizania eradicetis simul cum eis triticum, sinite itaque utraque simul crescere usque ad messem; et tempore messis dicam

messoribus, Colligite primum zizania, et ligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum vero colligite in horrea. .....Qui seminavit bonum semen est Filius hominis, ager est mundus, semen bonum sunt filii regni,....messis est consummatio saeculi:....sicut ergo colligantur zizania, et comburuntur igne, sic erit in consummatione saeculi hujus" (xiii. 27–30, [1]37–43):

"consummatio saeculi" significat ultimum tempus ecclesiae; quod non prius separandi sint probi ab improbis, quia per exteriora consociati sunt, intelligitur per "ne colligendo zizania eradicetis simul cum eis triticum." (De hac re etiam videatur in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 70.)

[*b*.] Quod "prophetare" significet docere Verbum, est quia per "prophetam" in supremo sensu intelligitur Dominus quoad Verbum, et in sensu respectivo docens Verbum, at in sensu abstracto ipsum Verbum et quoque doctrina e Verbo: haec per "prophetam" significantur; inde per "prophetare" significatur docere Verbum, et quoque [2]doctrinam e Verbo. Quod "prophetare" et "propheta" talia significent, constare potest a locis in Verbo quoad sensum spiritualem intellectis, ubi memorantur; ut in sequentibus:—Apud *Matthaeum*,

"Multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, et per nomen tuum daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Sed tunc confitebor illis, Non novi vos; discedite a Me, operantes iniquitatem" (vii. 22, 23):

agitur ibi de salvatione, quod nempe nemo salvetur per id quod sciat Verbum et doceat illud, sed per id quod faciat illud; in antecedentibus enim dicitur quod illi solum intraturi sint regnum caelorum "qui faciunt voluntatem Dei" (vers. 21); et in sequentibus, quod "qui audit verba Domini et facit illa" sit vir prudens, sed "qui audit et non facit" sit vir stultus (vers. 24–27): inde patet quid per illa verba intelligitur; nempe cultus Domini per preces et per verba oris solum, intelligitur per "Multi dicent Mihi in illo die, Domine, Domine;" docere Verbum et doctrinalia e Verbo, intelligitur per "Nonne per nomen tuum prophetavimus?" per "nomen" significatur secundum doctrinam e Verbo, et per "prophetare" significatur docere: per "daemonia ejicere" significatur e falsis religionis liberare; "daemonia" sunt falsa religionis: per "virtutes multas facere" significatur plures convertere: sed quia

haec fecerunt non propter Dominum, nec propter verum et bonum et propter salutem animarum, sed propter se et mundum, ita modo in externa forma ut apparituri essent, ideo respective ad se ipsos non bonum sed malum fecerunt; hoc intelligitur per quod dicturus Dominus, "Non novi vos, operantes iniquitatem." Videtur sicut non operati fuerint iniquitatem quando talia fecerunt; sed usque omne id iniquitas est quod homo facit solum propter se et mundum, quoniam non est aliquis amor Domini nec proximi, sed modo amor sui et mundi in illis; et unumquemvis post mortem manet suus amor. Apud eundem,

> In consummatione saeculi "multi pseudoprophetae exsurgent, et seducent multos;....surgent falsi Christi, et falsi prophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ut in errorem inducant, si possibile, electos" (xxiv. 11, 24; *Marc.* xiii. 22):

per "pseudoprophetas," perque "falsos Christos et falsos prophetas," non intelliguntur prophetae secundum notionem de prophetis communem, sed omnes illi qui pervertunt Verbum et falsa docent; hi etiam sunt falsi Christi, nam "Christus" significat Dominum quoad Divinum Verum, unde "falsi Christi" significant Divina vera falsificata: "dare signa magna et prodigia" significat efficaciam et potentiam falsitatum per confirmationes ex sensu litterae Verbi; per hunc etiam signa et prodigia fiunt in mundo spirituali, nam sensus litterae Verbi, utcunque falsificatus, potentiam habet; de qua re mirabilia possunt memorari: per "electos" significantur qui in bono spirituali, hoc est, qui in bono charitatis sunt. Apud eundem,

> "Quisquis prophetam suscipit in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet; et quisquis suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: immo, quisquis potaverit unum parvorum horum potu frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam" (x. 41, 42):

haec nemo intellecturus est nisi sciat quid significatur per "prophetam," per "justum," per "discipulum" et per "parvos;" tum quid per "suscipere eos in nomine eorum:" per "prophetam" in sensu abstracto significatur verum doctrinae, per "discipulum" bonum doctrinae, per "justum" bonum vitae, ac per "suscipere illos in nomine illorum" significatur recipere illa ex amore illorum; ita per

"suscipere prophetam in nomine prophetae" significatur amare verum doctrinae quia est verum, seu recipere verum propter illud; per "suscipere justum in nomine justi" significatur amare bonum et facere illud quia est bonum, ita recipere id a Domino ex amore suo affectione cordis; qui enim amat illa propter illa, is amat illa ex illis, ita a Domino a quo procedunt; is quia non amat illa propter se et mundum, spiritualiter amat illa, et omnis amor spiritualis manet hominem post mortem, et dat vitam aeternam: "mercedem accipere" significat secum ferre illum amorem, et inde beatum caeli recipere: "potare unum parvorum potu frigidae tantum in nomine discipuli" significat innocentiam ex innocentia, et ex illa amare bonum et verum ex Verbo, et docere illa; "potare potu frigidae" significat amare et docere ex pauca innocentia; "parvi" significant innocentes et abstracte innocentiam; "potare potu frigidae" significat docere ex pauca innocentia, et "discipulus" significat bonum doctrinae a Domino; "potare parvos aqua," significat docere verum ex innocentia spirituali, et quoque docere innocentes vera. Haec spiritualis interpretatio illorum verborum est; quae si nesciretur, quis sciturus est quid intelligitur per "suscipere prophetam et justum in nomine prophetae et justi"? et quod "illi accepturi mercedem prophetae et justi"? "Merces" significat amorem in aeternum permanentem cum ejus jucundis. Apud eundem,

"Multi justi et prophetae desideraverunt videre quae vos videtis, sed non viderunt; et audire quae vos audivistis, sed non audiverunt" (xiii. 17):

per "prophetas" et "justos" in sensu spirituali intelliguntur omnes qui in veris doctrinae et in bono vitae secundum illa sunt; et per "videre" et "audire" significatur intelligere et percipere; hic interiora vera procedentia a Domino, nam haec intelligere et percipere reformant hominem, quando etiam homo facit illa. Quod interiora vera procedentia a Domino intelligantur, est quia Dominus, cum in mundo fuit, aperuit illa: in sensu litterae intelligitur videre et audire Dominum; sed quia Dominus est ipsum Divinum Verum in caelo et in ecclesia, proinde quia omnia Divina vera a Domino sunt, et Ipse illa docuit,

et continue per Verbum docet, per "videre et audire Dominum" significatur intelligere et percipere illa. Apud *Joelem*,

> "Effundam spiritum meum super omnem carnem, ita ut prophetent filii vestri et filiae vestrae, senes vestri somnia somnient, juvenes vestri visiones videant" (iii. 1 [*B. A.* ii. 18]):

haec de adventu Domini ac de perceptione Divini Veri ab illis qui recipiunt Dominum et credunt in Ipsum; per "spiritum qui effundetur super omnem carnem" significatur Divinum Verum procedens a Domino, nam hoc per "spiritum sanctum" in Verbo intelligitur; per "prophetare" significatur intelligere et docere vera doctrinae; per "somnia somniare" significatur revelationem accipere, et per "visiones videre" significatur revelationem percipere; per "filios" et "filias" significantur qui in affectione veri et boni spirituali sunt; per "senes" significantur qui in sapientia; et per "juvenes" qui in intelligentia. Apud *Amos*,

> "Non facit Dominus Jehovih verbum, nisi revelaverit arcanum suum servis suis prophetis. Leo [1]rugit, quis non timeat? Dominus Jehovih locutus est, quis non prophetet?" (iii. 7, 8:)

per "prophetare" hic quoque significatur recipere Divinum Verum et docere illud. (Sed haec videantur explicata supra, n. 601 [*a*].)

[*c*.] Similia per "prophetare" et per "prophetas" significantur in sequentibus in *Apocalypsi*:—

> "Dabo duobus prophetis meis ut prophetent dies mille ducentos sexaginta, induti saccis" (xi. 3);

alibi,

> "Tempus mortuos judicandi, et dandi mercedem servis suis prophetis" (xi. 18);

[alibi,]

> "Testimonium Jesu est spiritus prophetiae" (xix. 10);

[et] alibi,

> "Exulta...caelum, sancti apostoli ac prophetae, quia judicavit Deus judicium" eorum (xviii. 20):

quod ibi per "prophetas" intelligantur illi qui in veris doctrinae sunt, et in sensu abstracto vera doctrinae, et quod per "prophetare" intelligatur recipere et docere illa, imprimis docere Ipsum Dominum, videbitur in sequentibus. Apud *Amos*,

"Dixit Amos ad Amaziam,.....Accepit me Jehovah post gregem, et dixit...., Abi, propheta contra populum meum Israelem;....et tu dicis, Ne propheta contra Israelem, neque stilla contra domum Jischaki:....uxor tua in urbe scortabitur, filii tui et filiae tuae gladio cadent, ac terra tua fune dividetur" (vii. [14,] 15-17);

per "prophetare contra Israelem," et "stillare contra domum Jischaki," significatur redarguere illos qui ab ecclesia in falsis mali sunt; "prophetare" significat docere et redarguere, ac "Israel" et "domus Jischaki" significant ecclesiam; quoniam falsa mali sunt quibus redarguentur, dicitur ad Amaziam, per quem repraesentabatur ecclesia perversa: quod "uxor ejus scortabitur" significat falsificationem et adulterationem Verbi; quod "filii et filiae gladio cadent" significat quod vera et bona ecclesiae peritura sint per falsa mali; et quod "terra fune dividetur" significat quod ecclesia et omne ejus dissipabitur. Apud *Hoscheam*,

"Per prophetam ascendere fecit Jehovah Israelem ex Aegypto, et per prophetam custoditus est; provocavit ad iram Ephraim amaritudinibus, ideo sanguines ejus super eo relinquet" (xii. 14, 15 [*B. A.* 13, 14]):

per "prophetam" hic in sensu proximo intelligitur Moses, per quem Israel eductus est ex Aegypto, et dein custoditus; sed in sensu spirituali per "prophetam" intelligitur Dominus quoad Verbum, et per "Israelem" intelliguntur omnes qui ab ecclesia in veris ex bono sunt, et per "Aegyptum" intelligitur naturalis homo, qui separatus a spirituali homine est damnatus; inde "Per prophetam ascendere fecit Jehovah Israelem ex Aegypto," significat quod Dominus illos qui in veris ex bono sunt educat ex damnatione per Divinum Verum quod est Verbum, tum quod per illud custodiat: "Provocavit ad iram Ephraim amaritudinibus" significat quod perverterint Verbum quoad intellectum ejus; per "Ephraim" significatur intellectus Verbi, et per "amaritudines" significantur perversiones et inde falsitates, ex quibus injucunda: "ideo sanguines ejus super eo relinquet" significat damnationem propter adulterationem veri quod in Verbo. Apud eundem,

"Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis, cognoscent Israel, stultus propheta et insanus vir spiritus, hic propter multitudinem iniquitatis..et magnum odium; speculator Ephraim cum Deo meo, propheta laqueus aucupis in omnibus viis ejus, odium in domo Dei ejus" (ix. 7, 8):

per "dies visitationis et retributionis" significantur dies ultimi judicii, quando mali luent poenas, quod est retributio, quam visitatio semper praecedit; per "Israelem," "prophetam" et "virum spiritus," non intelligitur Israel, propheta et vir spiritus, sed omnes illi qui ab ecclesia in falsis mali et malis falsi sunt, ac illa docent, exque Verbi sensu litterae confirmant; falsa mali significantur per "multitudinem iniquitatis," et mala falsi per "magnum odium;" per "Ephraimum," qui speculator cum Deo, significatur intellectus Verbi; inde vocatur "speculator cum Deo;" sed quia intellectum Verbi pervertunt illi qui in falsis mali et in malis falsi sunt, et sic astute seducunt, ideo dicitur "Propheta laqueus aucupis et odium in domo Dei." Apud *Ezechielem*,

> "Propheta contra prophetas Israelis prophetantes, et dic prophetis e corde suo, Audite Verbum Jehovae; sic dixit Dominus Jehovih, Vae prophetis stultis, qui abeunt post spiritum suum, et juxta [id quod] non viderunt. ....Erit manus mea contra prophetas, videntes vanitatem et divinantes mendacium" (xiii. [1]2, 3, 9):

per "prophetas" hic et alibi in Verbo in sensu proximo intelliguntur prophetae quales fuerunt in Veteri Testamento, per quos Dominus locutus est; sed in sensu spirituali non intelliguntur illi prophetae, sed omnes quos Dominus ducit; apud hos etiam Dominus influit, ac illis revelat arcana Verbi, sive illa doceant sive non; quare hi per "prophetas" in spirituali sensu significantur: at per "prophetas qui prophetant e corde suo, et abeunt post spiritum suum, quique vident vanitatem et divinant mendacium," intelliguntur omnes qui non docentur et ducuntur a Domino, sed a semet ipsis; unde illis insania loco intelligentiae, et stultitia loco sapientiae; nam illis est amor sui loco amoris in Deum, et amor mundi loco amoris erga proximum, ex quibus continue scaturiunt falsa: ex his videri potest quid per illa verba in serie significatur. Apud *Micham*,

> "Nox vobis pro visione, et tenebrae orientur vobis pro divinando, et occidet sol super prophetas, et nigrescet super iis dies" (iii. 6):

"Nox vobis pro visione" significat quod intellectus falsi erit pro intellectu veri; "tenebrae pro divinando" significat quod falsa pro veris revelatis; "occidet sol super pro-

phetas, et nigrescet super iis dies," significat quod non amplius aliqua lux a Domino et e caelo influet, quae illustrabit, sed caligo ex infernis quae intellectum nigrabit.

[*d.*] Quoniam multis in locis nominantur prophetae, et quisque non aliam de illis ideam cepit quam sicut de prophetis Veteris Testamenti per quos Dominus locutus est ad populum et per quos Dominus dictavit Verbum, et quia Verbum in omnibus et singulis etiam spiritualem sensum habet, ideo in eo sensu per "prophetas" intelliguntur omnes quos Dominus docet; ita omnes qui in affectione veri spirituali sunt, hoc est, qui verum amant quia est verum, hos enim docet Dominus, influit in eorum intellectum, ac illustrat; et hoc plus quam apud prophetas Veteris Testamenti, hi enim non illustrabantur quoad intellectum, sed modo recipiebant auditu verba, quae dicturi erant aut quae scripturi; immo, nec interiorem eorum sensum minus spiritualem intelligebant. Ex his constare potest quod per "prophetas" in sensu spirituali intelligantur omnes qui a Domino sapiunt, sive etiam doceant sive non doceant: et quia omnis sensus vere spiritualis est abstractus ab idea personarum, locorum et temporum, ideo per "prophetam" quoque significatur in supremo sensu Dominus quoad Verbum et quoad doctrinam e Verbo, et quoque Verbum ac doctrina; ac in opposito sensu per "prophetas" significantur perversiones et falsificationes Verbi, ac falsa doctrinae. Et quia haec per "prophetas" in utroque sensu significantur, velim solum aliqua loca afferre in quibus prophetae nominantur, per quos intelliguntur omnes qui recipiunt et docent Verbum et doctrinam, et in sensu separato a personis intelligitur Verbum et doctrina, ac in opposito sensu qui pervertunt Verbum et docent falsa doctrinae, et abstracte perversio Verbi et falsum doctrinae:—Apud *Esaiam*,

> "Exscindet Jehovah ex Israele caput et caudam;....senex et honoratus faciebus caput est, propheta autem doctor mendacii cauda est" (ix. [13,] 14 [*B. A.* 14, 15]);

apud eundem,

> "Effudit super vos Jehovah spiritum somnolentiae, et occlusit oculos vestros, prophetas et capita vestra, videntes obtexit" (xxix. 10);

apud *Jeremiam*,

> "Abnegarunt Jehovam quando dixerunt, Non ille, neque veniet super

nos malum, ac gladium famemque non videbimus; sed prophetae erunt in ventum, nec verbum in iis" (v. 12, 13);

apud eundem,

"Misi ad eos omnes servos meos prophetas, quotidie matutinando et mittendo" (vii. 25);

apud eundem,

"Sic dixit Jehovah Zebaoth contra prophetas, Ecce Ego cibans eos absinthio et potabo eos aquis fellis; quia a prophetis Hierosolymae exivit hypocrisis in universam terram:....ne attendite ad verba prophetarum prophetantium vobis, vanos reddunt vos, visionem cordis sui loquuntur, non ex ore Jehovae" (xxiii. 15, 16);

apud eundem,

"Prophetae qui fuerunt ante me et ante te a saeculo, prophetarunt super terras multas, et super regna magna de bello, et de malo et de peste; propheta qui prophetat de pace, cum venerit verbum prophetae, cognoscetur propheta quod miserit eum" Deus (xxviii. 8, 9);

apud *Matthaeum*,

"Vae vobis" hypocritae et Pharisaei, "quia aedificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus participes eorum in sanguine prophetarum; itaque testamini contra vosmet quod filii sitis eorum qui occiderunt prophetas. ....Mitto ad vos prophetas, sapientes et scribas; jam vero ex iis occidetis et crucifigetis, ...ut veniat super vos omnis sanguis justus effusus super terram a sanguine Abelis justi usque ad sanguinem Sachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare. ....Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas missos ad te...." (xxiii. 29–37; *Luc.* xi. [1]47–51):

in his locis apparet sicut per "prophetas" modo intelligantur prophetae, per quos Jehovah, hoc est, Dominus, locutus est; proinde quod Dominus per "occidere prophetas" [2]solum intellexerit necem eorum: sed simul intellexit occisionem et exstinctionem Divini [3]Veri oriundam ex falsificatione et adulteratione Verbi: nam per personam et ejus functionem in sensu spirituali intelligitur ipsa res qua persona fungitur et quam loquitur, ita per "prophetam" Divinum Verum seu Verbum, ac doctrina inde; quia functio personae unam rem cum persona agit, ideo ipsa res, quam propheta docet, per illum intelligitur: per "sanguinem effundere" etiam intelligitur adulterare vera Verbi; et quia gens Judaica talis erat, ideo dicitur, "Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas missos ad te," per quae verba in sensu spirituali intelligitur quod exstinguant omne Divinum Verum quod ex Verbo apud

illos. Quia per "prophetam" intelligitur Divinum Verum quod est Verbum et ex Verbo in ecclesia, et hoc exstingui nequit nisi ab illis apud quos Divinum Verum aut Verbum est, ideo dixit Dominus

> Quod non conveniens sit ut propheta intereat extra Hierosolymam (*Luc.* xiii. 33);

per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia quoad doctrinam veri.

[*e.*] In Verbo etiam pluries dicitur "sacerdos et propheta;" et per "sacerdotem" ibi intelligitur qui ducit ad vivendum secundum Divinum Verum, et per "prophetam" qui docet illud. In hoc sensu nominantur "sacerdos" et "propheta" in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Non peribit lex a sacerdote, aut consilium a sapiente, aut Verbum a propheta" (xviii. 18);

apud eundem,

> "In die illo....peribit cor regis et cor principum, et stupescent sacerdotes, ac prophetae admirabuntur" (iv. 9);

apud *Ezechielem*,

> "Quaerent visionem a propheta, sed lex periit a sacerdote, et consilium a senioribus; rex lugebit, et princeps induetur stupore" (vii. 26, 27):

per "visionem a propheta" intelligitur intellectus Verbi; per "legem a sacerdote" intelliguntur praecepta vitae; per "consilium a senioribus" intelligitur sapientia inde; per "regem et principes" intelligitur intelligentia per vera ex bono: hoc est spirituale horum verborum. Apud *Esaiam*,

> "Sacerdos et propheta errant per siceram, absorbentur a vino, aberrant per siceram, errant inter videntes, titubant judicio" (xxviii. 7);

apud *Jeremiam*,

> "Stupendum et horrendum factum est in terra; prophetae prophetarunt mendacium, et sacerdotes dominantur per manus suas, et populus meus amant ita" (v. [30,] 31);

apud eundem,

> "[A] propheta usque ad sacerdotem quisque facit mendacium" (viii. 10);

apud eundem,

> "Quando interrogaverint te....aut propheta aut sacerdos, dicendo, Quodnam dictum propheticum Jehovae? dicito ad eos, Deserui vos, et prophetam et sacerdotem" (xxiii. 33, 34);

apud *Zephaniam*,

> "Prophetae..levissimi, viri perfidiarum, sacerdotes eorum profanant sanctum, violenter torquent Legem" (iii. 4);

apud *Jeremiam*,

> "Sacerdotes non dixerunt, Ubi Jehovah? et tenentes Legem non agnoverunt Me:....et prophetae prophetarunt per Baalem; post eos vero, qui non prosunt, iverunt. ....Pudefacti sunt domus Israelis, ipsi, reges eorum, principes eorum, et sacerdotes eorum, et prophetae eorum" (ii. 8, 26):

ut praeteream plura loca ubi "prophetae" et simul "sacerdotes" nominantur; et ibi per "sacerdotes" intelliguntur qui docent vitam et qui ducunt ad bonum, et per "prophetas" intelliguntur qui docent vera, per quae ducendi: in sensu autem abstracto per "sacerdotes" ac per "sacerdotium" intelligitur bonum amoris, proinde etiam bonum vitae; et per "prophetas" intelligitur verum doctrinae, proinde verum quod ducit ad bonum vitae; verbo, prophetae docebunt, et sacerdotes ducent. Apud *Sachariam*,

> "In die illo....exscindam nomina idolorum e terra, ut non memorentur amplius, etiamque prophetas et spiritum immundum transire faciam e terra; et fiet cum prophetaverint vir amplius, dicent ad eum pater ejus et mater ejus, qui generarunt eum, Non vives;....[1]quin confodient eum pater ejus et mater ejus qui generarunt eum....: fiet in die illo, pudefient prophetae, vir propter visionem suam, cum prophetaverint, neque induent tunicam pili ut mentiantur; et dicet, Non propheta ego, vir colens terram ego, quia homo vendidit me a pueritia" (xiii. 2–4[, 5]):

hoc de adventu Domini in mundum, et de abolitione cultus repraesentativi, tum falsitatum quibus doctrina ecclesiae tunc scatuit; nam gens Judaica, apud quam fuit illa ecclesia, omnem cultum posuit in externis, et nihil in internis; hoc est, in sacrificiis et talibus quae externa erant, et nihil in charitate et fide, quae interna sunt; inde cultus et doctrina constabant ex meris falsitatibus, et ipsa gens in se spectata erat idololatra. Abolitio talium a Domino per illa prophetae verba describitur: quare per "Exscindam nomina idolorum e terra, ut non memorentur amplius," significatur abolitio cultus idololatrici, hoc est, cultus mere [2]externi absque interno: per "transire faciam prophetas et spiritum immundum e terra" significatur abolitio falsitatum doctrinae: per quod "dicent ad eum pater ejus et mater ejus, qui generarunt eum, cum prophetaverint amplius, Non vives," significatur quod ecclesia

instituenda a Domino, quae futura ecclesia interna, prorsus exstinctura sit falsa doctrinae, si quis illa doceret; per "prophetare" significatur docere falsa doctrinae, per "patrem et matrem" significatur ecclesia quoad bonum et quoad verum (per "patrem" ecclesia quoad bonum, et per "matrem" ecclesia quoad verum); per "Non vives" significatur exstinguere: hoc etiam intelligitur per quod "pater ejus et mater ejus, qui generarunt eum, confodient eum:" abolitio falsitatum doctrinae etiam intelligitur per "Pudefient prophetae, vir propter visionem suam, neque induent tunicam pili ut mentiantur;" per "prophetas" et "visionem" eorum etiam hic intelliguntur falsa doctrinae, et per "inducere tunicam pili ut mentiantur" significatur pervertere externa Verbi, qualia sunt in sensu litterae ejus; tunica pili apud prophetas repraesentabat ultimum sensum Verbi, similiter ac indumentum Johannis Baptistae ex pilis cameli: per quod dixerit, "Vir colens terram ego, quia homo vendidit me a pueritia," significatur quod hoc illis sit ab Ecclesia Judaica, quae solum externa et non interna fuit, quia in ea natus et ideo ei addicatus. Apud *Danielem*,

> "Septimanae septuaginta decisae sunt super populum tuum, et super urbem sanctitatis tuam, ad consummandum praevaricationem, et ad obsignandum peccata, et ad expiandum iniquitatem, et ad adducendum justitiam saeculorum, et ad obsignandum visionem et prophetam, et ad ungendum sanctum sanctorum" (ix. 24):

haec de adventu Domini, quando iniquitas consummata est, hoc est, quando non amplius aliquod bonum et verum in ecclesia residuum erit: "super populum et super urbem sanctitatis" significat super ecclesiam et ejus docrinam, quae tunc prorsus vastata et exstincta: "ad consummandum praevaricationem et ad obsignandum peccata" significat quando omnes in ecclesia sunt in falsis doctrinae et in malis quoad vitam; nam, ut in praemissis hujus articuli ostensum est, adventus Domini, et cum Ipso ultimum judicium, non prius adest quam cum non amplius aliquod verum doctrinae et bonum vitae in ecclesia superest; et hoc ex causa de qua supra, nempe, ut probi ab improbis separentur: "adducere justitiam saeculorum" significat ultimum judicium, quando cuivis retribuetur secundum facta ejus: "obsignare visionem et prophetam"

significat finem prioris ecclesiae et principium novae; seu finem externae ecclesiae, quae fuit repraesentativa spiritualium, et principium internae quae est spiritualis; per "visionem et prophetam" etiam intelliguntur falsa doctrinae; et quoque per eadem verba significatur quod Dominus impleturus omnia quae in Verbo de Ipso praedicta sunt: "ungere sanctum sanctorum" significat glorificationem Humani Domini per unionem cum Ipso Divino, et quoque significat postea omnem cultum ex amore in Ipsum. Apud *Mosen*,

> "Jehovah dixit ad Mosen,...Constitui te deum Pharaoni, et Aharon frater tuus erit propheta tibi" (*Exod.* vii. 1):

quod Dominus dixerit ad Mosen quod "constituerit eum deum Pharaoni," erat quia Moses repraesentabat Legem, per quam intelligitur Divinum Verum, quod etiam in sensu spirituali per "Deum" significatur; recipiebat enim Moses ex ore Domini verba quae dicturus erat Pharaoni, et qui recipit illa dicitur "deus;" inde quoque est quod angeli dicantur "dii," et inde quoque significant Divina vera: quod Aharon esset "propheta ejus," significat quod doceret verum receptum a Mose ac diceret Pharaoni, nam per "prophetam," ut supra dictum est, significatur docens verum, et abstracte doctrina veri. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 7268, 7269.) Ex eo est quod prophetae Veteris Testamenti repraesentaverint Dominum quoad doctrinam Divini Veri, et quod praecipui eorum repraesentaverint Dominum quoad ipsum Verbum ex quo doctrina Divini Veri, prout Moses, Elias, Elisaeus et Johannes Baptista; et quia Dominus est Verbum, hoc est, Divinum Verum, ideo Ipse in supremo sensu dictus est "Propheta." Quoniam Moses, Elias et Johannes Baptista repraesentaverunt Dominum quoad Verbum, ideo

> Moses et Elias apparuerunt, locuti cum Domino, cum transformatus (*Matth.* xvii. 3, 4; *Marc.* ix. 4, 5; *Luc.* ix. 30):

et ibi per "Mosen et Eliam" intelligitur Verbum tam Historicum quam Propheticum, per "Mosen" Verbum Historicum, et per "Eliam" Verbum Propheticum; et hoc ex causa, quia Dominus transformatus Se sistebat in forma in qua est Divinum Verum in caelo. Quod Elias repraesentaverit Dominum quoad Verbum, constat ex miraculis

per illum factis, per quae omnia significantur talia quae Divini Veri seu Verbi sunt: et quia Johannes Baptista similiter repraesentabat Dominum quoad Verbum, ideo ille dictus fuit Elias; ut constat apud *Malachiam*,

> "En Ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam venit dies Jehovae magnus et terribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres, ne veniam et percutiam terram anathemate" (iii. 23, 24 [*B. A.* iv. 5, 6]):

et quoque aperte dicitur

> Quod Johannes Elias fuerit (*Matth.* xi. 14; cap. xvii. 10–12: *Marc.* ix. 11–13);

non quod fuerit Elias, sed quod repraesentaverit simile quod Elias, nempe Verbum: et quia Verbum docet quod Dominus in mundum venturus sit, et quoque in omnibus et singulis in sensu intimo agit de Domino, ideo

> Praemissus est Johannes ut doceret illos quod Dominus venturus sit (videatur *Matth.* xi. 9, 10: *Luc.* i. 76; cap. vii. 26).

Ex his nunc constare potest unde est quod Dominus dicatur Propheta, nempe,

> Quia Ipse erat Verbum, hoc est, ipsum Divinum Verum (ut constare potest ex *Johanne*, cap. i. vers. 1, 2, 14).

Quod Dominus dicatur "Propheta" quia fuit Verbum, constat apud *Mosen*,

> "Prophetam e medio tui, e fratribus tuis, sicut me, excitabit tibi Jehovah Deus tuus, Huic obedietis:....dabo verba mea in os Ipsius, ut loquatur ad vos omne quod praecepero Ipsi:....vir qui non obediverit verbis meis, quae loquetur in nomine meo, Ego quaeram a cum illo" (*Deutr.* xviii. [1]15–19):

quod dicatur quod "Jehovah excitaturus Prophetam sicut Mosen," erat quia Moses repraesentavit Dominum quoad Legem, hoc est, quoad Verbum, ut supra dictum est; quare etiam de Mose dicitur

> Quod Jehovah cum illo locutus sit ore ad os, et non sicut cum prophetis aliis per visiones, somnia et aenigmata (*Num.* xii. 1–8);

per quae etiam repraesentativum Domini apud Mosen describitur; Dominus enim ex Jehovah, hoc est, ex ipso Divino quod in Ipso ex conceptione fuit, Secum locutus est: hoc intelligitur per "Dabo verba mea in os Ipsius, ut loquatur ad vos omne quod praecepero Ipsi;" et hoc

quoque repraesentabatur apud Mosen, quod "Jehovah ore ad os locutus sit cum illo, et non sicut cum aliis prophetis." Inde nunc est

Quod Dominus dicatur Propheta (etiam apud *Matthaeum*, cap. xxi. 11: apud *Lucam*, cap. vii. 16: apud *Johannem*, cap. vii. 40, 41; cap. ix. 17).

625. *"Super populos et gentes, et linguas et reges multos."*—Quod significet *apud omnes qui in veris et in bonis quoad vitam sunt, et simul in bonis et in veris quoad doctrinam, secundum cujusvis religionem, proinde ut doceatur Verbum quoad bona vitae et quoad vera doctrinae*, constat ex significatione "populorum et gentium," quod sint qui ab ecclesiâ spirituali et ab ecclesia caelesti sunt; illi qui ab ecclesia spirituali sunt, vocantur in Verbo "populi;" at illi qui ab ecclesia caelesti sunt, vocantur "gentes;" illi qui ab ecclesia spirituali sunt, qui vocantur "populi," sunt qui in veris quoad doctrinam et quoad vitam sunt; et qui ab ecclesia caelesti sunt, qui vocantur "gentes," sunt qui in bono amoris in Dominum sunt, et inde in bono quoad vitam: (sed de significatione "populorum" et "gentium" in Verbo, videatur supra, n. 175, 331:) et ex significatione "linguarum et regum multorum," quod sint qui in bonis et veris quoad vitam et quoad doctrinam sunt, sed secundum cujusvis religionem; "linguae" enim significant bona veri, et confessionem eorum secundum cujusvis religionem (videatur supra, n. 330, 455); et "reges" significant vera quae ex bono, et "reges multi" varia vera quae ex bono, sed secundum cujusvis religionem. (Quod "reges" significent vera ex bono, videatur supra, n. 31, 553.) Quod "reges multi" significent varia vera quae ex bono, est quia populi et gentes extra ecclesiam plerique fuerunt in falsis quoad doctrinam; sed usque, quia vitam amoris in Deum et charitatis erga proximum vixerunt, falsa religionis eorum a Domino acceptata fuerunt sicut vera, ex causa quia intus in falsis eorum fuit bonum amoris, et bonum amoris qualificat omne verum; et tunc falsum quod a talibus creditur esse verum, etiam bonum intus latens facit, ut illi, dum in alteram vitam veniunt, percipiant genuina vera, et recipiant illa. Praeterea sunt vera quae solum apparentiae veri sunt, prout sunt illa vera quae in sensu litterae Verbi sunt; illae veri apparentiae etiam a Domino acceptantur sicut genuina vera, quando

in illis est bonum amoris in Dominum et bonum charitatis erga proximum; etiam bonum intus latens apud illos in altera vita dissipat apparentias, et nudat vera spiritualia, quae sunt genuina vera. Ex his constare potest quid hic intelligitur per "reges multos." (Sed de falsis in quibus bonum, quae sunt apud gentes, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 21.) Ex his quae in hoc articulo, et ex illis quae in praecedente, dicta et ostensa sunt, constare potest quod per quod "oporteat iterum prophetare super populos, gentes, linguas et reges multos" significetur quod adhuc docendum sit Verbum illis qui in bonis et veris quoad doctrinam et inde vitam sunt; sed quia dicitur "super populos, gentes, linguas et reges," etiam per illa verba significatur quod docendum sit Verbum quoad bona vitae et quoad vera doctrinae, nam haec duo sunt quae Verbum in toto suo complexu continet. Hic sensus est sensus illorum verborum abstractus a personis, qui est sensus vere spiritualis: sensus litterae in plerisque locis spectat personas, etiam nominat illas; sed sensus vere spiritualis est prorsus absque respectu personarum. Angeli enim, qui in sensu spirituali Verbi sunt, in singulis quae cogitant et loquuntur, non aliquam ideam personae nec loci habent, quoniam idea personae et loci limitat et finit cogitationes, et per id facit illas naturales; aliter idea abstracta a personis et locis; inde est quod illis intelligentia et sapientia sit, et inde est quod intelligentia et sapientia angelica sit ineffabilis: homo enim, dum in mundo vivit, in cogitatione naturali est; et cogitatio naturalis ideas habet ex personis, locis, temporibus, et ex materialibus, quae si homini auferrentur, periret ei cogitatio quae ad perceptionem venit, nam sine illis nihil quicquam comprehendit; at cogitatio angelica absque ideis ex personis, locis, temporibus et materialibus est; inde est quod cogitatio et inde loquela angelica sit ineffabilis, et quoque homini incomprehensibilis. At usque homo qui in mundo vitam amoris in Dominum et vitam charitatis erga proximum vivit, is post excessum e mundo in intelligentiam et sapientiam illam ineffabilem venit; nam mens ejus interior, quae est ipsa mens ejus spiritus, tunc aperitur, et homo tunc, cum fit angelus, ex illa cogitat et loquitur, proinde talia quae in mundo non potuit effari, nec comprehendere. Mens talis spiritualis, quae similis

est menti angelicae, cuivis homini inest; sed in mundo, quia per corpus materiale ibi loquitur, videt, audit et sentit, intra mentem naturalem latet, seu supra hanc vivit; et homo quod inibi cogitat tunc prorsus ignorat, nam cogitatio illius mentis tunc influit in mentem naturalem, ac se ibi limitat, finit, et sistit videndam et percipiendam. Homo nescit, dum in corpore in mundo est, quod interius illam mentem, et inibi intelligentiam et sapientiam angelicam, possideat; ex causa quia omnia quae ibi versantur, influunt in mentem naturalem, ut dictum est, et sic secundum correspondentias fiunt naturalia. Haec dicta sunt ut sciatur quale est Verbum in sensu spirituali, quando hic sensus prorsus abstractus est a personis et a locis; hoc est, a talibus quae ex materialibus corporis et mundi suum quale trahunt.

CAPUT XI.

ET datus est mihi calamus similis baculo, et ange-
lus adstitit dicens, Surge et metire templum
Dei et altare, et adorantes in eo.
2. Et atrium, quod extra templum, ejice foras, et
ne illud metiaris, quia datum est gentibus, et civi-
tatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta
duobus.
3. Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt
diebus mille ducentis sexaginta, circuminduti saccis.
4. Hi sunt duae olivae, et duo candelabra, quae
coram Deo terrae stantia.
5. Et si quis illis voluerit nocere, ignis egredietur
ex ore illorum, et devorabit inimicos illorum; et si quis
illis voluerit nocere, ita oportet illum occidi.
6. Hi habent potestatem claudere caelum, ut non
pluat pluvia in diebus illorum prophetiae; et potesta-
tem habent super aquas convertere illas in sanguinem,
et percutere terram omni plaga, quotiescunque volue-
rint.
7. Et cum absolverint testimonium suum, bestia as-
cendens ex abysso faciet bellum cum illis, et vincet illos,
et occidet illos.
8. Et corpora illorum super platea urbis magnae,
quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus, ubi et
Dominus noster crucifixus est.
9. Et videbunt ex populis et tribubus et linguis et

gentibus corpora illorum dies tres et dimidium; et corpora illorum non permittent poni in monumenta.

10. Et habitantes super terra gaudebunt super illis et laetabuntur, et munera mittent invicem, quoniam illi duo prophetae cruciaverunt habitantes super terra.

11. Et post tres dies et dimidium spiritus vitae ex Deo intravit in illos, et steterunt super pedibus suis; et timor magnus cecidit super videntes illos.

12. Et audiverunt vocem magnam ex caelo dicentem illis, Ascendite huc; et ascenderunt in caelum in nube, et viderunt illos inimici illorum.

13. Et in illa hora factus est terrae motus magnus, et decima pars urbis cecidit, et occisa sunt in terrae motu nomina hominum millia septem; et reliqui territi facti sunt, et dederunt gloriam Deo caeli.

14. Vae secundum praeteriit; ecce vae tertium venit cito.

15. Et septimus angelus clanxit, et factae sunt voces magnae in caelo, dicentes, Facta sunt regna mundi Domini nostri et Christi Ipsius, et regnabit in saecula saeculorum.

16. Et viginti et quatuor seniores, qui coram Deo sedentes super thronis suis, ceciderunt super facies suas, et adoraverunt Deum;

17. Dicentes, Gratias agimus Tibi, Domine Deus omnipotens, qui es et qui eras et qui venturus es, quod adeptus sis potentiam tuam magnam, et regnum inieris.

18. Et gentes iratae sunt; et venit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et dare mercedem servis tuis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum, parvis et magnis; et perdere perdentes terram.

19. Et apertum est templum Dei in caelo, et visa est arca foederis Ipsius in templo Ipsius; et facta sunt fulgura et voces et tonitrua et terrae motus et grando magna.

EXPLICATIO.

VERSUS 1, 2.

626. ***"Et datus est mihi calamus similis baculo, et angelus adstitit dicens, Surge et metire templum Dei et altare, et adorantes in eo. Et atrium, quod extra templum, rejice foras, et ne illud metiaris, quia datum est gentibus, et civitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus."***

1. ***"Et datus est mihi calamus similis baculo,"*** significat *modum visitationis, hoc est, explorationis qualis est ecclesia quoad verum et quoad bonum* [n. 627]; ***"et angelus adstitit dicens,"*** significat *voluntatem Domini et mandatum* [n. 628]; ***"Surge, metire templum Dei et altare, et adorantes in eo,"*** significat *ut exploret ecclesiam, qualis est quoad receptionem Divini Veri et Divini Boni, et inde quoad cultum Domini* [n. 629].
2. ***"Et atrium, quod extra templum, rejice foras, et ne illud metiaris,"*** significat *quod externum Verbi, et inde ecclesiae et cultus, non explorandum sit* [n. 630]; ***"quia datum est gentibus,"*** significat *quoniam id perversum est per mala vitae et falsa doctrinae* [n. 631]; ***"et civitatem sanctam conculcabunt,"*** significat *quod destructuri omnem doctrinam veri et boni ex Verbo* [n. 632]; ***"mensibus quadraginta duobus,"*** significat *usque ad finem veteris ecclesiae et principium novae* [n. 633].

627[*a*]. [*Vers.* 1.] ***"Et datus est mihi calamus similis baculo."***—Quod significet *modum visitationis, hoc est, explorationis qualis est ecclesia quoad verum et quoad bonum*, constat ex significatione "calami," quod sit per quem exploratur qualitas; per "metiri" enim significatur explorare, et per "mensuram" qualitas rei; inde per "calamum," per quem metiretur templum et altare, ut sequitur, seu per "calamum mensurae," significatur modus explorandi qualitatem: quod sit modus explorandi qualis est ecclesia quoad verum et quoad bonum, est quia sequitur quod "metiretur templum et altare, et adorantes in eo," per quae significatur ecclesia quoad verum et quoad bonum, et inde quoad cultum. Quod "calamus" etiam significet visitationem, est quia visitatio est exploratio hominum ecclesiae quales sunt, et quia visitatio [1]praecedit ultimum judicium, de quo postea agitur. Qualis est visitatio seu exploratio illa, constare potest ex visitatione in Sodoma, quod primum illuc missi fuerint angeli, ac per illos visitatio seu explora-

tio facta est quales essent quoad receptionem eorum, hoc est, quales essent quoad receptionem Divini Veri ac Divini Boni, nam angeli illi repraesentabant Dominum quoad Divinum procedens; et postquam exploratum est, quod omnes in Sodoma, praeter Lothum, non vellent recipere illos, sed damnum inferre illis, tunc exitium illorum venit, per quod ultimum judicium illorum intelligitur. Quod fuerit calamus, per quem mensuratio fieret, est quia per "calamum" seu "cannam" significatur Divinum Verum in ultimo ordinis; et per "baculum," cui calamus similis erat, significatur potentia; et per verum in ultimo ordinis et ejus potentiam fit omnis visitatio seu exploratio, nam omnia vera usque a primis simultaneum formant, seu coexistunt, in ultimo; quapropter omnia quae a Divino fiunt, ex primis per ultima fiunt; hic itaque visitatio seu exploratio, quod verum significatur per "calamum" seu "cannam." Similiter in his sequentibus in *Apocalypsi*,

> Quod unus ex septem angelis habuerit calamum aureum, quo metiebatur civitatem Hierosolymam et portas ejus et murum ejus; et quod mensus sit civitatem calamo ad stadiorum duodecim millia (xxi. 15, 16);

et apud *Ezechielem*,

> Quod in manu angeli esset filum lini et calamus mensurae, et calamus sex ulnarum, et quod illo mensus sit longitudinem, latitudinem et altitudinem aedificii, portae, porticus, atrii, templi, et plura alia (cap. xl. 3, 5, 6, 8, 11, 13, 17, seq.; cap. xli. 1–5, 13, 14, 22; cap. xlii. 1 ad fin.):

quod per "calamum mensurae" hic quoque intelligatur modus explorandi ecclesiam quoad verum et quoad bonum, constare potest ex eo, quod angelus mensus sit singula templi quoad longitudinem, latitudinem et altitudinem; et per "longitudinem" significatur bonum, per "latitudinem" verum, et per "altitudinem" gradus boni et veri a supremis seu intimis ad infima seu ultima. (Quod "longitudo" et "latitudo" illa significent, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 107.) Quod "calamus" significet verum in ultimis, per quod explorationes fiunt, patet quoque ex eo, quod in manu angeli etiam esset filum lini, et per "filum lini" significatur verum; tum ex eo, quod calamus esset "sex ulnarum," ac per "sex" significantur similia quae per "tria," nempe vera in toto complexu (videatur supra, n. 384, 532). Quod "metiri" significet explorare quale rei, videbitur in sequenti

articulo. Per verum ultimum, seu verum in ultimo ordinis, intelligitur verum sensuale, quale est verum in sensu litterae Verbi illis qui mere sensuales sunt. Divinum Verum in descensu procedit secundum gradus a supremo seu intimo ad infimum seu ultimum. Divinum Verum in supremo gradu est quale est Divinum quod proxime procedit a Domino, ita quale est Divinum Verum supra caelos; hoc quia infinitum est, non ad ullius angeli perceptionem potest venire: Divinum autem Verum primi gradus est quod ad perceptionem angelorum intimi seu tertii caeli pervenit, et vocatur Divinum Verum caeleste; ex hoc est sapientia illorum angelorum: Divinum Verum secundi gradus est quod ad perceptionem angelorum medii seu secundi caeli pervenit, ac illorum sapientiam et intelligentiam facit, et vocatur Divinum Verum spirituale: Divinum Verum tertii gradus est quod ad perceptionem angelorum ultimi seu primi caeli pervenit, et facit illorum intelligentiam et scientiam, ac vocatur Divinum Verum caeleste et spirituale naturale: Divinum autem Verum quarti gradus est quod ad perceptionem hominum ecclesiae viventium in mundo pervenit, ac illorum intelligentiam et scientiam facit; hoc vocatur Divinum Verum naturale; ultimum hujus vocatur Divinum Verum sensuale. Haec Divina Vera secundum suos gradus in ordine sunt in Verbo; et Divinum Verum in ultimo gradu, seu in ultimo ordinis, est quale est Divinum Verum in sensu litterae Verbi pro infantibus et pro maxime simplicibus qui sensuales sunt: hoc Divinum Verum est quod per "calamum" seu "cannam" significatur: et quia explorationes apud omnes fiunt per Divinum hoc Verum ultimum, ut supra dictum est, ideo mensurationes et ponderationes in ecclesiis repraesentativis fiebant per calamos seu cannas, per quas id Divinum Verum significatur. Quod mensurationes factae sunt per calamos, nunc supra ostensum est; quod etiam ponderationes, constat apud *Esaiam*,

"Argentum calamo ponderant" (xlvi. 6).

Quoniam "calamus" significat verum in ultimis, quale est simplicibus et infantibus, qui non spirituales sed naturales sensuales sunt, ideo etiam dicitur apud *Esaiam*,

"Calamum contusum non confringet, et linum fumigans non exstinguet, et veritatem proferet in judicium" (xlii. 3):

ibi de Domino, et per "calamum contusum non confringet" significatur quod Divinum Verum sensuale apud simplices et infantes non laedet; per "linum fumigans non exstinguet" significatur quod Divinum Verum quod apud simplices et infantes ex pusillo bono amoris incipit vivere, non perdet; "linum" enim significat verum, et "fumigans" significat vivens ex aliquanto amore; et quia utrumque, nempe "calamus" et "linum," significat verum, ideo etiam dicitur de Domino quod "veritatem proferet in judicium," per quod intelligitur quod apud illos producet intelligentiam; "judicium" significat intelligentiam.

[**b.**] "Calamus" etiam significat Verum sensuale, quod est ultimum, quale datur apud naturales homines, etiam malos, apud eundem,

"Erit locus aridus in stagnum,....gramen pro calamo et junco" (xxxv. 7):

haec de instauratione ecclesiae a Domino; et quod tunc illis erit intelligentia per Divinum Verum spirituale apud quos non prius aliqua, significatur per "Erit locus aridus in stagnum;" et quod tunc erit scientia per Divinum Verum naturale illis apud quos prius modo verum sensuale fuit, significatur per "Gramen pro calamo et junco;" "gramen" significat scientiam ex origine spirituali, seu per quam verum spirituale confirmatur; "calamus" et "juncus" autem significant scientiam ex origine sensuali, seu per quam fallaciae sensuum confirmantur: haec scientia in se spectata est modo scientia infime naturalis, dicenda materialis et corporea, in qua parum vel nihil vitae. Apud eundem,

"Recedent flumina, comminuentur et exsiccabuntur fluvii Aegypti, calamus et ulva marcescent" (xix. 6):

per haec in sensu spirituali intelligitur quod omnis intelligentia Divini Veri peritura sit; "recedent flumina" significat quod omnia intelligentiae spiritualis abitura sint; "comminuentur et exsiccabuntur fluvii Aegypti" significat quod omnia intelligentiae naturalis peritura sint; "calamus et ulva marcescent" significat quod verum ultimum, quod vocatur verum sensuale, quod modo est

scientificum, evaniturum; "flumina" et "fluvii" significant illa quae intelligentiae sunt, "Aegyptus" significat naturale, ac "calamus et ulva" verum seu scientificum sensuale; "recedere," "comminui," "exsiccari" et "marcescere" significat perire et evanescere. Apud eundem,

"Confisus es super baculo calami contusi hujus, super Aegypto, super quo quando vir nititur, intrat in manum ejus, et perforat eam; sic Pharao rex Aegypti omnibus confidentibus super illo" (xxxvi. 6):

per "Aegyptum" significatur naturalis homo separatus a spirituali, et illius scientificum; quod cum separatum est ab intelligentia spiritualis hominis est fatuum, et applicatur confirmandis omnis generis malis; quare est scientificum falsum: hoc itaque est quod vocatur "baculus calami contusi;" "calamus" est, ut dictum est, verum in ultimo ordinis, quod est scientificum sensuale; "contusum" significat fractum et non cohaerens cum aliquo vero interiori quod consistentiam facit; "baculus" est potentia inde percipiendi, et quoque de veris ratiocinandi: hoc itaque est quod intelligitur per "Quando vir nititur super eo, intrat in manum ejus et perforat eam;" "niti super eo baculo" significat confidere suaemet potentiae percipiendi vera, et de illis ex proprio ratiocinandi; "intrare in manum," et "perforare illam," significat perdere omnem potentiam intellectualem, ac mere falsa pro veris videre et arripere: "sic Pharao rex Aegypti omnibus confidentibus super illo" significat quod talis sit naturalis homo separatus a spirituali quoad ejus scientifica et inde intelligentiam, et ex hac ratiocinationem. Apud *Hiobum*,

"Scapula mea ab humero decidat, et brachium meum inde a calamo confringatur; quia pavor super me exitii Dei, et prae majestate Ipsius nihil possem: num posui aurum spem meam, et auro puro dixi, Fiducia mea?" (xxxi. 22-24:)

agitur etiam ibi de confidentia propriae intelligentiae; et per illa verba in sensu spirituali describitur quod ex illa nihil veri videatur, sed quod mere falsum quod non cohaeret cum aliquo vero; non cohaerentia significatur per "Scapula mea ab humero decidat, et brachium meum inde a calamo confringatur;" "scapula," "humerus" et "brachium" significant potentiam, ibi potentiam intelligendi et percipiendi verum; "decidere ab humero," et "a ca-

lamo confringi," significat separari a potentia spirituali percipiendi verum, et inde a sensuali corporeo homine falli et per falsum perire; "calamus" est verum in ultimo ordinis, quod vocatur scientificum sensuale, quod fit mere falsum quando est solius naturalis hominis separati a spirituali: "pavor exitii Dei" significat jacturam intellectus omnis veri; "prae majestate Ipsius nihil posse" significat quod nihil intellectus et perceptionis veri sit a proprio hominis, sed omne ex Deo; "ponere aurum spem, et dicere auro puro, Fiducia mea," significat quod sibi non confisus fuerit, credendo quod aliquid boni sit a semet. Apud *Ezechielem*,

> "Ut cognoscant omnes habitatores Aegypti quod Ego Jehovah, propterea quod illi fuerint baculus calami domui Israelis; quando tenuerunt te manu, confractus es, perfodisti illis omnem humerum; et quando innixi sunt tibi, fractus es, et stare fecisti illis omnes lumbos" (xxix. 6, 7):

similia hic de Aegypto dicuntur quae supra, et per "Aegyptum" hic quoque significatur naturalis homo separatus a spirituali, ac scientificum ejus, quod applicatum malis est mere falsum; haec de illis in ecclesia, qui propriae intelligentiae confident, dicta sunt: "filii Israelis" significant illos qui ab ecclesia sunt; illorum confidentia significatur per "baculum calami:" quod inde illis perierit omnis facultas percipiendi verum, significatur per "Quando tenuerunt te manu confractus es, et perfodisti illis omnem humerum;" "humerus" significat potentiam seu facultatem intelligendi verum; jactura ejus significatur per "quando innixi sunt tibi, fractus es:" quod inde omne bonum amoris et charitatis deperditum et dissipatum sit, significatur per "Stare fecisti illis omnes lumbos;" "lumbi" significant conjugium veri et boni, hic itaque quod non verum sit conjunctum bono; verum conjunctum bono facit bonum amoris et charitatis, quoniam omne bonum amoris et charitatis formatur per vera. Apud *Davidem*,

> "Increpa feram calami," seu cannae, "congregationem fortium inter vitulos populorum, conculcans laminas argenti, dispersit populos, bella [1]desiderat: venient pingues ex Aegypto, Aethiopia accelerabit [2]manus suas Deo" (Ps. lxviii. 31, 32 [*B. A.* 30, 31]):

agitur ibi de regno Domini: quod cavendum sit a scientifico falso, hoc est, a scientifico false applicato e naturali

homine separato a spirituali, intelligitur per "Increpa feram calami," cannae, seu arundinis; quia illa scientifica, quoniam sunt ex fallaciis sensuum, fortiter persuadent, vocantur "congregatio fortium:" "vituli populorum" sunt bona ecclesiae quae in naturali homine: "laminae argenti" sunt vera ecclesiae;" "conculcare" et "dispergere" est deperdere et dissipare, quod fit ab illis qui naturales et sensuales sunt, ac naturaliter et sensualiter et non simul spiritualiter cogitant, ita qui ex naturali et sensuali homine separato a spirituali; ille homo intelligitur per "feram calami" seu "arundinis:" "bella desiderare" significat ratiocinationes contra vera: "pingues ex Aegypto," ac "Aethiopia," sunt illi qui in scientia rerum spiritualium sunt, et qui in cognitionibus veri et boni; qui accessuri ad regnum Domini quia in luce ex spirituali homine sunt. In *Libro Primo Regum*,

> "Percutiet Jehovah Israelem sicut nutat calamus in aquis, et avellet Israelem a super terra bona" (xiv. 15):

vastatio ecclesiae apud filios Israelis comparatur nutationi calami seu arundinis in aquis, quia per "calamum" seu arundinem significatur verum sensualis hominis, quod est ultimum; et id verum, quando separatur a luce spiritualis hominis, est falsum: nam sensualis homo omnia sua haurit ex apparentiis in mundo; inde ratiocinationes ex illis de spiritualibus sunt merae fallaciae, et ex fallaciis sunt falsa. (Quid fallaciae sensuum in spiritualibus, et quod inde falsa, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 53; tum supra in *Explicatione super Apocalypsin*, n. 575; et quod scientifica sensualia sint mere fallaciae quando homo sensualis ex illis ratiocinatur, supra, n. 569[*c*], 581[*a*]: tum quid sensuale, et qualis sensualis homo, in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 50.)

[*c*.] Apud *Evangelistas*,

> Quod posuerint calamum in dextram Domini, et quod postea acceperint calamum et illo percusserint caput Ipsius (*Matth.* xxvii. 29, 30; *Marc.* xv. 19);
>
> Tum quod spongiam imposuerint calamo, et potaverint Ipsum aceto (*Matth.* xxvii. 48; *Marc.* xv. 36);

qui non scit sensum Verbi spiritualem, credere potest quod haec et plura quae de passione Domini memorantur, non plus involvant quam vulgares modos illusionis; sicut quod "coronam ex spinis posuerint super capite Ipsius," quod "vestes Ipsius partiti sint, et non tunicam," quod

"genua coram Ipso flexerint" illudendi causa; et quoque hoc, quod "calamum dederint in dextram Ipsius, et illo dein percusserint caput Ipsius;" tum quod "spongiam impleverint aceto seu myrrhato vino, et imposuerint illam calamo, et eo potaverint Ipsum:" at sciendum est quod omnia quae de passione Domini memorantur, significent illusionem Divini Veri, proinde falsificationem et adulterationem Verbi, quoniam Dominus, cum in mundo fuit, erat Ipsum Divinum Verum, quod in ecclesia est Verbum; et quia Dominus illud erat in mundo, permisit Judaeis Se Ipsum tractare prorsus sicut tractabant Divinum Verum seu Verbum per falsificationem et adulterationem ejus. Applicuerunt enim omnia Verbi suis amoribus, et riserunt ad omne verum, quod cum amoribus illorum discordaret, sicut ad Ipsum Messiam, quia non secundum eorum explicationem et religionem fieret Rex super universum mundum, et illos in gloriam super omnes populos et gentes eveheret. (Quod omnia quae de passione Domini memorantur, talia significent, videatur supra, n. 64, 83, 195[*c*] fin.) Quod autem "dederint calamum in manum Domini, et dein illo percusserint caput Ipsius," significabat quod falsificaverint Divinum Verum seu Verbum, et quod prorsus illuserint intellectum veri, ac Divinam sapientiam: per "calamum" significatur falsum in extremis (ut supra), et per "percutere caput" significatur rejicere et illudere intellectum Veri et Divinam sapientiam ("caput Domini" illam significat); et quia "potaverunt Dominum aceto," per quod significatur falsificatum, ideo etiam spongiam illo impletam imposuerunt "calamo," per quem significatur falsum in extremis, quod est falsum sustentans.

628. ***"Et angelus adstitit dicens."***—Quod significet *voluntatem Domini et mandatum*, constat ex significatione "adstare," quod hic sit voluntas (de qua sequitur); ex significatione "angeli," quod sit Dominus quoad Verbum (de qua supra, n. 593); et ex significatione "dicere," cum a Domino, quod sit mandatum; nam quod Dominus dicit, ut fiat, aut ut aliquis faciat, est mandatum. Quod "adstitit angelus" hic sit voluntas Domini, est quia in mundo spirituali cogitatio cum intentione et voluntate videndi alterum, loquendi cum illo, et mandatum ei dandi, facit ut praesens sit, hoc est, ut adstet; in illo enim mundo non sunt distantiae quae

constantes et inde mensurabiles sicut in mundo naturali, sed similitudo affectionis et inde cogitationis facit praesentiam, ac dissimilitudo earum facit absentiam; ex illa origine sunt omnes distantiae in illo mundo: hoc venit ex hoc universali, quod Dominus praesens sit apud omnes secundum eorum amorem in Ipsum, et secundum amorem erga proximum, et inde cogitationes; ex hoc universali principio existunt omnes distantiae, hoc est, praesentiae et absentiae, inter angelos et spiritus; quare cum aliquis desiderat loqui cum altero, hoc est, cogitat de illo ex intentione seu voluntate loquendi cum illo, fit is illico praesens, seu ipse praesens apud eum: (quod ita sit, videri etiam potest in opere *De Caelo et Inferno*, n. 191–199, ubi actum est De Spatio in Caelo:) ex his nunc constare potest unde est quod "adstitit angelus" significet voluntatem Domini; "adstare" enim est praesens esse.

629[*a*]. ***"Surgere, metire templum Dei et altare, et adorantes in eo."***—Quod significet *ut exploret ecclesiam qualis est quoad receptionem Divini Veri et Divini Boni, et inde quoad cultum Domini*, constat ex significatione "metiri," quod sit explorare rem qualis est (de qua sequitur); ex significatione "templi," quod in supremo sensu sit Divinum Humanum Domini quoad Divinum Verum, et in sensu respectivo caelum et ecclesia quoad Divinum Verum procedens a Domino (de qua supra, n. 220); ex significatione "altaris," quod in supremo sensu sit Divinum Humanum Domini quoad Divinum Bonum, et in sensu respectivo caelum et ecclesia quoad Divinum Bonum procedens a Domino (de qua etiam supra, n. 391, 490, 496): et ex significatione "adorantium," quod sit cultus. Quod "adorantes" significent cultum Domini, est quia cultus in adoratione Domini consistit, et quia in sensu spirituali non intelligitur aliquid personae, sed modo res abstracta a personis (de qua re videatur supra, n. 99, 100, 270, 325, 625); inde est quod per "adorantes" significetur adoratio et cultus. Ex his constare potest quod per "Surge, metire templum Dei et altare, et adorantes in eo," significetur, ut exploret ecclesiam qualis est quoad receptionem Divini Veri et Divini Boni procedentis a Domino, et inde quoad cultum. Quod "metiri" in sensu spirituali non significet metiri, constare potest ex eo, quod mandatum sit ut non solum metiretur "templum" et "altare," sed etiam "adorantes in eo;"

tum quod "metiri templum et altare" involvat aliquid quod significatur per mensuras illorum, ita quod significatur per "longitudinem," "latitudinem" et "altitudinem;" nam "metiri adorantes in templo" non dici potest nisi "metiri" significet explorare quale eorum seu quale rei. Quod "metiri" significet explorare quale rei, tum designare illud, constare potest ex locis in Verbo, ubi "metiri" et "mensurae" dicuntur, ut ex sequentibus his:—Apud *Ezechielem*,

> Vir, cui filum lini in manu ejus et calamus mensurae, mensus est aedificium, tum limen portae, porticum portae in domo, porticum portae a domo, januam portae, portam a tecto thalami, et plura, quae mensus est quoad latitudinem, longitudinem et altitudinem (xl. 3, 5, 6, 8, 11, 13, 17, seq.);

et postea,

> Mensus est templum, superliminare ostii, parietem domus, et ipsam domum, quoad latitudinem et longitudinem (xli. 1–5, 13, 14, 22);

dein,

> Atrium interius, et quae illius atrii erant ([cap.] xlii.);

demum,

> Mensus est altare et quae altaris erant (xliii. 13, seq.):

mensurae etiam designatae sunt in numeris, quot nempe "calami," quot "ulnae," et quot "palmi;" ex quibus constare potest quod per "metiri" illa non intelligatur metiri, sed designare quale rei, quae per singula mensurata designatur; nempe quae per "aedificium," "portam," "porticum," "templum," "superliminare," "parietem," "atrium" et "altare:" per "aedificium," "domum" et "templum" significatur ecclesia: per "januam" et "portam" verum introducens; per "porticum" et "atrium" significantur omnia quae extra ecclesiam sunt, sed usque quae spectant illam, quae sunt omnia quae apud hominem ecclesiae in naturali ejus homine sunt; nam ipsa ecclesia apud hominem est in interno seu spirituali homine seu mente, ita interius apud illum; at quae in externo seu naturali homine seu mente sunt, ita quae exterius resident, omnia correspondent illis quae ipsius ecclesiae sunt, quae, ut dictum est, in interno seu spirituali homine seu mente sunt; haec exteriora sunt quae per "porticum" extra domum et per "atrium" significantur. Qualia illa futura sunt, designata ibi sunt per mensuras et per numeros;

nam in illis capitibus agitur de ecclesia Domini futura, quae ecclesia interna vocatur, et haec ita describitur. Quisque videre potest quod tales mensurationes nullius rei forent si non unaquaevis mensuratio aliquid significaret; quid autem significat, constare potest ex significatione mensurati, et quale ejus ex significatione mensurae in numero. Sunt modo tria quae mensurantur, nempe latitudo, longitudo, et altitudo; et per "latitudinem" significatur ecclesiae verum, per "longitudinem" ecclesiae bonum, et per "altitudinem" utrumque quoad gradus; gradus veri et boni sunt quale est verum et bonum interius seu superius, et quale exterius seu inferius. Quod haec per tres illas dimensiones significentur, est quia caelum dicitur "latum" a meridie in septentrionem, et dicitur "longum" ab oriente in occidentem, et dicitur "altum" a tertio caelo quod in supremis est ad primum caelum quod in infimis: et quia illi qui in caelo habitant a meridie in septentrionem in veris doctrinae sunt, ideo per "latitudinem" significatur verum caeli seu ecclesiae; et quia in caelo habitant ab oriente in occidentem illi qui in bonis amoris sunt, ideo per "longitudinem" significatur bonum caeli seu ecclesiae; et quia in supremis habitant qui in tertio caelo sunt, qui sapientissimi, et in infimis qui in primo caelo, qui respective simplices, ideo per "altitudinem" significatur sapientia et intelligentia quoad gradus: haec itaque sunt quae in genere per mensurationes designantur. Apud eundem,

> "Fili hominis, ostende domui Israelis domum, ut pudefiant ob iniquitates suas, et metiantur formam, quum pudefacti fuerunt ob omnia quae fecerunt; formam domus et dispositionem ejus, et exitus ejus, et introitus ejus, et omnes formas ejus; omnia item statuta ejus et dispositiones ejus omnes, et omnes leges ejus edoce eos, et scribe in oculis eorum; ut custodiant omnem formam ejus, et omnia statuta ejus, et faciant ea" (xliii. 10, 11):

quod per "metiri templum" seu "domum" significetur pervestigare et explorare qualis est ecclesia quoad verum et quoad bonum, constare potest ex eo, quod dicatur "ut metiantur formam domus, exitus ejus et introitus," tum "ut custodiant omnem formam ejus;" per quae non potest intelligi forma templi modo quoad formam, sed quoad illa quae per "templum" significantur; nam additur, "ut pudefiant ob iniquitates suas quas fecerunt," per quae significatur pudor quod recesserint a legibus et a statutis

ecclesiae; quare etiam dicitur, "ut edoceat illos omnia statuta ejus, omnes [1]descriptiones et omnes leges ejus;" inde patet quod per "templum" significetur ecclesia cum ejus veris et bonis, nam haec sunt quae custodienda, et significantur per "ut custodiant omnem formam domus" seu "templi." Per "templum" in Verbo significatur ecclesia quoad Verum, ac per "domum Dei" ecclesia quoad bonum: nam templum erat ex lapidibus; domus Dei autem antiquis temporibus fuerat ex lignis; ac "lapides" significant vera, et "ligna" bona. Apud *Sachariam*,

> "Sustuli oculos meos et vidi, et ecce vir, cujus in manu funiculus mensurae; et dixi, Quo tu pergis? qui dixit ad me, Ad metiendum Hierosolymam, ut videam quanta latitudo ejus et quanta longitudo ejus:....et dixit, Suburbia habitabit Hierosolyma, prae multitudine hominum et bestiarum in medio ejus" (ii. 5, 6, 8 [*B. A.* 1, 2, 4]):

haec de adventu Domini dicta sunt, et de instauratione novae ecclesiae ab Ipso, ut constare potest a versibus 14 et 15 [*B. A.* 10, 11] illius capitis: "Hierosolyma" significat novam illam ecclesiam; et "metiri" illam significat explorare et inde scire qualis et quanta erit: "latitudo" significat verum doctrinae ejus, et "longitudo" bonum amoris ejus (ut mox supra); quare dicitur, "Ad metiendum Hierosolymam, ut videam quanta latitudo ejus et quanta longitudo ejus:" quod ecclesia ibi per "Hierosolymam," et non urbs Hierosolyma, intelligatur, patet; nam circa adventum Domini non fuit Hierosolyma tanta et talis, quanta et qualis ibi describitur, nempe, quod "suburbia habitabit Hierosolyma, prae multitudine hominum et bestiarum in medio ejus," per quae intelligitur multitudo gentium accessura ad ecclesiam; per "Hierosolymam, in medio ejus" significatur ecclesia ex illis qui interius recepturi Divinum a Domino procedens, et per "suburbia" ecclesia ex illis qui exterius recepturi sunt. Ecclesia enim Domini est interna et est externa; in ecclesia interna sunt illi qui in intelligentia et sapientia sunt, et inde sunt in caelis superioribus; in ecclesia autem externa sunt illi qui in scientiis et in cognitionibus veri et boni ex Verbo sunt, et non in aliqua intelligentia et sapientia interiore, et inde in inferioribus caelis sunt; hi vocantur spirituales naturales, illi autem spirituales: spirituales intelliguntur per eos qui "in medio Hie-

rosolymae" sunt, et spirituales naturales qui "in suburbiis:" per "homines et bestias" intelliguntur qui in intelligentia et inde in bono vitae sunt; per "homines" qui in intelligentia, et per "bestias" qui in affectione boni naturali et inde in bono vitae.

[*b.*] Similia significantur per haec in *Apocalypsi*,

> Angelus "qui mecum loquebatur, calamum habebat aureum, ut metiretur civitatem" Novae Hierosolymae, "portas ejus et murum ejus;....et mensus est murum.., centum quadraginta quatuor cubitorum, quae est mensura hominis, hoc est, angeli" (xxi. 15, 17):

per "Novam Hierosolymam" etiam hic intelligitur nova ecclesia, et per "civitatem" doctrina ejus; per "murum" ejus significatur Divinum Verum tutans; per numerum "centum quadraginta quatuor" significantur omnia vera et bona in complexu; hic numerus dicitur esse "mensura hominis quae est angeli," quod non dici posset nisi per "mensuram" significaretur quale. (Sed de his ad ipsum locum in sequentibus.) Apud *Ezechielem*,

> "Cum exiret vir ille versus ortum, in cujus manu linea, mensus est mille per ulnam; dein transire fecit me per aquas; aquae talorum: mensus mox est mille, et transire fecit me per aquas; aquae genuum: et mensus est mille, et transire fecit me per aquas; aquae lumborum: mensus rursus est mille; fluvius quem non potui transire, quia altae erant aquae, aquae natationis, fluvius qui non transibatur. ....Et ecce super ripa fluvii arbor multa hinc illinc; ....et omnis anima vivens quae reptat, et quocunque veniret fluvius, vivet; unde fit piscis multus" (xlvii. 3-5, [7,] 9):

per haec describitur quomodo intelligentia, quae est illis qui ab ecclesia, crescit per receptionem Divini Veri procedentis a Domino: Divinum Verum procedens a Domino significatur per "aquas exeuntes desub limine domus versus orientem, et descendentes a latere domus dextro a meridie altaris," ut dicitur in versu primo illius capitis; per "orientem" significatur amor in Dominum, quoniam oriens in caelo est ubi Dominus apparet ut Sol; et "latus dextrum" inde est ubi Divinum Verum in maxima luce recipitur, et id latus vocatur meridies; quare etiam dicitur "a meridie altaris:" quomodo intelligentia crescit per receptionem Divini Veri procedentis a Domino, describitur per "aquas" quas transivit, quae primum pertingebant "ad talos," postea "ad genua," tum "ad lumbos," et tandem erant "tam altae ut transiri non possent;" per "aquas

ad talos" significatur intelligentia qualis est sensuali et naturali homini, nam "tali" significant sensuale et naturale; per "aquas ad genua" significatur intelligentia qualis est spirituali naturali homini, nam "genua" significant spirituale naturale; per "aquas ad lumbos" significatur intelligentia qualis est spirituali homini, nam "lumbi" significant conjugium veri et boni, quod est spirituale; per "aquas quae non transiri possent" significatur intelligentia caelestis, quae vocatur sapientia, qualis est caelesti homini, seu angelo tertii caeli; quae quia est ineffabilis, dicitur quod esset "fluvius qui transiri nequiret;" et quoque illae aquae dicuntur "aquae natationis," ex eo quod sit longe supra naturalem hominem: "fluvius" qui ex aquis illis significat intelligentiam et sapientiam; cognitiones veri et boni, tum perceptiones, significantur per quod "in ripa fluvii arbor multa hinc illinc" ("arbor" significat cognitiones et perceptiones); vita inde omnibus quae in naturali homine, tam cognitionibus quam scientiis, significatur per quod "omnis anima vivens quae reptat vivet," tum per quod "erit piscis multus;" "anima reptans" et "piscis" significat illa quae in naturali homine sunt, quae vocantur cognitiones ex Verbo, et quoque scientiae naturales per quas spiritualia confirmantur, et "vivere" significat influxum Domini per spiritualem hominem et ejus intelligentiam in illas cognitiones et scientias. (Quod "aquae" significent vera doctrinae ex Verbo, per quae intelligentia, videatur supra, n. 71, 483, 518.) Apud *Habakuk*,

> "Stetit et mensus est terram, vidit et dissipavit gentes, quia dispersi sunt montes aeternitatis, submiserunt se colles saeculi, incessus saeculi illi" (iii. 6):

haec de visitatione et de ultimo judicio a Domino quando in mundum venturus est: per "Stetit et mensus est terram" significatur exploratio tunc qualis ecclesia; "metiri" significat explorare, et "[1]terra" ecclesiam: per "Vidit et dissipavit gentes" significatur dejectio omnium in infernum qui in malis et inde falsis sunt; "dissipare" significat dejicere in infernum, et "gentes" significant illos qui in malis et inde falsis sunt: per "Dispersi sunt montes aeternitatis" significatur quod perierit ecclesia caelestis qualis fuerat apud antiquissimos, qui in amore in Dominum fuerunt; "montes aeternitatis" significant illam ecclesiam et

illum amorem: per "Submiserunt se colles saeculi" significatur quod perierit ecclesia spiritualis, qualis fuerat apud antiquos post diluvium, qui in amore erga proximum fuerunt; "colles saeculi" significant illam ecclesiam et illum amorem: per "incessus saeculi illi" significatur secundum statum ecclesiae qui tunc erat, qui perversus. Apud *Esaiam*,

> "Ecce Dominus Jehovih in forti venit, et brachium Ipsius dominabitur Ipsi:....quis mensus est pugillo suo aquas, et caelos spithama exaequavit, et complexus est in trientali pulverem terrae, ac appendit in lance montes, collesque in libra?" (xl. 10, 12:)

haec quoque de Domino, deque Divino Vero ex quo caelum et ecclesia, et ex quo sapientia: adventus Domini et tunc ordinatio omnium in caelis ab Ipso ex propria potentia, significatur per "Ecce Dominus Jehovih [in] forti venit, et brachium Ipsius dominabitur Ipsi;" "brachium Ipsius" quod dominabitur, significat propriam potentiam: ordinatio omnium in caelis ex propria potentia per Divinum Verum, significatur per "Quis mensus est pugillo suo aquas, et caelos spithama exaequavit, et complexus est in trientali pulverem terrae, et appendit lance montes, et colles in libra?" Per "metiri aquas" significatur designare Divina vera, per "caelos spithama exaequare" significatur inde ordinare caelos, per "complecti trientali pulverem terrae" significatur ordinare inferiora; per "pugillum," "spithamam" et "triental" significatur simile quod per "mensuras," tum quod per "manum," nempe quale rei, et propria potentia: per "appendere in lance montes, et colles in libra" significatur subordinare et aequilibrare omnia; per "lancem" et "libram" significatur justa aequilibratio, ac per "montes" et "colles" significantur caeli superiores (per "montes" illi caeli qui in amore in Dominum sunt, et per "colles" qui in charitate erga proximum, ut supra). Apud *Hiobum*,

> "Ubi fuisti cum fundarem terram? indica si nosti intelligentiam; quis posuit mensuras ejus? si scis; et quis extendit super eam lineam? super quid bases ejus demersae sunt? quis jecit lapidem anguli ejus?" (xxxviii. 4–6:)

per "terram" hic intelligitur ecclesia; per "fundare illam," et "ponere mensuras ejus," significatur instaurare illam et designare quale ejus ("mensura" est quale rei); per

"extendere super eam lineam" significatur continere illam in suo quali; per "Super quid bases ejus demersae sunt, et quis jecit lapidem anguli ejus?" significatur fundatio ejus super illis quae in naturali homine; "lapis anguli" est verum naturalis hominis, quod vocatur verum scientificum, super quo fundatur verum spiritualis hominis seu verum spirituale. Apud *Jeremiam*,

"Si recesserint statuta haec a coram Me,...etiam semen Israelis cessabunt, ut non sint gens coram Me omnibus diebus:....si mensurabuntur caeli sursum, et pervestigabuntur fundamenta..deorsum, Ego etiam reprobabo omne semen Israelis propter omne quod fecerunt" (xxxi. 36, 37):

per "statuta" ibi significantur omnia ecclesiae quae filiis Israelis mandata sunt, ita omnia cultus; quae si non custodituri, quod nulla ecclesia apud illos futura esset, significatur per "Si recesserint statuta a coram Me, et semen Israelis cessabunt, ut non sint gens coram Me omnibus diebus;" per "Israelem" significatur ecclesia, et per "semen ejus" verum ecclesiae: et tametsi novum caelum et nova ecclesia exstitura sint, quod usque nihil caeli et ecclesiae futurum sit apud illam gentem, significatur per "Si mensurabuntur caeli sursum, et pervestigabuntur fundamenta deorsum, Ego etiam reprobabo omne semen Israelis propter omne quod fecerunt."

[*c*.] Quod per "metiri" et "mensurare" significetur designare et determinare quale rei, tum etiam explorare illud, est quia per "mensuram" significatur quale rei seu qualitas. Quod per "mensuram" id significetur, constare potest ex sequentibus locis:—In *Apocalypsi*,

Angelus "mensus est murum civitatis" novae Hierosolymae "centum quadraginta quatuor cubitorum, quae est mensura hominis, hoc est, angeli" (xxi. 17):

quod hic per "mensuram" significetur quale rei quae intelligitur per "murum civitatis Hierosolymae," manifeste patet; nam quid alioqui intelligeretur per quod "mensura muri centum quadraginta quatuor cubitorum esset mensura hominis, hoc est, angeli"? Apud *Matthaeum*,

"Ne judicate ut non [1]condemnemini; nam quo judicio judicatis judicabimini, et qua mensura mensuratis mensurabitur vobis" (vii. 1, 2);

apud *Lucam*,

"Non judicate ut non judicemini, non condemnate ut non condemne-

mini, remittite et remittetur vobis, date et dabitur vobis; mensuram bonam, pressam, agitatam et superfluentem dabunt in sinum vestrum; qua enim mensura metimini, remetientur vobis" (vi. 37, 38);

(haec explicata videantur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 349:) et apud *Marcum*,

"Qua mensura mensuratis ea remensurabitur vobis, et superaddetur vobis audientibus; quisquis habet, dabitur illi, sed quisquis non habet, etiam quod habet auferetur ab illo" (iv. 24, 25):

ita describitur charitas erga proximum, seu affectio spiritualis veri et boni; nempe, quantum et qualiter aliquis in illa charitate seu in illa affectione est in mundo, tantum in illam venit post mortem: quod non cogitandum sit male de bono et de vero, intelligitur per "Ne judicate ut non judicemini, et ne condemnate ut non condemnemini;" male cogitare de malo et de falso cuivis licet, sed non de bono et vero, nam haec in spirituali sensu sunt proximus: quia est charitas erga proximum quae intelligitur, ideo etiam dicitur, "Remittite et remittetur vobis, date et dabitur vobis:" quod affectio spiritualis quae vocatur charitas permansura sit post mortem secundum quantum et quale ejus, intelligitur per "Qua mensura mensuratis remensurabitur vobis;" et quod id quantum et quale implebitur in aeternum, intelligitur per quod "mensura superaddetur vobis audientibus," et quod "in sinum dabitur mensura bona, pressa, agitata et superfluens;" "mensura" ibi est quantum et quale affectionis seu charitatis quod in aeternum intra seu secundum gradum ejus in mundo augebitur (videatur in loco supra citato in opere *De Caelo et Inferno*, n. 349): quod hoc fiet illis qui charitatem exercent, intelligitur per quod "superaddetur vobis audientibus;" "audientes" significant obedientes et facientes. Quod "amare proximum" sit amare verum et bonum, tum sincerum et justum, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae* (n. 84-106). Quod non alia cogitatio nec aliud judicium intelligatur quam de spirituali vita alterius, constare potest ex eo, quod cuivis licitum sit cogitare de alterius vita morali et civili, et quoque de ea judicare; absque tali judicio et cogitatione de aliis nullatenus potest aliqua societas civilis subsistere; quare per "non judicare et condemnare" significatur non cogitare male de proximo spiritualiter intellecto, nempe de fide et amore ejus, quae sunt vitae spiritualis hominis;

nam illa in ejus interioribus abscondita latent, et inde non alicui nota sunt quam soli Domino. Apud *Johannem*,

"Quem Pater misit, verba Dei loquitur, non enim ex mensura dedit Ipsi Deus spiritum" (iii. [1]34):

per "spiritum," quem Deus dat, significatur Divinum Verum, et inde intelligentia et sapientia: per "non ex mensura" significatur supra omne quantum et quale hominum, consequenter infinitum; nam infinitum quod erat Domino non habet quantum et quale, nam quantum et quale sunt proprietates finiti, quantum enim et quale determinant finitum et terminant illud; at quod est absque terminatione est infinitum: ex quo sequitur quod "mensura" etiam hic significet quale, nam "non ex mensura" significat absque praedicatione qualis seu qualitatis. Apud *Davidem*,

"Notum fac mihi, Jehovah, finem meum; et mensura dierum meorum quae illa; agnoscam quam brevi cessans ego: ecce palmos dedisti dies meos, et tempus meum sicut nihil coram Te" (Ps. xxxix. 5, 6 [*B. A.* 4, 5]):

apparet sicut per illa verba intelligantur solum tempora vitae, quorum finem vult scire, et quod illa cito pertranseant; sed in sensu spirituali non intelliguntur tempora, verum pro illis status vitae; quare per "Notum fac mihi, Jehovah, finem meum; mensura dierum meorum, quae illa," significatur ut sciat statum vitae suae et ejus quale, ita qualis ei vita permansura sit: per "Ecce palmos dedisti dies meos" significatur quod quale status vitae ejus sit perparvi momenti; et per "Tempus meum sicut nihil coram Te" significatur quod status vitae ejus nihil valeat; "tempus" enim et "dies" significant status vitae quoad verum et quoad bonum, et inde quoad intelligentiam et sapientiam; proinde quod illa et haec, quatenus ex ipso, nihil pretii sint. Quod hic sensus illis verbis insit, non potest, ab illis qui solum naturaliter cogitant, videri, quia cogitatio naturalis non potest separari ab idea temporis; at cogitatio spiritualis, qualis est angelica, nihil commune habet cum tempore, nec cum spatio, nec cum persona. Quoniam "mensurae" significant quale rei, patet quid significatur

Per "domum mensurarum" (*Jerem.* [2]xxii. 14),
Per "portionem mensurarum" (*Jerem.* xiii. 25),
Tum per "viros mensurarum" (*Esai.* xlv. 14):

per "mensuras" ibi significatur quale in omni complexu. Apud *Mosen*,

> "Non facietis perversitatem in judicio, in mensura, in pondere, et in dimensione; librae justitiae, lapides justitiae, epha justitiae, et hin justitiae erit vobis" (*Levit.* xix. 35, 36);

apud eundem,

> "Non erunt..in loculo tuo diversi lapides, magnus et parvus; non erunt ..in domo tua diversae ephae, magna et parva; lapis perfectus et justitiae erit tibi, epha perfecta et justitiae erit tibi" (*Deutr.* xxv. 13–15);

et apud *Ezechielem*,

> "Lances justitiae, et ephah justitiae, et bath justitiae erit vobis" (xlv. 10):

quod per has "mensuras" et per haec "pondera" significetur aestimatio rei secundum quale veri et boni, videatur supra (n. 373).

630[*a*]. [*Vers.* 2.] ***"Et atrium, quod extra templum, rejice foras, et ne illud metiaris."***—Quod significet *quod externum Verbi, et inde ecclesiae et cultus, non explorandum sit*, constat ex significatione "atrii," quod sit externum Verbi, et inde ecclesiae et cultus: quod "atrium" haec significet, est quia "templum" significat caelum et ecclesiam quoad Divinum Verum, prout in superiori articulo dictum est; inde "atrium," quod "extra templum" seu ante facies templi, significat primum seu ultimum caelum. Nam "templum" in se spectatum significat caelos superiores; nempe, "adytum," ubi arca foederis, significabat intimum seu tertium caelum, "templum extra adytum" significabat caelum medium seu secundum, inde "atrium" significabat caelum ultimum seu primum; et quod significat caelum, hoc quoque significat ecclesiam, nam ecclesia est caelum Domini in terris; et quod significat ecclesiam, hoc quoque significat Verbum, et quoque cultum, nam Verbum est Divinum Verum ex quo caelum et ecclesia, et cultus est secundum Divinum Verum quod est Verbum: inde est quod "atrium" significet externum seu ultimum caeli et ecclesiae, et quoque externum seu ultimum Verbi et cultus. Verbum et cultus sunt prorsus sicut est caelum et ecclesia; nam in Verbo sunt tres distincti sensus sicut sunt tres caeli: sensus intimus, qui vocatur sensus caelestis, est pro caelo intimo seu tertio; sensus medius, qui vocatur sensus spiri-

tualis, est pro caelo medio seu secundo; et sensus ultimus, qui vocatur sensus caelestis et spiritualis naturalis, est pro caelo ultimo seu primo: hi tres sensus, praeter naturalem qui pro mundo, [1]sunt in Verbo et in singulis ejus; et quia tres caeli Verbum habent, et quodlibet caelum in suo sensu Verbi est, et inde est eorum caelum et quoque cultus, inde sequitur quod id quod significat caelum etiam significet Verbum et cultum: ex eo nunc est quod "atrium" significet externum Verbi, et inde externum ecclesiae et cultus. Praeterea sciendum est quod templo duo atria fuerint, unum extra templum, et alterum intra templum; et per "atrium extra templum" significatur ipse introitus in caelum et in ecclesiam, in quo sunt illi qui in caelum introducuntur; et per "atrium intra templum" repraesentabatur caelum ultimum: simile est cum ecclesia, ut et cum Verbo et cum cultu; nam per "atrium extra templum" significatur externum Verbi, hoc est, Verbum quale est in sensu naturali, qui pro mundo, per quem sensum introducitur homo in sensum ejus spiritualem in quo sunt angeli caeli. Quid autem proprie per utrumque "atrium," interius et exterius, significatur, dicetur in sequentibus: et cur hic dicitur quod "atrium extra templum rejiciendum foras sit, et non metiendum," dicetur in articulo sequenti, ubi explicatur quid significatur per quod "id datum sit gentibus."

[**b.**] Ex his nunc aliquantum videri potest quid per "atrium" et per "atria" in Verbo significatur in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Facies atrium Habitaculi ad angulum meridiei versus austrum, tapetes pro atrio,"....columnas viginti, bases viginti, uncos columnarum et fascias ex argento, portam atrii cum velo, longitudo ejus centum cubitorum a meridie in septentrionem, et latitudo ejus quinquaginta ab oriente in occidentem (*Exod.* xxvii. 9–18):

hoc atrium erat atrium Tentorii conventus, per quod similiter repraesentabatur et significabatur caelum ultimum seu primum: nam per Tentorium conventus repraesentabatur caelum; per intimum ejus, ubi arca supra qua propitiatorium, repraesentabatur caelum intimum seu tertium; perque Legem in arca Ipse Dominus quoad Divinum Verum seu Verbum; et per Tentorium extra velum, ubi mensa pro panibus, altare suffitus, et candelabrum, repraesentabatur caelum medium seu secundum; ac per atrium

repraesentabatur caelum ultimum seu primum. (Quod tres caeli per Tentorium illud repraesentati fuerint, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3478, 9457, 9481, 9485; quid autem in specie per atrium, et per omnia ejus, n. 9741–9775.) Quia atrium repraesentabat caelum ultimum, et inde quoque externum ecclesiae, Verbi, et cultus, ideo

> Residua ex minchis et ex sacrificiis peccati ab Aharone et filiis ejus in atrio comedebantur (*Levit.* [1]vi. 9, 19 [*B. A.* 16, 26]):

per "comedere in atrio" illa sanctificata significabatur appropriare sibi bona ecclesiae quae significabantur per "minchas" et per "sacrificia" illa; et appropriatio sanctorum omnis fit per ultima, nam nisi per ultima non appropriari interiora sancta possunt. De atriis autem Templi ita memoratur in *Libro Primo Regum*,

> Salomo fecit "atrium ante facies Templi domus;....et deinde aedificavit atrium interius, tres ordines caesorum lapidum, ac ordo caesae cedri" (vi. 3, 36):

per Templum similiter repraesentabatur caelum et ecclesia; per adytum, ubi arca, repraesentabatur caelum intimum seu tertium, tum ecclesia apud illos qui in intimis sunt, quae ecclesia vocatur ecclesia caelestis; per templum extra illud repraesentabatur caelum medium seu secundum, tum ecclesia apud illos qui in medio sunt, quae ecclesia vocatur ecclesia interna spiritualis; per atrium interius repraesentabatur caelum ultimum seu primum, tum ecclesia apud illos qui in ultimis sunt, quae ecclesia vocatur ecclesia interna naturalis; per atrium exterius autem repraesentabatur introitus in caelum: et quia per "Templum" in supremo sensu significatur Dominus quoad Divinum Humanum, tum quoad Divinum Verum, inde etiam per "templum" significatur Divinum Verum procedens a Domino, proinde Verbum, nam hoc est Divinum Verum in ecclesia. Quod Divinum Humanum Domini per "Templum" significetur, constat ex Domini verbis, ubi dicit,

> "Solvite Templum hoc, in tribus autem diebus exsuscitabo illud; et Ipse loquebatur de Templo corporis sui" (*Joh.* ii. 18–23).

Quod per "templum" significetur ecclesia, constat ex his Domini verbis,

> Quod "non reliquetur lapis super lapide" de templo "qui non dissolvetur" (*Matth.* xxiv. 1, 2; *Luc.* xxi. 5–7):

per quae verba intelligitur quod omne Divinum Verum,

proinde omne ecclesiae, periturum sit; agitur enim ibi de fine ecclesiae qui vocatur consummatio saeculi. Quod bina atria, interius et exterius, aedificata fuerint, ac ibi cubicula, porticus seu ambulacra, ac plura, constare potest a descriptione eorum apud *Ezechielem*,

> Angelus "deduxit me ad atrium exterius, ubi ecce cubicula et pavimentum factum atrio circum circa, triginta cubicula super pavimento;" quae mensus quoad longitudinem et latitudinem, et quoque mensus est thalamos, porticus, portam, singula quoad longitudinem et latitudinem (xl. 17–22, 31, 34, seq.; cap. xlii. 1–14);

et de atrio interiori, apud eundem,

> Mensus atrium interius, ejus portas versus septentrionem, orientem et meridiem, porticus, gradus cum ascensibus, thalamos, cubicula cantorum, superliminaria (xl. 23–31, 44, seq.);

et apud *Jeremiam*,

> "In cubiculo [1]Gemariae...scribae, in atrio superiori ad ostium portae domus novae" (xxxvi. 10).

Apud Prophetam *Ezechielem*, a cap. xl. ad xlviii., agitur de "nova urbe," de "novo templo," et de "nova terra," per quae significatur nova ecclesia quae a Domino instauranda erat; et per "cubicula," "thalamos," "porticus," et reliqua, significantur talia quae ecclesiae, ejus doctrinae et cultus sunt; et per "dimensiones" eorum significatur quale eorum (ut in superiori articulo dictum et ostensum est): quid autem per singula significatur, non hujus loci est exponere; solum quod "atria" significent externa caeli et ecclesiae, et inde externa Verbi et cultus. Quod externa illorum significentur per "atria," constare potest ex eo solo, quod "templum" in genere significet caelum et ecclesiam; quare tres divisiones templi, nempe "atria," ipsum "templum," et "adytum," significant tres caelos secundum gradus eorum. (Quales tres Caeli quoad Gradus eorum sunt, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 29–40.)

[*c*.] Quod caelum et ecclesia per "templum" et "atria" significetur, plenius constare potest ex his apud *Ezechielem*,

> "Sustulit me spiritus, et introduxit me in atrium" templi "interius, cum ecce implevit gloria Jehovae domum; et audivi loquentem ad me e domo,"....dicentem, "Fili hominis, locus throni mei, et locus volarum pedum meorum, ubi habitabo in medio filiorum Israelis in aeternum" (xliii. 4–7):

quod per "atria" haec significetur caelum ultimum seu

ecclesiae externum, constare potest ex eo, quod dicatur quod "introductus sit in atrium, et inde viderit domum impletam gloria Jehovae;" per "gloriam Jehovae" significatur Divinum Verum, quod facit caelum et ecclesiam: et dein quod domus illa esset "locus throni Jehovae, et locus volarum pedum Ipsius, ubi habitabit in medio filiorum Israelis in aeternum;" quod per "thronum Jehovae" intelligatur caelum, videatur supra (n. 253, 297, 343, 460, 462, 477, 482); et quod per "locum volarum pedum Jehovae" intelligatur ecclesia, etiam supra (n. 606); per "filios Israelis" intelliguntur omnes qui ab ecclesia Domini; proinde "habitare apud illos in aeternum" significat praesentiam Domini perpetuam apud illos. Apud eundem,

> "Sustulit se gloria Jehovae desuper cherubo super limen domus, et impleta est domus nube,"...."et nubes implebat atrium interius,"...."et atrium plenum erat splendore gloriae Jehovae; et vox alarum cheruborum audita est usque ad atrium exterius" (x. 4, 3, 5):

per "cherubos" visos Prophetae repraesentatus est Dominus quoad providentiam et tutelam ut non adeatur nisi quam per bonum amoris; consequenter per "cherubos" significati sunt caeli superiores, in specie caelum intimum, nam ibi est tutela (videatur supra, n. 277, 313, 322, 362, 370, 462); quare per "domum," quae impleta est nube, significatur caelum et ecclesia; per "atrium interius," quod nubes etiam implebat, significatur caelum ultimum; et per "atrium exterius," quousque vox alarum cheruborum audita est, significatur introitus in caelum, qui in specie est in mundo naturali, et postea in mundo spirituum; nam per ecclesiam in mundo, et dein per mundum spirituum, intrat homo in caelum; (quid mundus spirituum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 421–431, seq.;) per "nubem" autem et per "splendorem gloriae Jehovae" significatur Divinum Verum procedens a Domino. Ex his nunc constare potest quid per "atria" significatur in sequentibus locis:—Apud *Davidem*,

> "Beatus quem eligis, et appropinquare facis, inhabitabit atria tua; saturabimur bono domus tuae, sancto templi tui" (Ps. lxv. 5 [*B. A.* 4]):

per haec significatur quod qui in charitate seu in affectione spirituali sunt, victuri sint in caelo, ac ibi in intelligentia et sapientia ex Divino Vero et Divino Bono: per "elec-

tum," seu per "quem eligis," significantur illi qui in amore erga proximum seu in charitate sunt: per "appropinquare facis" significatur affectio seu amor spiritualis; nam quantum homo in illo amore seu in illa affectione est, tantum est apud Dominum; quisque enim appropinquat secundum illum amorem: per "inhabitare atria" significatur vivere in caelo; per "inhabitare" vivere, et per "atria" caelum: per "saturari bono domus" significatur ex Divino Bono esse in sapientia; ac per "saturari sancto templi" significatur ex Divino Vero esse in intelligentia, et ex utroque frui gaudio caelesti; "domus Dei" significat caelum et ecclesiam quoad Divinum Bonum, ac "templum" caelum et ecclesiam quoad Divinum Verum; "sanctum" praedicatur de bono spirituali, quod est verum. Apud eundem,

"Bonus dies in atriis tuis prae millibus; elegi ad januam stare in domo Dei mei" (Ps. lxxxiv. 11 [*B. A.* 10]):

per "atria" ibi significatur caelum primum seu ultimum, per quod fit introitus in caelos superiores; quare additur, "Elegi ad januam stare in domo Dei mei." Apud eundem,

"Date Jehovae gloriam nominis Ipsius, ferte munus, et venite in atria Ipsius" (Ps. xcvi. 8);

apud eundem,

"Laudate nomen Jehovae, laudate servi Jehovae, qui stantes in domo Jehovae, in atriis domus Dei nostri" (Ps. cxxxv. 1, 2);

apud eundem,

"Quam amabilia habitacula tua, Jehovah Zebaoth; desideravit, immo consumpta est, anima mea erga atria Jehovae" (Ps. lxxxiv. 2, 3 [*B. A.* 1, 2]);

apud eundem,

"Intrate portas Ipsius in confessione, atria Ipsius in laude, confitemini Ipsi, benedicite nomini Ipsius" (Ps. c. 4);

apud eundem,

"Vota mea Jehovae solvam, coram . . omni populo Ipsius; in atriis domus Jehovae, in medio tui, Hierosolyma" (Ps. [1]cxvi. 14, 18, 19);

apud eundem,

"Justus sicut palma florebit, sicut cedrus in Libano crescet; plantati in domo Jehovae, in atriis Dei nostri germinabunt" (Ps. xcii. 13, 14 [*B. A.* 12, 13]):

quod per "atria" in illis locis intelligatur caelum, in specie caelum ultimum et ecclesia, constare potest absque expli-

catione. Similiter in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Colligent" frumentum et mustum, "comedent et laudabunt Jehovam; et qui congregaturi illud bibent in atriis sanctitatis meae" (lxii. 9):

per "Colligent frumentum et mustum" significatur instructio in bonis et veris doctrinae et ecclesiae; per "Comedent et laudabunt Jehovam" significatur appropriatio et cultus Domini; per "Qui congregaturi illud bibent in atriis sanctitatis meae" significatur fruitio Divini Veri, et inde felicitatis in caelis. Apud *Joelem*,

> "Inter atrium et altare fleant sacerdotes, ministri Jehovae, et dicant, Parce, Jehovah, populo tuo" ([1]ii. 17):

per "flere inter atrium et altare" significatur lamentatio super vastatione Divini Veri et Divini Boni in ecclesia; per "atrium" enim simile significatur quod per "templum," nempe ecclesia quoad Divinum Verum, et per "altare" ecclesia quoad Divinum Bonum; inde per "inter atrium et altare" significatur conjugium veri et boni, quod facit caelum et ecclesiam; ac per "flere" significatur lamentatio super ejus vastatione. Per "atria" significantur ultima caeli, tum externa ecclesiae, Verbi et cultus, etiam alibi in Verbo (ut *Esai.* i. 12; *Sach.* iii. 7).

631. ***"Quia datum est gentibus."***—Quod significet *quoniam id perversum est per mala vitae et falsa doctrinae*, constat ex significatione "gentium," quod sint qui in malis quoad vitam, et inde in falsis quoad doctrinam, et in sensu abstracto mala vitae et falsa doctrinae. (Quod mala et falsa per "gentes" significentur, videatur supra, n. 175[*b*], 331[*b*], 625.) Quod externum Verbi, et inde ecclesiae et cultus, sit perversum per mala vitae et falsa doctrinae, est quia externum Verbi, quod vocatur sensus litterae ejus, est secundum apparentias in mundo, quia pro infantibus et simplicibus, qui non aliquid quod contra apparentias est percipiunt; quare hi per sensum litterae, ubi apparentiae veri sunt, introducuntur in vera interiora sicut aetate adolescunt, et sic apparentiae per gradus exuuntur, et loco illarum vera interiora implantantur. Haec res innumerabilibus exemplis potest illustrari: sicut quod oremus ne Deus inducat nos in tentationes; hoc ita dicitur quia apparet sicut Deus inducat, cum tamen neminem in tentationes inducit: similiter quod Deus irascatur, puniat, conjiciat in infernum,

malum faciat impiis, et plura similia; cum tamen Deus nusquam irascitur, punit et conjicit in infernum, et prorsus non alicui malum facit; sed impius ipse sibi per mala, nam ipsis malis insunt mala poenae: ita usque permultis in locis in Verbo dicitur, quia ita apparet. Sit quoque pro exemplo,

Quod nemo appellaturus sit patrem suum Patrem, nec magistrum Magistrum (*Matth.* xxiii. [1]8–10),

cum tamen vocandi sunt; sed ita dicitur quia per "Patrem" intelligitur Dominus, qui nos e novo creat et generat, et quia unice docet et instruit; quare cum homo in idea spirituali est, tunc cogitabit de Domino solo ut Patre et Magistro, aliter vero cum homo in idea naturali est: praeterea in mundo spirituali seu in caelo nemo novit alium patrem, doctorem seu magistrum quam Dominum, quia ab Ipso vita spiritualis: sic in reliquis. Ex his constare potest quod externum Verbi, et inde externum ecclesiae et cultus, consistat ex apparentibus veris; quare illi qui in malis quoad vitam sunt, applicant id ad favorem suorum amorum, et inde captorum principiorum; ideo dicitur quod "atrium," per quod etiam significatur externum Verbi, "datum sit gentibus," et postea "et civitatem sanctam conculcabunt." Hoc fit in fine ecclesiae, quando tantum mundani, naturales et corporei sunt, ut vera interiora, quae vocantur vera spiritualia, prorsus non videre possint; inde sequitur quod tunc plane pervertant externum Verbi, quod est sensus litterae ejus. Talis perversio sensus litterae Verbi etiam facta est apud Judaeos in fine ecclesiae apud illos, quod in sensu spirituali intelligitur per

Quod milites vestes Domini diviserint, non autem tunicam [(*Joh.* xix. 23, 24)];

per quod significatur quod illi qui ab ecclesia perverterint omnia Verbi quoad sensum litterae ejus, non autem Verbum quoad sensum spiritualem, quia eum non noverunt. (Quod id in sensu spirituali intelligatur per illa, videatur supra, n. 64.) Simile fit etiam hodie in ecclesia, quia finis ejus est; explicatur enim hodie Verbum non secundum vera spiritualia, sed secundum apparentias sensus litterae, quae non modo applicantur ad confirmandum mala vitae, sed etiam falsa doctri-

nae; et quia non sciuntur vera interiora quae sunt vera spiritualia, nec recipiuntur, sequitur quod sensus litterae Verbi per mala voluntatis et inde falsa cogitationis perversus sit; hoc itaque est quod intelligitur per quod "atrium datum sit gentibus."

632. ***"Et civitatem sanctam conculcabunt."***—Quod significet *quod destructuri omnem doctrinam boni et veri ex Verbo*, constat ex significatione "civitatis sanctae," quod sit doctrina veri et boni ex Verbo; per "civitatem sanctam" in sensu litterae intelligitur Hierosolyma, quae in Verbo passim vocatur civitas et urbs "sancta;" sed per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia, et per "civitatem" doctrina ecclesiae: (quod "civitas" seu "urbs" significet doctrinam, videatur supra (n. 223); inde "civitas sancta" significat doctrinam Divini Veri, nam Divinum Verum est quod in Verbo vocatur "sanctum" (n. 204):) et ex significatione "conculcare," quod sit prorsus destruere, in specie per sensualia et naturalia, proinde per fallacias quae vocantur fallaciae sensuum, ex quibus non evolutis merae falsitates existunt; quod per "conculcare" significentur illa, est quia conculcatio fit per plantas pedum, et per "plantas pedum" significantur sensualia externa hominis, et per "pedes" naturalia ejus; quod illa significatio "plantarum" et "pedum" sit ex correspondentia, videatur supra (n. 65, 606; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 96). Dicitur quod "gentes conculcabunt civitatem sanctam," quia sequitur post haec verba, "Atrium quod est extra templum, rejice foras, quia datum est gentibus;" et per "atrium" significatur externum Verbi, ecclesiae et cultus; et externum Verbi est quod a gentibus, hoc est, ab illis qui in malis et falsis sunt, pervertitur, proinde adulteratur et falsificatur. Nam, ut in praecedente articulo dictum est, externum Verbi, quod vocatur sensus litterae ejus, est pro infantibus et simplicibus, ac ideo secundum apparentias, ita pro illis qui sensuales et naturales sunt; infantes enim primum sensuales sunt, dein naturales, et cum adolescunt aetate fiunt spirituales; homo autem qui non fit spiritualis, sicut omnis qui male vivit, is non spiritualiter intelligit Verbum, sed mere naturaliter et sensualiter; et qui ita Verbum intelligit, is pervertit illud, et explicat secundum falsa suae religionis, et secundum mala suae vitae; inde est quod dicatur quod "conculcent"

illud. Etiam in mundo spirituali apparent illi, qui negant et contemnunt vera caeli et ecclesiae, illa plantis pedum conculcare; et hoc, ut mox dictum est, quia externum sensuale hominis correspondet plantis pedum, per quas fit conculcatio. Dicitur quod externum sensuale hominis hoc faciat, sed solum sensuale apud illos qui mere sensuales sunt, qui sunt qui negant vera caeli et ecclesiae, tum qui non credunt aliquid nisi quod oculis vident et manibus tangunt. Hi sunt de quibus dicitur "conculcare," et quoque in sequentibus locis:—Apud *Lucam*,

> "Cadent ore gladii, et captivabuntur inter omnes gentes, et tandem Hierosolyma erit conculcata a gentibus, usque dum implebuntur tempora gentium" (xxi. 24):

haec similia significant cum illis quae in *Apocalypsi* hic explicantur, nempe quod "atrium datum sit gentibus, et civitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus;" nam per quod "cadent ore gladii" significatur quod perituri per falsa; quod "captivabuntur inter omnes gentes" significat quod mala depraedatura bona et vera ecclesiae; quod "Hierosolyma erit conculcata" significat quod ecclesia quoad doctrinam destruetur, "Hierosolyma" enim significat ecclesiam quoad doctrinam; quod "conculcata erit a gentibus" significat totalem destructionem ejus a malis vitae et a falsis doctrinae; "usque dum implebuntur tempora gentium" significat dum malum consummatum est (de quo supra, n. 624[a]): haec consummatio etiam significatur per "menses quadraginta duos:" illa quoque a Domino de tempore proxime ante ultimum judicium dicta sunt, sicut haec in *Apocalypsi*. Apud *Ezechielem*,

> "Num parum vobis? pascuum bonum depascitis, et reliquum pascuorum vestrorum conculcatis pedibus vestris; sedimentum aquarum bibitis, reliquas pedibus vestris turbatis: et sic grex meus conculcatum pedum vestrorum pascunt, et turbatum pedum vestrorum bibunt" (xxxiv. 18, 19):

per "pascuum bonum" significatur omne quod spiritualiter nutrit, imprimis Verbum, et inde cognitiones veri et boni: "depascere illud, et reliquum pedibus conculcare," significat deperdere ut non appareat, et destruere ut non sit, quod fit per ratiocinationes ex sensuali corporeo, et ex naturali homine separato a spirituali; hoc itaque est "con-

culcare pedibus:" per "sedimentum aquarum" significantur vera conspurcata falsis, "aquae" enim sunt vera; "illud bibere" significat discere et recipere; "pedibus turbare reliquas aquas" significat vera non conspurcata falsis usque per ratiocinia ex naturali homine confundere ("pedes" significant naturalia apud hominem): inde constare potest quid significatur per quod "grex meus conculcatum pedum et turbatum pedum bibant." Apud *Danielem*,

> Hircus "projecit" arietem "in terram, et conculcavit eum, nec erat eripiens arietem e manu ejus:....postea cornu unum de exiguo... crevit usque ad exercitum caelorum, et dejecit in terram de exercitu, et de stellis, et conculcavit ea" (viii. 7, [9,] 10):

per "hircum" ibi significatur fides separata a charitate, et per "arietem" significatur fides conjuncta charitati, ita charitas (similia quae per "hircos" et per "oves" apud *Matthaeum*, cap. xxv. 31–46): per "cornu unum de exiguo quod immensum crevit" significatur justificatio per solam fidem: per "exercitum caelorum" significantur omnia vera et bona caeli et ecclesiae, et per "stellas" significantur cognitiones boni et veri; quare per "conculcare arietem," et quoque "exercitum caelorum," significatur prorsus destruere charitatem, et cum illa omnia vera et bona caeli et ecclesiae, et hoc per sensuale corporeum: nam qui in fide separata a charitate sunt, hoc est, qui credunt salvari per solam fidem, qualiscunque vita sit, illi fiunt sensuales corporei, et inde in falsis sunt quoad omnia Verbi et ecclesiae; non enim aliter percipiunt Verbum quam secundum ultimum sensum litterae ejus, nec aliquid ibi interius vident; immo, si loquantur vera ex Verbo, usque false percipiunt illa; hoc itaque est quod significatur per quod "hircus dejecerit in terram de exercitu caelorum et de stellis, et conculcaverit ea:" quod charitatem erga proximum, hoc est, bonum vitae, similiter destruant, intelligitur per quod "hircus projecerit arietem in terram, et conculcaverit eum;" nam illi qui in fide separata a charitate sunt, qui intelliguntur per "hircum," fidem faciunt essentialem, et charitatem non essentialem; quare vivunt corpori et mundo, ac sibi solis student, et nihil proximo; et qui hoc faciunt, charitatem, quae intelligitur per "arietem," projiciunt in terram, et illam conculcant. Apud *Lucam*,

"Aliud" semen "cecidit super viam, quod conculcatum est, aut volatilia caeli comederunt illud" (viii. 5):

per "semen" significatur Divinum Verum, seu verum Verbi; per "cadere super viam et conculcari" significatur recipi solum a sensuali corporeo, et non interius; quod enim recipitur spiritu et corde, hoc intelligitur per "semen quod in terram bonam cecidit:" per "volatilia caeli" quae comederunt illud, significantur falsa; nam omnia mala et inde falsa resident in ejus sensuali corporeo; quare nisi homo fiat spiritualis, et ex eo cogitet, prorsus falsa ex malo cogitat. (Quid sensuale corporeum est, et quales homines sensuales sunt, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 50: ut et supra, n. 342[*b*,*c*], 543, 550, 552, 554, 556[*a*,*c*], 559, 563, 569[*a*,*c*], 570, 580.) Apud *Esaiam*,

"Notum faciam vobis quid Ego facturus vineae meae; removendo sepem ejus ut sit ad depascendum, et perrumpendo maceriem ejus, ut sit ad conculcandum" (v. 5):

per "vineam" ibi significatur ecclesia Domini, quae ecclesia spiritualis vocatur: per "removere sepem," et "perrumpere maceriem," significatur falsificare, et sic deperdere vera tutantia ecclesiam; per "sepem" et "maceriem" circum vineam, simile significatur quod per "murum" et per "antemurale" circum Hierosolymam: per "vineam depascere et conculcare" significatur vastare ecclesiam, ut non sit aliquod verum et bonum enascens, et sic illam destruere. Apud *Jeremiam*,

"Pastores multi perdiderunt vineam meam, conculcarunt agrum meum, redegerunt agrum desiderii in desertum solitudinis" (xii. 10):

per "vineam" etiam hic significatur ecclesia Domini, similiter per "agrum;" "perdere," "conculcare," et "redigere in desertum solitudinis," significat ita destruere ut non supersit aliquid boni et veri ecclesiae. Apud *Esaiam*,

"Hostes nostri conculcarunt sanctuarium [1]tuum" (lxiii. 18):

per "hostes" significantur mala vitae; per "conculcare sanctuarium" significatur destruere vera doctrinae ex Verbo, et hoc quoque per sensuale corporeum; qui in malis vitae sunt, illi omnes sensuales corporei sunt. Apud *Davidem*,

"Persequitur hostis animam meam, et assequitur, et conculcat in terram

vitam meam, et gloriam meam in pulvere habitare facit" (Ps. vii. 6 [*B. A.* 5]):

per "hostem" etiam hic significatur malum, in genere diabolus, hoc est, infernum, ex quo malum; et per "conculcare in terram vitam, et gloriam in pulvere habitare facere," significatur per sensuale corporeum destruere omnia vera caeli et ecclesiae; haec enim faciunt vitam spiritualem, et quoque significantur per "gloriam:" "pulvis" etiam praedicatur de sensuali corporeo; hoc etiam intelligitur per "ambulare super ventre et comedere pulverem," ut passim dicitur de serpente. Similia per "conculcare" significantur in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Ponam" gentem hypocriticam "in conculcationem, sicut lutum platearum" (x. 6);

apud *Micham*,

Inimica Jehovae "erit in conculcationem, sicut caenum platearum" (vii. 10):

apud *Sachariam*,

"Erunt sicut potentes conculcantes caenum platearum in bello, et proeliabuntur, quia Jehovah cum illis, et pudefacient equitantes in equis" (x. 5);

apud *Malachiam*,

"Tunc [1]conculcabitis impios, et erunt cinis sub vola pedum vestrorum, in die quem Ego faciens" (iii. 21 [*B. A.* iv. 3]);

apud *Esaiam*,

"Pedibus conculcabuntur corona superbiae, ebrii Ephraimi" (xxviii. 3);

apud eundem,

"Conculcavi populos in ira mea, et inebriavi eos in excandescentia mea, et descendere feci in terram victoriam eorum" (lxiii. 6);

apud *Davidem*,

"Per te hostes nostros feriemus, in nomine tuo conculcabimus insurgentes contra nos" (Ps. xliv. 6 [*B. A.* 5]);

apud eundem,

Deus "conculcabit hostes nostros" (Ps. lx. 14 [*B. A.* 12]; Ps. cviii. 14 [*B. A.* 13]):

per "conculcare" in his locis etiam significatur destruere, quod fit ab illis qui sensuales corporei sunt; nam qui tales sunt, illi conculcant omnia caeli et ecclesiae; nam sunt in infimis, nec possunt cogitationes illorum sursum elevari a

Domino, nam ipsi demittunt illas in terram, et ibi pulverem lambunt; tales sunt omnes qui Divinum negant. Mala enim, quae homini ex nativitate sunt, omnia resident in naturali et sensuali corporeo ejus; quapropter nisi homo se patitur ab illis elevari a Domino, quod fit per Divina media, quae sunt vera et bona fidei et amoris, seu per vera et bona doctrinae et vitae, manet ille in suis malis, quae naturali et sensuali corporeo insita sunt, et tunc conculcat caelestia et spiritualia quae sunt caeli et ecclesiae. Per "calcare super leonem, aspidem, serpentes et scorpios," intelligitur non modo destruere mala et falsa, quae per illos significantur, sed etiam non noceri ab illis: hoc intelligitur apud *Davidem*,

> "Super leonem et aspidem calcabis, conculcabis leonem juvenem et draconem" (Ps. xci. 13);

et apud *Lucam*,

> "Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpios, et super omnem potestatem inimici, ut nihil tamen quicquam noceat" (x. 19):

quod ita dicatur in Verbo, est quia illi qui in infernis sunt apparent coram oculis spirituum bonorum et angelorum quandoque in formis variarum bestiarum et serpentum, secundum species mali et inde falsi in quibus sunt: ipsae eorum cogitationes procedentes ex intentione eorum voluntatis sistunt illas apparentias. Exhalationes ex malis et falsis eorum continue exspirant per terras quae supra inferna illa sunt, seu ex quibus inferna tecta sunt; quare super illis locis ambulare periculosum est illis qui modo naturales sunt, et magis qui sensuales corporei; exsurgit enim exhalatio inde, et contagio infectat superambulantes. At illi quos Dominus ducit tuti possunt calcare illam terram absque infectione et infestatione; causa est, quia interiora quae mentis eorum sunt, seu quae cogitationis et affectionis, a Domino elevantur supra sensuale corporeum eorum, quod correspondet plantis pedum eorum. Ex his constare potest quid in sensu proprio intelligitur per "calcare super leonem, aspidem, serpentes et scorpios, ut nihil tamen quicquam noceat;" et quoque constare potest unde est quod ita in Verbo dicatur. Quid autem per "leonem" perque "serpentes et scorpios" significatur, alibi dictum et ostensum est.

633[*a*]. ***"Mensibus quadraginta duobus."***—Quod significet *usque ad finem veteris ecclesiae et ad principium novae*, constat ex significatione "mensium," quod sint status, hic status ecclesiae; nam per "tempora," sive sint horae, sive dies, sive menses, sive anni, sive saecula, significantur status; ac illi status designantur per numeros, per quos tempora illa determinantur, ut hic per numerum "quadraginta duo;" (quod ita sit, videatur supra, n. 571, 610;) et ex significatione "quodraginta duorum," quod sit finis prioris ecclesiae et principium novae; quod id per illum numerum significetur, est quia per illum intelliguntur sex septimanae, et per "sex septimanas" significatur simile quod per "sex dies" unius septimanae, nempe status pugnae et laboris; proinde finis quando prorsus vastata est ecclesia, seu quando malum consummatum est; et per "septimanam septimam," quae tunc sequitur, significatur principium ecclesiae novae; numerus enim quadraginta duo exsurgit ex multiplicatione 6 in 7, nam 6 in 7 faciunt 42; inde est quod significet simile quod "sex septimanae," et "sex septimanae" simile cum "sex diebus" unius septimanae, nempe statum pugnae et laboris, ut dictum est; et quoque plenarium; ibi plenariam consummationem boni et veri, hoc est, plenariam vastationem ecclesiae.

[*b*.] In Verbo aliquoties dicuntur "quadraginta," nunc dies, nunc menses, nunc anni; et per illum numerum significatur ibi vel plenaria vastatio ecclesiae, vel quoque plenaria tentatio: quod hic status per numerum "quadraginta," et "quadraginta duo," significetur, constare potest a sequentibus:—Apud *Ezechielem*,

> Aegyptus "non habitabitur quadraginta annis; dabo..Aegyptum solitudinem in medio terrarum desolatarum, et urbes ejus in medio urbium devastatarum, erunt solitudo quadraginta annis; et dispergam Aegyptum inter gentes, et dejiciam eos in terras:....a fine quadraginta annorum congregabo Aegyptum ex populis quo dispersi fuerunt, et reducam captivitatem Aegypti" (xxix. 11–14):

per "Aegyptum" significatur ecclesia quoad vera scientifica, super quibus fundatur doctrina; vera scientifica eo tempore erant scientiae correspondentiarum et repraesentationum, super quibus fundabatur doctrina ecclesiae eorum; sed quia Aegyptii illas scientias vertebant in magias, et sic pervertebant ecclesiam, ideo vastatio ejus describitur,

quae intelligitur per "quadraginta annos;" hoc itaque significatur per quod "Aegyptus non habitabitur quadraginta annis, ac urbes ejus erunt solitudo quadraginta annis:" quod "dispergenda esset Aegyptus inter gentes, et disjicienda in terras," significat quod mala et falsa prorsus occupatura sint illam ecclesiam, ac perversura omnia ejus scientifica: inde patet quod per "quadraginta annos" significetur status ejus vastationis plenariae, seu usque ad finem, dum amplius non aliquid verum et bonum residuum futurum sit: initium autem ecclesiae novae, quod significatur per "finem quadraginta annorum," intelligitur per haec verba, "A fine quadraginta annorum congregabo Aegyptum ex populis quo dispersi fuerunt, et reducam captivitatem Aegypti." Simile significatur apud Prophetam eundem, per

> Quod cubaret a latere dextro quadraginta diebus, et obsideret Hierosolymam, quae "carebit pane et aqua, ac desolabitur vir et frater, et contabescent propter iniquitatem" ([1]iv. 6, 7, 17):

plenaria vastatio ecclesiae etiam per illum numerum significatur; per "Hierosolymam" significatur ecclesia; per "obsidere illam" significatur angustare malis et falsis; per "carere pane et aqua" significatur vastari quoad bonum amoris et quoad verum doctrinae; per "desolari vir et frater, et contabescere propter iniquitatem" similia significantur, nam "vir et frater" est veritas et charitas, ac "contabescere" est demori. Simile per "quadraginta dies diluvii" significatur in *Genesi*,

> "Ad dies adhuc septem Ego pluere faciam super terram quadraginta dies et quadraginta noctes, et perdam omnem substantiam, quam feci, a super faciebus terrae:....et fuit pluvia super terra quadraginta dies et quadraginta noctes:"....tunc "post septem dies emisit columbam, quae non redibat ad illum" (vii. 4, 12; cap. viii. [2]6, 12):

per "diluvium" significatur devastatio ecclesiae veteris seu Ecclesiae Antiquissimae, tum ultimum judicium super illos qui fuerunt ab ea ecclesia; per "pluviam quadraginta dierum" significatur interitus ejus per falsa mali: at principium ecclesiae novae significatur per "exsiccationem terrae" post illos quadraginta dies, ac per "germinationem e novo;" "columba," quam emisit, significat bonum charitatis, quae illius ecclesiae essentiale erat. (Sed de his videan-

tur *Arcana Caelestia*, ubi illa explicata sunt.) Ex significatione numeri "quadraginta" ducit causam haec lex apud *Mosen*,

> Quod impius quadraginta plagis percutietur, et non plus, "ne vilis habeatur frater tuus in oculis tuis" (*Deutr.* xxv. 3):

punitio plenaria per "quadraginta" aeque describitur sicut vastatio, nam punitio est aeque consummatio mali; et quia post punitionem reformatio succedit, ideo dicitur quod "non pluribus plagis percutietur, ne vilis habeatur frater in oculis tuis;" nam per "quadraginta" significatur finis mali, et quoque principium boni; quare si pluribus plagis quam quadraginta percuteretur, non significaretur principium boni seu reformatio. Vastatio ecclesiae apud filios Jacobi per quadringentorum annorum servitutem in Aegypto, significatur per Jehovae verba ad Abrahamum,

> "Scias quod peregrinum erit semen tuum in terra non illorum, ubi servituti subjicient illos....quadringentis annis" (*Gen.* xv. 13);

per "quadringenta" simile significatur quod per "quadraginta," sicut simile per "mille" quod per "centum," ac simile per "centum" quod per "decem." Vastatio ecclesiae, et quoque tentatio plenaria, etiam significatur per "commorationem filiorum Israelis quadraginta annis in deserto," de qua ita in sequentibus locis:—

> "Filii vestri erunt pascentes in deserto quadraginta annis, et portabunt scortationes vestras, usque dum [1]consumantur corpora vestra in deserto" (*Num.* xiv. 33, 34);
>
> "Vagari fecit eos in deserto quadraginta annis, usque dum consumpta est omnis generatio quae fecit malum in oculis Jehovae" (*Num.* xxxii. 13);
>
> "Jehovah....cognovit ambulare tuum per desertum magnum his quadraginta annis, Jehovah Deus tuus tecum, ut non destitutus fueris ulla re" (*Deutr.* ii. 7);
>
> "Recorderis omnis viae qua duxit te Jehovah Deus tuus his quadraginta annis in deserto, ut affligeret te, et tentaret te;....cibavit te manna ....ad affligendum te, ad tentandum te, et ad benefaciendum tibi postremo" (*Deutr.* viii. 2, 3, 15, 16);
>
> "Tentarunt Me patres vestri, probarunt Me;....quadraginta annis fastidivi in generatione hac, dixique, Populus sunt errantes corde, iidemque non cognoverunt vias meas" (*Psalm.* xcv. 9, 10);
>
> "Ego ascendere feci vos e terra Aegypti, et duxi vos in deserto quadraginta annis ad possidendum terram Emorraei" (*Amos* ii. 10):

ex allatis constat quod per "quadraginta annos" non solum significetur vastatio ecclesiae apud filios Israelis, sed etiam plenaria tentatio; tum per "finem illorum annorum" principium novae ecclesiae. *Vastatio ecclesiae* describitur

per haec: quod "pascerent in deserto quadraginta annis, et portarent scortationes, usque dum consumantur corpora eorum;" tum per haec, "Usque dum consumpta est omnis generatio haec, quae fecit malum in oculis Jehovae;" tum per haec, "Fastidivi in generatione illa, dixique, Populus sunt errantes corde, iidemque non cognoverunt vias meas." *Tentatio* autem, quae etiam significatur per "quadraginta annos," describitur per haec: "Jehovah Deus tuus tecum per quadraginta annos, ut non destitutus fueris ulla re;" tum per haec, "Duxit te Jehovah quadraginta annis in deserto, ut affligeret te et tentaret te, et cibavit te manna;" tum per haec, "Duxit te in deserto ad tentandum te, et ad beneficiendum tibi postremo." *Principium novae ecclesiae post finem quadraginta annorum*, describitur per introductionem eorum in terram Canaanem, quae facta est post quadraginta illos annos; et quoque intelligitur per haec, "Ad benefaciendum tibi postremo;" tum per haec, "Duxi vos in deserto quadraginta annis, ad possidendum terram Emorraei." Plenaria tentatio etiam significatur per

Quod Moses super Monte Sinai fuerit quadraginta dies et quadraginta noctes, et tunc panem non comederit et aquam non biberit (*Exod.* [1]xxiv. 18; cap. xxxiv. 28: *Deutr.* ix. 9, 11, 18, 25);
Similiter quod Jesus fuerit in deserto tentatus a diabolo, et ibi jejunaverit quadraginta dies (*Matth.* iv. 1, 2; *Marc.* i. 13; *Luc.* iv. 1).

[*c.*] Ex his constare potest quod per numerum "quadraginta" in Verbo significetur plenaria vastatio, et consummatio, hoc est, quando omne bonum ecclesiae vastatum est, et malum consummatum; tum quod per eundem numerum significetur plenaria tentatio; ut et instauratio ecclesiae e novo seu reformatio: ex quibus sciri potest quid significatur per "menses quadraginta duos, quibus gentes civitatem sanctam conculcabunt:" similiter in sequentibus in *Apocalypsi*,

Quod datum sit bestiae ascendenti ex mari "os loquens magna et blasphemias, et data est illi potestas..menses quadraginta duos" (xiii. [2]1, 5).

Nemo itaque credat quod per "menses quadraginta duos" intelligantur menses, aut aliquod tempus designatum secundum numeros, hic, nec etiam in sequentibus.

VERSUS 3, 4.

634. *"Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, circuminduti saccis. Hi sunt duae olivae, et duo candelabra, quae coram Deo terrae stantia."*

3. ***"Et dabo duobus testibus meis,"*** significat *bonum amoris et charitatis, ac verum doctrinae et fidei, utrumque a Domino* [n. 635]; ***"et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta,"*** significat *quod docebunt et quae docebuntur usque ad finem ecclesiae veteris et principium novae* [n. 636]; ***"circuminduti saccis,"*** significat *in luctu propter non receptionem Divini Boni ac Divini Veri* [n. 637].

4. ***"Hi sunt duae olivae, et duo candelabra,"*** significat *bonum caeleste et bonum spirituale, seu bonum amoris et verum illius boni* [n. 638]; ***"quae coram Deo terrae stantia,"*** significat *quae sunt Divina a Domino procedentia, ac sunt Ipsius in caelo et in ecclesia* [n. 639].

635. [*Vers.* 3.] ***"Et dabo duobus testibus meis."***—Quod significet *bonum amoris et charitatis*, *ac verum doctrinae et fidei*, *utrumque a Domino*, constat ex significatione "testium," quod sint qui corde et fide agnoscunt et confitentur Dominum, Divinum Ipsius in Humano Ipsius, et Divinum procedens; hoc enim essentialiter testatur de Domino, hoc est, agnoscit et ex agnitione confitetur Ipsum. (De qua "testis" et "testificationis" significatione videatur supra, n. 10, 27, 228, 392.) Quod "duo testes" hic significent bonum amoris et charitatis, ac verum doctrinae et fidei, est quia sequitur quod "duo testes sint duae olivae et duo candelabra;" ac per "duas olivas" significatur bonum amoris in Deum et bonum charitatis erga proximum, et per "duo candelabra" significatur verum doctrinae et verum fidei (de qua eorum significatione videbitur in sequentibus). Quod illa bona et illa vera intelligantur per "testes," est quia illa, hoc est, omnes qui in illis sunt, agnoscunt et confitentur Dominum; est enim Divinum procedens, quod vocatur Divinum Bonum et Divinum Verum, unde bonum amoris in Deum et bonum charitatis erga proximum, ac inde verum doctrinae et verum fidei, quae testantur de Ipso; unde sequitur quod qui in illis sunt, similiter testentur de Domino, hoc est, agnoscant et confiteantur Ipsum; est enim Divinum quod testatur de Divino, et non homo ex se; proinde est Dominus in bono amoris et in vero doctrinae inde, quae apud hominem sunt, quae id faciunt. Quoniam omnis agnitio et confessio Domini, ac principaliter agnitio et confessio Divini in Humano Ipsius, est ab Ipso Domino, et quia "testari" significat agnoscere et confiteri illud, ideo "testari" pro agnoscere

et confiteri dicitur ab Ipso Domino de Se in sequentibus locis:—Apud *Johannem*,

"Scrutamini Scripturas, quia....illae sunt quae testantur de Me" (v. 39):

Scriptura Sacra seu Verbum est Divinum Verum procedens a Domino, et Divinum procedens est Ipse Dominus in caelo, et in ecclesia; quare cum dicitur quod "Scripturae testentur de Ipso" intelligitur quod Ipse Dominus de Se. Apud eundem,

"Ego sum qui testor de Me Ipso, et testatur de Me qui misit Me, Pater" (viii. 18);

hic aperte dicitur, quod Ipse Dominus seu Divinum in Ipso testetur de Ipso. Apud eundem,

Jesus dixit, "Quando venerit Paracletus, spiritus veritatis,....ille testabitur de Me" (xv. 26, 27);

per "Paracletum, spiritum veritatis," intelligitur Divinum procedens a Domino, quod est Divinum Verum. Apud eundem,

Jesus ad Pilatum, "Tu dicis quia Rex sum Ego;....in hoc veni in mundum, ut testimonium dem veritati" (xviii. 37):

"testimonium dare veritati" significat facere ut Divinum Verum procedens ex Ipso testetur de Ipso; Divinum hoc Verum etiam in Verbo significatur per "regem." Haec allata sunt ut sciatur quod "testari" sit agnoscere et confiteri Dominum, et quod hoc sit ab Ipso; proinde bonum amoris et charitatis, ac verum doctrinae et fidei, quia haec sunt a Domino, et sunt Ipsius in homine.

636. ***"Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta."***—Quod significet *quod docebunt et quae docebuntur usque ad finem ecclesiae veteris et principium novae*, constat ex significatione "prophetare," quod sit docere (de qua supra, n. 624); hic tam docere quam doceri; nam dicitur de "duobus testibus," per quos significantur bonum amoris et charitatis ac verum doctrinae et fidei, haec enim apud hominem sunt quae docent, et quae etiam docentur; nam qui in bonis amoris et in veris doctrinae sunt, illi docent; et quae ab illis docentur sunt bona amoris et vera doctrinae: et ex significatione "dierum mille ducentorum sexaginta," quod sit usque ad finem ecclesiae veteris ac principium ecclesiae

novae, per "dies" enim "mille ducentos sexaginta" simile significatur quod per "tres et dimidium" quoniam dies mille ducenti sexaginta faciunt tres annos et dimidium dum annus sumitur pro trecentis sexaginta diebus; et per "tres et dimidium" significatur finis status prioris et principium novi; hic finis ecclesiae prioris et principium novae, nam hic agitur de ultimo tempore ecclesiae: et quia id per illum numerum significatur, ideo dicitur in hujus capitis versu [1]9,

> "Videbunt....corpora illorum dies tres et dimidium, et non permittent illa poni in monumentis;"

et dein in versu 11,

> "Et post tres dies et dimidium spiritus vitae a Deo intravit in illos;"

in quibus locis per "tres dies et dimidium" significatur finis veteris ecclesiae, quando prorsus non recepturi aliquod bonum amoris et verum doctrinae, et quoque principium novae ecclesiae, quando recepturi: finis prioris ecclesiae significatur per quod "bestia ex abysso ascendens occidet illos testes," et principium novae ecclesiae significatur per quod "spiritus vitae ex Deo intraverit in illos." Quod numerus "mille ducenta sexaginta" simile significet quod numerus "tria et dimidium," est quia in Verbo "saecula," "anni," "menses," "septimanae," "dies" et "horae," similia [2]significant; nam per illa intelliguntur modo tempora, et per tempora in communi et in particulari, seu per tempora majora aut minora aeque significantur status; nam tempus majus et minus designatum per numeros non mutat significationem rei (ut etiam supra, n. 571, 623[*a*], ostensum est). Simile per eundem numerum dierum significatur in sequente capite *Apocalypseos*,

> "Et mulier fugit in desertum, ubi habet locum praeparatum a Deo, ut ibi alant eam dies mille ducentos sexaginta" (xii. 6):

per "mulierem" ibi intelligitur ecclesia, per "desertum" ubi aleretur, significatur non receptio boni et veri, et "post exactos illos dies" significatur novus ecclesiae status.

637[*a*]. ***"Circuminduti saccis."***—Quod significet *in luctu propter non receptionem Divini Boni ac Divini Veri*, constat ex significatione "indui saccis," quod sit luctus propter vastationem et desolationem Divini Boni et Divini Veri; hic propter non receptionem eorum, nam "testes" visi sunt induti saccis, et per illos significatur Divinum Bonum

ex quo omne bonum amoris et charitatis, ac Divinum Verum ex quo omne verum doctrinae et fidei; haec apparent in luctu quando non recipiuntur, at in gaudio quando recipiuntur: sicut etiam dicitur de sole et de luna, per quae etiam significatur bonum amoris et verum fidei, quod

> "Sol factus sit niger ficut saccus cilicinus, et quod luna facta sit sicut sanguis" (*Apoc.* vi. 12);

per quae significatur quod omne bonum amoris disparatum sit, et omne verum fidei falsificatum (videatur supra, n. 401); non quod Sol in caelo angelico, qui est Dominus, usquam fiat niger, sed quod ita appareat illis qui non recipiunt aliquam lucem inde. Antiquis temporibus, quando externa ecclesiae ex meris correspondentiis et inde repraesentativis spiritualium constabant, repraesentabatur luctus per plura quae significabant; sicut per quod sederent et jacerent humi, quod volverent se in pulvere, quod cinerem imponerent capiti, quod discinderent vestes, et quod induerent saccos: quod "disciderint vestes et induerint saccos" significabat luctum propter desolationem veri et boni in ecclesia, et propter non receptionem eorum; "vestes" enim in genere significabant vera ecclesiae (videatur supra, n. 64, 65, 195, 271, 395, 475[a], 476); inde "discissio vestium" significabat dolorem propter vera ecclesiae laesa et a falsis quasi disrupta; et induitio sacci significabat luctum propter deprivationem boni et veri, et inde vastationem ecclesiae: quapropter,

> Quando Hiskias Rex audivit verba Thartanis praefecti regis Assyriae, "Discidit vestes suas, et obtexit se sacco, et venit domum Jehovae; et misit Eliakimum qui supra domum, et Schebnam scribam, et seniores sacerdotum obtectos saccis ad Esaiam" (2 *Reg.* xix. 1, 2; *Esai.* xxxvii. 1, 2):

hoc factum est, quia per "regem Assyriae" ibi significatur rationale perversum, seu rationale quod pervertit vera et bona ecclesiae ac destruit illa per falsa; omnia verba Thartanis praefecti regis Assyriae involvunt talia: et quia ecclesiae desolatio et vastatio sic imminere visa est, ideo ad testificandum luctum et dolorem propterea, disciderunt vestes et obtexerunt se sacco. Similiter,

> Cum Benhadadus rex Syriae obsideret Samariam, et facta ingens fames, "Rex rupit vestes suas; et cum transibat super muro, vidit populus quod ecce saccus super carne ejus intus" (2 *Reg.* [1]vi. 30):

simile etiam hic significatur quod supra, nempe imminens desolatio et devastatio ecclesiae; quapropter rex "rupit vestes," et super carne habebat "saccum," quae signa repraesentativa luctus et doloris erant. Luctus ob similia etiam significabatur per

Quod Jacobus, cum credidit quod Josephus discerptus esset, disciderit vestes suas, et posuerit saccum super lumbis suis, et luxerit super filio suo multis diebus (*Gen.* [1]xxxvii. 34);

Tum quod Achabus, postquam ex consilio Isabelis uxoris abstulit Nabotho vineam, et audivit verba prophetae dura de illa re, [2]ruperit vestes suas, et posuerit saccum super carnem suam, et jejunaverit; immo cubuerit in sacco, et incesserit lente (1 *Reg.* xxi. 27);

Ut et quod rex Ninives, postquam audivit verba Jonae, surrexerit de throno, et deposuerit chlamydem suam desuper se, et obduxerit saccum, et sederit super cinere, ac proclamaverit jejunium, ac ut operirentur saccis homo et bestia (*Jon.* iii. 5, 6, 8);

Tum quod Daniel dederit facies suas ad Dominum Deum, ad quaerendum orationem et preces in jejunio, sacco et cinere (*Dan.* ix. 3);

Quod postquam occisus esset Abnerus, dixerit David ad Joabum et ad omnem populum qui cum illo, quod scinderent vestes, et circumcingerent saccos, et plangerent ante Abnerum; et quod ipse David incesserit post lectum (2 *Sam.* iii. 31).

Ex his patet quod in Ecclesia Judaica et Israelitica luctus repraesentatus fuerit per disruptionem vestium et induitionem sacci; et hoc quia dolor mentis et luctus cordis, quae erant interiora, eo tempore repraesentabantur per externa, quae propter correspondentiam cum spiritualibus erant significativa.

[*b.*] Quod repraesentativum luctus per saccos imprimis significaverit luctum propter desolationem veri ac vastationem boni in ecclesia, et quoque in particulari paenitentiam, et tunc luctum cordis propter mala, constare potest adhuc a sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"Vocabit Dominus Jehovih Zebaoth in die illo ad fletum et ad planctum et ad calvitiem et ad induendum saccum" (xxii. 12):

agitur in eo capite de vastatione ecclesiae quoad Divinum Verum; luctus ejus describitur per "calvitiem" et per "induitionem sacci." Apud *Jeremiam*,

"Ascendit leo ex vepreto, et perditor gentium profectus est, exivit e loco suo ad redigendum terram in vastitatem, urbes tuae destruentur ut non [sit] habitator; propter hoc accingite saccos, plangite, ejulate" (iv. 7, 8):

per "leonem ex vepreto" significatur falsum mali destruens vera ecclesiae; et per "perditorem gentium" significatur

malum falsi destruens bonum ecclesiae; per "terram," quam redigent in vastitatem, significatur ecclesia; et per "urbes," quae destruentur, significantur vera doctrinae; per "accingere saccos" significatur luctus propterea, quare etiam dicitur "Plangite et ejulate." Apud eundem,

> "Filia populi mei, cinge te sacco, et volve te in cinere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amaritudinis; quia subito veniet vastator super nos" (vi. 26):

per "filiam populi" intelligitur ecclesia; per "cingere se sacco et volvere se in cinere" significatur luctus propter deperditum ecclesiae bonum et verum; perditio eorum seu vastatio ecclesiae intelligitur per quod "subito veniet vastator:" quod gravis luctus et dolor propter deperditum ecclesiae bonum et verum per "cingere se sacco et volvere se in cinere" significetur, patet; nam adjicitur, "Luctum unigeniti fac tibi, planctum amaritudinis." Apud eundem,

> "Ejula Cheschbon, quia devastata est Ai; clamate, filiae Rabbae, accingite saccos, plangite, et vagamini inter macerias; quia rex eorum in exilium abivit, sacerdotes ejus et principes simul" (xlix. 3):

haec de filiis Ammonis, per quos significantur qui in bono naturali sunt, et falsificant vera ecclesiae; illi qui tales sunt in ecclesia intelliguntur per "filias Rabbae;" luctus propter deperditum verum per falsificationes significatur per "Accingite saccos, plangite, vagamini inter macerias;" "maceriae" significant vera falsificata: quod verum ecclesiae inde perierit, significatur per "quia rex eorum in exilium abivit;" "rex" significat verum ecclesiae, et "in exilium abire" significat deperdi: quod etiam bona ecclesiae et inde omnia vera, significatur per quod "sacerdotes et principes simul;" "sacerdotes" significant bona ecclesiae, et "principes" vera inde. In *Threnis*,

> "Sedent in terra, conticescunt seniores filiae Zionis, ascendere fecerunt pulverem super caput suum, cinxerunt se saccis, descendere fecerunt in terram caput..virgines Hierosolymae" (ii. 10):

"sedere in terra," "conticescere," "ascendere facere pulverem super caput," et "descendere facere in terram caput," erant omnia signa repraesentativa luctus et dolorum propter vastatam a malis et falsis ecclesiam: "seniores filiae Zionis" significant sapientes et intelligentes in ecclesia, et abstracte sapientiam et intelligentiam; "filiae Zio-

nis" et "virgines Hierosolymae" significant illos in ecclesia qui in affectione boni et veri sunt, et abstracte ipsas affectiones. Apud *Ezechielem*,

> Naucleri "inducent super te calvitiem, et accingent saccos, et flebunt super te amaritudine animae, planctu amaro" (xxvii. 31):

haec de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri et boni; proinde etiam significantur cognitiones veri et boni quae sunt ecclesiae; hic describitur luctus ob illas deperditas: "naucleri" significant omnes qui illas ferunt et communicant; "[1]inducere calvitiem" significat luctum propter omnia intelligentiae deperdita; "accingere saccos" significat luctum propter cognitivum veri etiam deperditum: quia luctus est qui describitur, ideo adjicitur, "Flebunt super te amaritudine animae, planctu amaro." Apud *Evangelistas*,

> "Vae tibi, Chorazin; vae tibi, Bethsaida; propterea quod si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in sacco et cinere paenitentiam egissent" (*Matth.* xi. 21; *Luc.* x. 13):

"in sacco et cinere paenitentiam agere" est dolere et lugere propter non receptionem Divini Veri, et propter falsa et mala quae obstiterunt. Apud *Joelem*,

> "Ejula sicut virgo cincta sacco super sponso adolescentiae suae;.... circumcingimini et plangite, sacerdotes; ejulate, ministri altaris; venite, pernoctate in saccis, ministri Dei mei; quia prohibita a domo Dei vestri minchah et libamen" (i. 8, 13):

hic "cingi sacco," et "pernoctare in saccis," significat luctum propter deperditum bonum et verum ecclesiae, nam per "mincham" significatur bonum ecclesiae, et per "libamen" verum ejus. Apud *Amos*,

> "Ascendere faciam super omnes lumbos saccum, et super omne caput calvitiem, et ponam eam sicut luctum unigeniti, et postrema ejus sicut diem amarum" (viii. 10):

"saccus super lumbos" significat luctum ob deperditum bonum amoris, hoc enim significatur per "lumbos;" "et calvities super caput" significat luctum ob deperditum intellectum veri. Apud *Esaiam*,

> "In omnibus capitibus" Moabi "calvities, omnis barba rasa, in plateis ejus accinxerunt saccum, super tectis ejus et in plateis ejus ejulabit, descendens in fletum" (xv. 2, 3);

apud *Jeremiam*,

"Omne caput calvities, et omnis barba rasa, super omnibus manibus incisiones, et super lumbis saccus, super omnibus tectis Moabi, et in plateis ejus totus luctus" (xlviii. 37, 38):

per "Moabum" significantur illi qui in bono naturali sunt, et adulterant bona ecclesiae; quod intellectus veri illis nullus sit, nec scientia veri, significatur per quod "in omnibus capitibus Moabi calvities, et omnis barba rasa," tum per quod "in tectis ejus et in plateis ejus ejulabit" et "erit luctus:" "incisiones super omnibus manibus" significant falsificata; luctus propterea significatur per "accingere saccum," tum per "ejulare" et "descendere in fletum." Apud *Esaiam*,

"Fiet, loco aromatis tabes erit, et loco cinguli discissio, et loco operis implexi calvities, et loco togae cinctura sacci, adustio loco pulchritudinis; homines tui gladio cadent, et robur tuum in bello" (iii. 24, 25):

haec de "filiabus Zionis," per quas significatur ecclesia quoad affectiones boni caelestis; proinde per "filias Zionis" significantur affectiones boni quae sunt ecclesiae caelestis: jactura et dissipatio illarum per fastum propriae intelligentiae describitur ibi per varia quibus filiae illae se exornant; mutatio illarum affectionum in contrarias et impulchras significatur per quod "loco aromatis tabes, loco cinguli discissio, loco operis implexi calvities, loco togae cinctura sacci, et loco pulchritudinis adustio;" per "tabem" significatur periens vitale; per "discissionem loco cinguli" significatur dissipatio perceptionum veri loco connexionis illarum; per "calvitiem loco operis implexi" significatur fatuitas loco scientiae; per "adustionem loco pulchritudinis" significatur stultitia loco intelligentiae ("adustio" significat insaniam ex fastu propriae intelligentiae quae est stultitia, et "pulchritudo" significat intelligentiam): quod vera intellectus peritura sint per falsa, usque ut nulla resistentia sit contra mala, significatur per quod "homines tui gladio cadent, et robur tuum in bello;" "gladius" est falsum destruens verum. Similia per "saccum" significantur in his sequentibus:—Apud *Ezechielem*,

"Omnes manus remissae, omnia genua abeunt in aquas, unde accingent saccos, et colliget eos terror, et super omnibus faciebus pudor, et in omnibus capitibus..calvities" (vii. 17, 18);

apud *Davidem*,

> "Ego, cum illi aegrotarent, vestis mea saccus, afflixi fame animam meam" (Ps. xxxv. 13);

apud eundem,

> "Cum flevi in jejunio animae meae, factum mihi est in opprobria; cum dedi vestem meam saccum, factus sum illis in dicterium" (Ps. lxix. 11, 12);

apud *Hiobum*,

> "Saccum consui super cutem meam, et feci pulvere cornu meum; facies meae turbatae sunt prae fletu" (xvi. 15, 16);

apud *Esaiam*,

> "Vestio caelos atrore, et saccum facio velamen eorum" (l. 3);

et apud *Davidem*,

> "Convertisti luctum meum in choream mihi, aperuisti saccum meum, et accinxisti me gaudio" (Ps. xxx. 12 [*B. A.* 11]):

in his locis "saccus" etiam significat luctum, ac "succingere saccum supra corpus loco vestis" significat luctum propter deperditum verum ecclesiae; et "accingere saccum super lumbos et super carnem" significat luctum propter deperditum bonum ecclesiae; nam "vestis" significat verum ecclesiae, ac "lumbi" et "caro" significant bonum ecclesiae. Quod accingere saccum modo repraesentativum et inde significativum luctus et paenitentiae fuerit, at in se non luctus et paenitentia, constat apud *Esaiam*,

> "Num sicut hoc erit jejunium quod eligam, dies quo affligit homo animam suam, ut incurvet sicut juncus caput suum, et in sacco et cinere cubet? num hoc vocabis jejunium et diem beneplaciti Jehovae? Nonne hoc jejunium quod eligo, aperire vincula malitiae,....frangere famelico panem tuum, et afflictos exules introducas domum? cum videris nudum et obtexeris illum?" (lviii. 5–7;)

et apud *Joelem*,

> "Convertimini ad Me toto corde vestro, et in jejunio et in fletu et in planctu; et scindite cor vestrum, et non vestes vestras" (ii. [12,] 13).

638[*a*]. [*Vers.* 4.] ***"Hi sunt duae oleae, et duo candelabra."***— Quod significet *bonum amoris in Dominum, et charitatis erga proximum, ac verum doctrinae et fidei, ex quibus caelum et ecclesia*, constat ex significatione "oliveti," "oleae" et "olivae," quod sit in lato sensu regnum caeleste Domini, et inde ecclesia caelestis; quae ab aliis ecclesiis distinguitur in eo, quod illi a quibus illa ecclesia existit sint in amore in Dominum et in amore erga proximum; inde est quod per "oleam" et "olivam" uterque ille amor, seu bonum utri-

usque amoris, significetur; (quod "olea" et "oliva" illam ecclesiam, seu illa bona ecclesiae, significet, constabat ex sequentibus:) et ex significatione "candelabri," quod in latu sensu sit regnum spirituale Domini, et inde ecclesia spiritualis; et quia principale illius ecclesiae est verum doctrinae et verum fidei, ideo etiam haec per "candelabra" significantur. (Quod illa per "candelabrum" in sensu spirituali intelligantur, videatur supra, n. 62.) Quod dicatur quod "duo testes sint duae oleae et duo candelabra," quae tamen sunt quatuor, est quia "duo" significant conjunctionem et inde unum; sunt enim duo quae faciunt unum, nempe bonum et verum; bonum non est bonum nisi ex vero, et verum non est verum nisi ex bono; quare cum duo illa faciunt unum, tunc primum sunt et existunt; haec conjunctio in unum vocatur conjugium caeleste, et ex illo conjugio est caelum et ecclesia; simile est cum bono caelesti quod per "duas oleas" significatur, et cum bono spirituali quod per "duo candelabra;" nam bonum in caelesti regno Domini est bonum amoris in Dominum, ac verum illius boni vocatur bonum amoris erga fratrem et socium; ac bonum in regno spirituali Domini est bonum charitatis erga proximum, ac verum illius boni vocatur bonum fidei; sed de his aegre potest justa idea haberi, nisi sciatur quale boni caelestis, et quale boni spiritualis, et quae differentia intercedit: ex his constare potest unde est quod "duo testes" dicantur "duae oleae et duo candelabra." (Quod "duo" significent conjunctionem in unum, seu conjugium caeleste, videatur supra, n. 532, fin.) Quod "olea" significet ecclesiam caelestem, est quia per "arbores" in genere significantur perceptiones et cognitiones, et omnis ecclesia est ecclesia ex cognitionibus veri et boni, et secundum perceptionem illarum; et quia "oleum" significat bonum amoris (videatur supra, n. 375[a,d,e]), ideo "olivetum" ac "olea" significat ecclesiam, in qua id bonum regnat. Sunt tres arbores quae principaliter ecclesiam significant, nempe "olea," "vitis," et "ficus;" "olea" ecclesiam caelestem, "vitis" ecclesiam spiritualem, et "ficus" ecclesiam externam caelestem et spiritualem. Quod talia, quae descripta sunt, per "duas oleas" et per "duo candelabra" significentur, quisque potest videre et concludere ex eo, quod illa dicantur "testes," proinde quae testantur de Domino, hoc est, agnoscunt et confitentur Ipsum; tum quod in sequentibus de illis dicatur quod "bestia occiderit illos," et quod postea "spiri-

tus vitae a Deo intraverit in illos;" hoc non dici potest de oleis et de candelabris, nisi "oleae" et "candelabra" significent talia quae sunt apud angelos caeli et apud homines ecclesiae a Domino, quae testantur de Domino, seu faciunt ut angeli et homines testentur de Ipso; nam angeli et homines non ex se testari de Domino possunt, sed bonum et verum quae apud illos sunt ex Domino, hoc est, Ipse Dominus ex suo bono et vero quae apud illos. In Verbo multis in locis nominantur horti et silvae, tum oliveta, et vineae, ut et arbores plurium generum, prout "olea," "vitis," "ficus," "cedrus," "populus," "quercus;" sed nemo hactenus novit quod singula illa aliquid spirituale, quod est caeli et ecclesiae, significent, praeter quod "vinea" significet ecclesiam; sed usque non modo "vinea" significat ecclesiam, sed etiam "olivetum," tum "silva cedri" seu "Libanus;" immo etiam arbores, sicut "olea," "vitis," "ficus," "cedrus;" et quia significant ecclesiam, ac spiritualia quae sunt ecclesiae, ideo toties in Verbo nominantur. Quod hortos et silvas attinet; "horti" seu "paradisi" in specie significant intelligentiam et sapientiam quae sunt hominibus ecclesiae; ac "silvae" seu "nemora" significant intelligentiam naturalis hominis, quae in se spectata est scientia, inserviens intelligentiae spiritualis hominis; "olivetum" autem et "vinea" significant ecclesiam, "olivetum" ecclesiam caelestem, seu ecclesiam quae in bono amoris in Dominum est, et "vinea" ecclesiam spiritualem, seu ecclesiam quae in bono charitatis erga proximum est, et inde in veris fidei; "olea" et "vitis" etiam similia significant, et hoc ex causa quia "oleum" significat bonum amoris in Dominum, ac "vinum" bonum charitatis erga proximum ac bonum fidei; "ficus" autem significat ecclesiam utramque tam caelestem quam spiritualem, sed externam. Quod talia significentur per illa, est ex repraesentativis in mundo spirituali, proinde ex correspondentia; nam in caelo intimo, ubi est regnum caeleste Domini, et amor in Ipsum regnat, oliveta et ficus faciunt illorum paradisos et silvas; at in caelo secundo faciunt vineae, et plura genera arborum fructiferarum; similiter in caelo ultimo, sed cum differentia quod in hoc caelo arbores non tam nobiles sint. Quod in caelis talia existant, est causa, quia correspondent sapientiae, intelligentiae, amori, charitati et fidei angelorum qui in illis caelis sunt. Ex his nunc

constare potest unde est quod "testes" dicantur "oleae;" nempe, quia per "oleas" intelliguntur omnes qui ecclesiam caelestem Domini constituunt, hoc est, qui in bono amoris in Dominum sunt, et in bono amoris erga fratrem et socium.

[*b.*] Quod talia per "oliveta," "oleas" et "olivas" in Verbo significentur, constare potest ex sequentibus locis:— Apud *Sachariam*,

> "Duae oleae juxta" candelabrum, "una a dextra lecythi et altera juxta sinistram ejus;....et duae baccae olivarum,....hi duo filii oleae stantes juxta Dominum totius terrae" (iv. 3, 11, 12, 14):

agitur ibi de fundatione Domus seu Templi a Serubbabele, et per "Domum "seu "Templum" significatur ecclesia; quare visum est prophetae candelabrum, et juxta illud duae oleae, similiter paene ut hic Johanni in *Apocalypsi;* et per "duas oleas" et "baccas olivas" significantur bona caelestia, quae sunt amoris in Dominum, et amoris erga fratrem et socium; hoc bonum significatur per "oleam" visam "juxta sinistram lecythi," et illud bonum per "oleam ad dextram ejus:" vera hujus boni intelliguntur per "filios oleae stantes juxta Dominum totius terrae;" "stare juxta Ipsum" significat esse et existere ab Ipso. Quoniam "oleae" significabant illa bona, ideo

> Cherubi in medio Domus seu Templi facti sunt ex ligno olei, similiter fores ad adytum, et postes (1 *Reg.* vi. 23–33);

"cherubi" enim, ut et "fores" ac "postes" ad adytum Templi, significabant custodiam, ne aditus sit ad Dominum nisi quam per bonum amoris; ac "adytum" significabat ubi Dominus; et "lignum olei" bonum amoris, quia "olivetum," "olea" et "oliva" significabant caelestia quae sunt amoris. Quia "olivetum" et "olea" significabant ecclesiam, quae in amore in Dominum est, inde

> Oleum sanctitatis, quo ungebantur omnia sancta ecclesiae, factum est ex oleo olivae, et aromatibus ei admixtis (*Exod.* xxx. 23, 24);

nam omnia ecclesiae, quantum ex amore in Dominum ducunt, tantum sancta Divina sunt; inde per id oleum inducebatur repraesentativum Domini ac caeli et ecclesiae. (Videatur explicatio super illa in *Arcanis Caelestibus.*) Pariter,

> Oleum olivae purum tusum erat pro luminari in Tentorio conventus, quod singulis vesperis accendebatur (*Exod.* xxvii. 20; *Levit.* xxiv. 2):

per "luminare" illud seu per "candelabrum" ibi significabatur ecclesia spiritualis Domini, et per "ignem accensum in lucernis" significabatur amor spiritualis qui est amor erga proximum; similiter per "oleum olivae purum tusum" ex quo ignis (de qua re etiam videantur *Arcana Caelestia* ad illum locum). Quod "olea" et "oliva" significet bonum amoris, etiam a sequentibus locis constat:—Apud *Hoscheam*,

> "Ero sicut ros Israeli; efflorebit sicut lilium, et infiget radices suas, sicut Libanon; ibunt rami ejus, et erit sicut olivae honor ejus, et odor illi sicut Libani" (xiv. 6, 7):

haec de ecclesia spirituali, quae significatur per "Israelem:" "esse illi sicut ros" significat ejus existentiam et renascentiam spiritualem: primus status renascentiae seu regenerationis ejus significatur per quod "efflorebit sicut lilium;" "lilium" significat efflorescentiam quae praecedit fructum; secundus status regenerationis significatur per quod "infiget radices suas," qui status est ejus existentiae in naturali, nam ibi figuntur radices; tertius status significatur per quod "ibunt rami ejus," per quos significatur multiplicatio veri scientifici et cognitionum: [1]quintus status, qui est status fructificationis, significatur per quod "erit sicut olivae honor ejus;" "oliva" significat bonum amoris, et "honor" praedicatur de illo; (quod "honor" praedicetur de bono amoris, videatur supra, n. 288, 345:) et [2]sextus status, qui est status intelligentiae et sapientiae, significatur per quod "odor ejus illi sicut Libani;" "odor" significat perceptionem, ac "Libanus" rationalitatem, ex quibus intelligentia et sapientia. Apud *Davidem*,

> "Ego sicut olea virens in domo Dei, confido in misericordia Dei in saeculum et aeternum" (Ps. lii. 10 [*B. A.* 8]):

dicitur "sicut olea virens in domo Dei," quia per "oleam virentem" significatur bonum amoris nascens per verum Verbi, et per "domum Dei" significatur ecclesia. Apud eundem,

> "Uxor tua sicut vitis fructifera in lateribus domus tuae, filii tui sicut plantae olearum circumcirca mensas tuas;..sic benedicetur viro timenti Jehovam" (Ps. [3]cxxviii. 3, 4):

per haec in naturali sensu, qui est sensus litterae, intelliguntur uxor et filii, ac jucunditates ex conjugio et prolificatione; sed in sensu interno, qui est sensus spiritus

Verbi, per "uxorem" significatur affectio veri, ac per "filios" ipsa vera inde nascentia; nam omne verum, cui inest vita, nascitur ex affectione veri: et quia per "uxorem" significatur illa affectio, comparatur illa viti fructiferae, quia per "vitem" significatur ecclesia, et per "vitem fructiferam" ecclesia quoad affectionem veri: per "domum" significatur mens spiritualis et per "latera" ejus significantur omnia quae in naturali homine: per "filios" significantur vera quae ex affectione illa spirituali nascuntur; haec comparantur "plantis olearum," quia per vera producuntur bona amoris et charitatis, quae sunt "olivae;" per "circumcirca mensas" significantur jucunditates ex appropriatione et nutritione spirituali. Apud *Mosen*,

> "Fiet, cum introduxerit te Jehovah Deus tuus in terram,....dabit tibi urbes magnas et bonas quas non aedificasti, et domos plenas omni bono quas non implevisti, et cisternas excisas quas non excidisti, vineas et oliveta quae non plantasti" (*Deutr.* vi. 10, 11):

per haec verba prorsus aliud intelligitur in sensu spirituali quam in sensu historico; nam in sensu spirituali per "terram Canaanem," in quam introducendi erant, significatur ecclesia; quare per "urbes," "domos," "cisternas," "vineas" et "oliveta" significantur talia quae sunt ecclesiae; per "urbes magnas et bonas" significantur doctrinalia quae docent bona amoris et charitatis; per "domos plenas omni bono" significantur omnia quae sapientiae sunt; per "cisternas excisas" significantur omnia intelligentiae in naturali homine, quae sunt cognitiones et scientiae; per "vineas et oliveta" significantur omnia ecclesiae quoad vera et bona. Narratur de Noacho

> Quod ex arca emiserit columbam, quae reversa ad illum circa tempus vesperae, ferens folium olivae decerptum in ore, et quod inde cognoverit quod diminutae essent aquae (*Gen.* viii. 10, 11):

per haec in sensu spirituali describitur regeneratio hominis ecclesiae, quae per "Noachum et ejus filios" significatur; hic per "columbam" denuo emissam, status successivus secundus, qui est quando bonum spirituale per vera, remotis falsis, incipit existere; per "folium" enim significatur verum, et per "olivam" bonum inde nascens, et per "aquas" significantur falsa. (Sed haec videantur plenius explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 870–892.)

[*c.*] Apud *Sachariam*,

> "Stabunt pedes Ipsius in die illo super Monte Olivarum, qui ante facies Hierosolymae ab oriente; et diffindetur Mons Olivarum, et pars ejus versus ortum et versus mare valle magna valde; et recedet pars montis versus septentrionem, parsque ejus versus meridiem" (xiv. 4):

quid haec significant, supra (n. 405[*d*]) explicatum est, et ostensum quod per "Montem Olivarum" significetur Divinus Amor: Mons enim Olivarum erat ab oriente Hierosolymae, et "Hierosolyma" significabat ecclesiam quoad doctrinam; et omnis ecclesia, et omne doctrinae verum, illustratur et lucem recipit a Domino in oriente; et oriens in caelo est ubi Dominus apparet ut Sol; et quia "sol" significat Divinum Amorem, ideo "oriens," ac "Mons Olivarum" qui ab oriente Hierosolymae erat, eundem significat. Quoniam ille mons significabat, ut dictum est, Divinum Domini Amorem, ideo Dominus super illo monte ordinarie commoratus est; secundum *Evangelistas*,

> Quod Jesus esset "diebus in Templo docens, noctibus vero egrediens pernoctaret in Monte, qui dicitur Olivarum" (*Luc.* xxi. 37; cap. xxii. 39: *Joh.* viii. 1);
> Quod super eo locutus sit cum discipulis de ultimo judicio (*Matth.* xxiv. 3, seq.; *Marc.* xiii. 3, seq.);
> Et quod inde iverit Hierosolymam et passus: praeter plura (*Matth.* xxi. 1; cap. xxvi. 30: *Marc.* xi. 1; cap. xiv.[1]26: *Luc.* xix. 29, 37; cap. xxi. 37; cap. xxii. 39: *Joh.* viii. 1):

haec omnia ex causa quia "Mons Olivarum" significabat Divinum Amorem; ac significativa, quia erant repraesentativa caeli et ecclesiae, quae eo tempore conjunxerunt Dominum cum caelo et mundo. Etiam angeli intimi seu tertii caeli habitant in oriente super montibus, ubi oliveta prae ceteris arboribus florent. Apud *Jeremiam*,

> "Oleam virentem, pulchram fructu formae, vocavit Jehovah nomen tuum; ad vocem tumultus magni succendit ignem super ea, ac confregerunt propagines ejus; nam Jehovah Zebaoth, qui plantavit te, locutus est contra te malum, propter malitiam domus Israelis et domus Jehudae" (xi. 16, 17):

hic domus Jehudae et Israelis vocatur "olea virens, pulchra fructu formae," quia per "oleam" et ejus "fructum" significatur bonum amoris, et per "virens" et "pulchram forma" significatur verum illius boni, ex quo intelligentia: nam per "domum Jehudae" significatur ecclesia quoad bonum amoris, et per "domum Israelis" ecclesia quoad ve-

rum illius boni; per "vocare nomen" significatur quale ejus: interitus et vastatio illius ecclesiae per amorem mali describitur per quod "Jehovah succenderit ignem super ea, et confregerit propagines ejus;" per "ignem" significatur amor mali, et per "propagines" significantur vera, quae "confringi" dicuntur quando ex amore illo pereunt. Tribuitur hoc Jehovae ex apparentia quod omne malum [1]poenae videatur sicut ex Deo, quia omnipotens est et non avertit; non scientes quod avertere malum poenae sit contra ordinem; nam si averteretur, cresceret malum usque dum non amplius aliquod bonum superesset. Apud *Esaiam*,

> "Sic erit in medio terrae, in medio populorum, sicut strictura oleae, sicut racemationes quando consummata est vindemia" (xxiv. 13):

haec etiam de vastatione ecclesiae quoad bonum caeleste et quoad bonum spirituale; bonum caeleste est bonum amoris in Dominum, et bonum spirituale est in sua essentia verum ex illo bono; bonum caeleste significatur per "oleam," et bonum spirituale quod est verum ex bono caelesti significatur per "vindemiam;" vastatio significatur per "stricturam" et "racemationes" post consummationem. Apud *Mosen*,

> "Vineas plantabis et coles, sed vinum non bibes,....quia comedet illud vermis: oleae erunt tibi in omni termino tuo, sed oleo non unges te, quia excutietur olea tua" (*Deutr.* xxviii. 39, 40);

per "vineam" significatur ecclesia spiritualis, et per "oleam" ecclesia caelestis; inde per "vineam" etiam significatur verum ecclesiae, et per "oleam" bonum ejus; quare per "vineam plantare et colere et non bibere vinum" significatur quod tametsi ecclesia instauratur et vera doctrinae docentur, usque vera non afficient et perficient; "vinum" significat verum doctrinae: "quia comedet illud vermis" significat quod falsa destruent: "oleae erunt tibi in omni termino tuo" significat quod bona amoris a Domino per Verbum et per praedicationes ex Verbo erunt in universa ecclesia; "oleo non ungi" significat non usque frui aliquo bono et inde gaudio; "excutietur olea tua" significat quod id bonum periturum: haec de maledictione, si dii alii colerentur, et si statuta et judicia non custodirentur. Apud *Micham*,

"Tu calcabis olivam, sed non unges te oleo; et mustum, sed non bibes vinum" (vi. 15);

apud *Amos*,

"Percussi..uredine et rubigine plurimos hortos vestros, et vineas vestras et ficus vestras, et oleas vestras comedit eruca, nec tamen reversi estis ad Me" (iv. 9):

per "hortos" significantur illa quae intelligentiae spiritualis sunt; per "uredinem et rubiginem" significatur malum et falsum in extremis, seu ex sensuali corporeo; per "vineas" significantur vera spiritualia seu interiora ecclesiae, per "ficus" bona et vera exteriora quae etiam vocantur moralia, per "oleas" autem bona ecclesiae, et per "erucam" significatur falsum destruens bonum. Apud *Habakuk*,

"Ficus non florebit, nec proventus in vitibus, mentietur opus olivetum, et ager non faciet cibum" (iii. 17):

per "ficus" etiam hic significantur externa ecclesiae, per "vites" interna ejus, per "olivetum" bona ejus, et per "agrum" ipsa ecclesia apud hominem. In *Libro Primo Samuelis*,

Rex "agros vestros, et vineas vestras, et oliveta vestra..sumet et dabit servis suis" (viii. 14):

etiam hic per "agros," "vineas" et "oliveta," similia significantur: agitur ibi de Jure Regis, per quod ibi intelligitur et describitur dominium naturalis hominis super spiritualem; quod nempe destruet omnia vera et bona ecclesiae, et illa servire faciet naturali homini, proinde malis et falsis. In *Libro Judicum*,

Jotham dixit ad cives Schechemi, qui regem fecerunt Abimelechum, "Iverunt arbores ad ungendum super se regem, et dixerunt oleae, Regna tu super nos; sed dixit eis olea, Num cessare faciam pinguedinem meam, quam in me honorant Deus et homines, et ibo ad movendum me super arbores? Et dixerunt arbores ad ficum, Ito tu, regnato super nos; sed dixit ad illas ficus, Num cessare faciam dulcedinem meam, et proventum meum bonum, et ibo ad movendum me super arbores? Tum dixerunt arbores ad vitem, Ito tu, regnato super nos; sed dixit illis vitis, Num cessare faciam mustum meum laetificans Deum et homines, et ibo ad movendum me super arbores? Et dixerunt omnes arbores ad rhamnum, Ito tu, regnato super nos; et dixit rhamnus ad arbores, Si in veritate vos ungentes me in regem super vos, venite et confidite in umbra mea; si vero non, exeat [1]ira ex rhamno et comedat cedros Libani" (ix. 7–16):

per haec Jothamis verba significatur quod cives Schechemi

non vellent quod bonum caeleste, quod est "olea," non verum illius boni, quod est "vitis," nec bonum morale, quod est bonum caeleste et spirituale externum, quod est "ficus," regnarent super illos; sed malum falsi apparens illis sicut bonum, quod est "rhamnus:" ignis ex hoc est malum concupiscentiae: "cedri Libani" sunt rationalia quae ex veris. Ex locis supra allatis videri potest quod "olea" et "vinea" in plerisque simul nominentur, quod factum est propter conjugium boni et veri in singulis Verbi; nam per "oleam" ac "oleum" significatur bonum ecclesiae, et per "vineam" ac "vinum" verum illius boni. (Quod "oleum" significet bonum amoris, et jucundum caeli inde, videatur supra, n. 375; et quod "vinum" bonum charitatis et verum fidei, n. 376.)

639. ***"Quae coram Deo terrae stantia."***—Quod significet *quae sunt Divina a Domino procedentia, ac sunt Ipsius in caelo et in ecclesia*, constat ex significatione "Dei terrae," quod sit Dominus, qui Deus caeli et terrae est; in specie Deus ecclesiae in caelo et in mundo, nam per "terram" in Verbo significatur ecclesia, et ecclesia est tam in caelo quam in mundo; quod caelum et ecclesia ibi etiam intelligatur per "terram," est quia in mundo spirituali sunt aeque terrae sicut in mundo naturali, et quoad externam apparentiam sunt in illo mundo prorsus similia quae in hoc mundo; inde est quod per "Deum terrae" intelligatur Deus caeli ac terrae, ac in specie Deus ecclesiae in caelo et in mundo; (quod Dominus sit Deus caeli et terrae, docet Ipse apud *Matthaeum;* Jesus dixit, "Data est Mihi omnis potestas in caelo et in terra," xxviii. 18:) et ex significatione "stare coram Ipso," quod sit esse ab Ipso, et inde quod est Ipsius in caelo et in ecclesia. In Verbo, de angelis et de hominibus ecclesiae, passim dicitur quod "stent coram Deo," tum etiam quod "ambulent coram Ipso;" et ibi in sensu spirituali per "stare coram Deo" significatur esse ab Ipso, et per "ambulare coram Deo" significatur vivere secundum esse ab Ipso; omne enim esse caeli et mundi procedit a Domino, est enim Divinum procedens, quod creavit et formavit omnia caeli et mundi; hoc Divinum procedens vocatur "Verbum" apud *Johannem* (cap. i. 1–3), ac "Verbum" ibi est Divinum procedens quod vocatur Divinum Verum, ex quo omnia facta et creata sunt: hoc quia circum Dominum ut Solem quaquaversum se ex-

tendit, est quod proprie dicitur "stare coram Ipso," nam hoc ab omni plaga et ab omni termino spectat Dominum ut suum centrum commune: et id est in sua essentia Dominus in caelo, quia est Divinum procedens; et quod procedit est Ipsius ex quo procedit, immo est Ipse, plane sicut calor et lux procedens a sole est solis: omnes itaque angeli, qui recipientes sunt Divini hujus procedentis quod vocatur Divinum Verum, se vertunt ad Dominum, et inde continue in Ipsius praesentia sunt; nam, ut dictum est, Divinum procedens spectat Dominum ut suum centrum a quo et ad quod; consequenter etiam angeli, qui sunt recipientes Divini Veri, ac quasi Divina vera in forma: ex eo est quod angeli dicantur "stare coram Domino," nam de Divino Vero proprie dicitur "stare," quia circumstat Dominum ut Solem. "Stare coram Deo" significat esse in Divino Vero, proinde apud Dominum, etiam in sequentibus his locis:—Apud *Lucam*,

> "Angelus dixit, Ego sum Gabriel stans coram Deo" (i. 19);

in *Libro Primo Regum*,

> "Vidi Jehovam sedentem super throno suo, et universum exercitum caelorum stantem juxta Ipsum a dextra Ipsius et a sinistra Ipsius" (xxii. 19);

apud *Jeremiam*,

> "Non excidetur vir Jonadabo...stans coram Me omnibus diebus" (xxxv. 19);

apud *Davidem*,

> "Stat regina ad dextram tuam in auro optimo Ophiris" (Ps. [1]xlv. 10 [*B. A.* 9]);

apud *Lucam*,

> "Vigilate omni tempore, ut digni habeamini....ad standum coram Filio hominis" (xxi. 36);

in *Apocalypsi*,

> "Venit dies magnus irae Ipsius, et quis potest stare?" (vi. 17;)
> "Omnes angeli steterunt circum thronum, et seniores et quatuor animalia" (vii. 11);
> "Vidi septem angelos qui coram Deo steterunt"(viii. [2]2);

apud *Sachariam*,

> Duae oleae et duae baccae olivarum, quae sunt "duo filii oleae, stantes juxta Dominum totius terrae" (iv. [11,] 12, 14);

et alibi. De Ipso Domino etiam dicitur quod "steterit

ad judicandum," quia dicitur de Divino procedente a Domino, quod vocatur Divinum Verum, quia ex illo judicium. Ita dicitur apud *Esaiam*,

"Jehovah stitit Se ad litigandum, et stans ad judicandum" (iii. 13);

et apud *Davidem*,

"Deus stetit in coetu Dei, in medio deorum judicabit" (Ps. lxxxii. 1):

per "coetum Dei," et per "deos," in quorum medio Jehovah stetit, intelliguntur angeli, per quos in sensu spirituali significantur Divina vera; et quia Dominus in caelo est Divinum Verum, ideo de Ipso ibi dicitur "stare." Ex his nunc constare potest quod per "coram Deo terrae stare" significetur Divinum a Domino procedens, quod est Ipsius in caelo et in ecclesia; quod hoc ac illi qui in eo sunt intelligantur, constare etiam potest ex eo, quod "stare coram Deo terrae" dicatur de "duabus oleis" et de "duobus candelabris," per quae significatur bonum et verum, proinde Divinum procedens. (Videatur etiam praecedens articulus, n. 638.)

VERSUS 5, 6.

640. ***"Et si quis illis voluerit nocere, ignis egredietur ex ore illorum, et devorabit inimicos illorum; et si quis illis voluerit nocere, ita oportet illum occidi. Hi habent potestatem claudere caelum, ut non pluat pluvia in diebus illorum prophetiae; et potestatem habent super aquas convertere illas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint."***

5. ***"Et si quis illis voluerit nocere,"*** significat *tutelam illorum a Domino ne ullo modo laedantur* [n. 641]; ***"ignis egredietur ex ore illorum, et devorabit inimicos illorum,"*** significat *quod illaturi damnum illis cadant in mala et falsa quae ab inferno, quae illos perdunt* [n. 642]; ***"et si quis illis voluerit nocere, ita oportet illum occidi,"*** significat *quod secundum conatum inferendi malum pereant* [n. 643].

6. ***"Hi habent potestatem claudere caelum, ut non pluat pluvia in diebus illorum prophetiae,"*** significat *quod illi qui rejiciunt bona et vera caeli et ecclesiae, quae a Domino procedunt, non aliquem influxum e caelo recipiant* [n. 644]; ***"et potestatem habent super aquas convertere illas in sanguinem,"*** significat *quod vera apud illos vertantur in falsa mali* [n. 645]; ***"et percutere terram omni plaga,"*** significat *quod ecclesia apud illos per concupiscentias mali pereat* [n. 646]; ***"quotiescunque voluerint,"*** significat *quoties homo aggreditur bona amoris et vera doctrinae, quae testantur de Domino, et ex quibus homo agnoscit et confitetur Dominum, ad malum illis inferendum* [n. 647].

641. [*Vers.* 5.] ***"Et si quis illis voluerit nocere."***—Quod significet *tutelam illorum a Domino ne ullo modo laedantur*, constat ex sequentibus; nam sequitur, "Si quis voluerit illis

nocere, ignis egredietur ex ore illorum, et devorabit inimicos illorum;" tum, "Si quis illis voluerit nocere, ita oportet illum occidi:" ex quibus verbis, et ex adhuc sequentibus, patet quod per "Si quis illis voluerit nocere" significetur tutela a Domino ne ullo modo laedantur. Dicitur hoc de "duobus testibus," per quos significatur doctrina boni amoris in Dominum et boni charitatis erga proximum, quae est doctrina vitae, cui doctrina fidei inservitura est; quae doctrinae circa finem ecclesiae praedicabuntur. Quid sequentia in binis versibus involvunt, supra quidem dictum est; sed quia inter ignota sunt, iterum dicetur. Quando finis ecclesiae instat, tunc interiora Verbi, ecclesiae et cultus, revelantur et docentur: causa est, ut separentur boni a malis; nam interiora Verbi, ecclesiae et cultus, quae sunt caelestia et spiritualia, recipiuntur a bonis, sed rejiciuntur a malis; inde separatio: praeterea etiam interiora Verbi, quae in fine ecclesiae revelantur, inserviunt novae ecclesiae, quae etiam tunc instauratur, pro doctrina et pro vita: quod ita sit, constare potest ex eo, quod, dum finis Ecclesiae Judaicae instabat, Ipse Dominus aperuerit et docuerit interiora Verbi, et imprimis revelaverit illa quae in Verbo de Ipso praedicta fuerunt; quibus apertis et revelatis abrogabantur externa ecclesiae, quae imprimis constabant in sacrificiis, ac in ritibus et statutis, quae adumbrabant Ipsum, et repraesentabant et inde significabant interiora ecclesiae quae ab Ipso revelabantur; quod ita fieret, praedictum est variis in locis apud Prophetas. Similiter hodie factum est; placuit enim nunc Domino revelare plura arcana caeli, imprimis sensum Verbi internum seu spiritualem, qui hactenus plane ignotus fuerat; et cum illo docuit genuina vera doctrinae: quae revelatio intelligitur per "adventum Domini," apud *Matthaeum* (cap. xxiv. 3, 30, 37). Causa revelationis in fine ecclesiae est quae dicta, nempe, ut per illam fiat separatio bonorum a malis, tum instauratio ecclesiae novae, et hoc non modo in mundo naturali ubi sunt homines, sed etiam in mundo spirituali ubi sunt spiritus et angeli; nam in utroque mundo est ecclesia, et utrobivis fit revelatio, et per illam separatio, ut et ecclesiae novae instauratio. Ex his constare potest quod per illa verba significetur tutela a Domino, ne laedantur. Si spectantur status successivi ecclesiarum in

nostra tellure, patet quod fuerint sicut status successivi hominis qui reformatur et regeneratur; quod, ut fiat spiritualis homo, primum concipiatur, dein nascatur, tum adolescat, et postea ulterius et ulterius in intelligentiam et sapientiam perducatur. Ecclesia ab antiquissimis temporibus usque ad finem Ecclesiae Judaicae, increvit sicut homo qui concipitur, nascitur et adolescit, et tunc instruitur et docetur; at status successivi ecclesiae, post finem Ecclesiae Judaicae, seu a tempore Domini, usque ad hodiernum diem, fuerunt sicut homo crescit intelligentia et sapientia, seu regeneratur; quem ob finem interiora Verbi, ecclesiae et cultus a Domino, cum fuit in mundo, revelata sunt; et nunc denuo adhuc interiora; et quantum interiora revelantur, tantum potest homo sapientior fieri; nam interior fieri est sapientior, ac sapientior fieri est interior.

642. ***"Ignis egredietur ex ore illorum, et devorabit inimicos illorum."***—Quod significet *quod illaturi damnum illis cadant in mala et falsa quae ab inferno, quae illos perdunt*, constat ex significatione "ignis," quod sit amor in utroque sensu, hic amor sui et mundi, et inde amor mali et falsi omnis generis (de qua supra, n. 68, 504, 539); inde sequitur quod per "Egredietur ignis ex ore illorum" significetur quod in mala et falsa omnis generis, quae ab inferno, cadant, nempe illi qui volunt illis nocere seu damnum inferre: et ex significatione "devorare inimicos illorum," quod sit quod perituri per falsa mali; in Verbo enim per "inimicos" significantur falsa mali, et per "hostes" mala, ac amor mali et falsi est qui perdit. Dicitur quod "ignis egredietur ex ore illorum," sed hoc dictum est secundum apparentiam; secundum quam etiam dicitur quod "ignis et flamma exeat ex ore Dei," et quod "ira et excandescentia ex naso Ipsius," cum tamen ex Ipso nihil ignis irae et excandescentiae exit; est enim ipsum Bonum, ipse Amor, et ipsa Misericordia, ex quibus nihil ignis, irae et excandescentiae potest exire; sed usque ita dicitur quia ita apparet: quod ita appareat est quia cum malus et infernalis spiritus aggreditur aliquod Divinum nocendi causa, sicut cum blasphemat Dominum aut Verbum, aut aliquod bonum et verum doctrinae, aut aliquem bonum spiritum vel angelum quem Dominus tutatur, tunc malus ille spiritus illico se depri-

vat tutela a Domino: omnis enim spiritus tam malus quam bonus in tutela Domini est; qua cum deprivatur, cadit in mala et falsa omnis generis quae ab inferno, et simul tunc cadit in illorum manus qui inde sunt, et punitores vocantur; hi tunc illum secundum malum quod aggressus est facere, aut quod fecit, puniunt et cruciant: exinde constare potest quod non Dominus aliquod malum illis faciat, sed quod ipse malus spiritus sibi, hoc est, ipsum malum quod apud illum. Ex his patet quomodo intelligendum est quod "si quis velit nocere binis testibus, ignis ex ore illorum egredietur, et devorabit illos;" (bini testes sunt bonum amoris et charitatis ac verum doctrinae et fidei, et haec sunt Divina, quia a Domino apud angelum et apud hominem;) quod nempe non ex illis egrediatur ignis, sed ex ipso malo, quod conatur illis inferre damnum, ut nunc dictum est; et quod hoc similiter intelligendum sit sicut quod ignis, ira et excandescentia ex Jehovah dicatur exire. (Sed haec amplius illustrata sunt in opere *De Caelo et Inferno*, n. 545–550, ubi actum est de eo, Quod Dominus neminem in Infernum dejiciat, sed quod ipse Spiritus semet.)

643. *"Et si quis illis voluerit nocere, ita oportet illum occidi."*—Quod significet *quod secundum conatum inferendi malum pereant*, constat ex significatione "velle nocere," quod sit conatus inferendi malum, nam velle est conari; et ex significatione "occidi," quod sit perire, hic quoad vitam spiritualem, quae perit unice a malis et falsis mali, inde enim est mors spiritualis (videatur supra, n. 315, 589). Quod hic iterum dicatur, "Si quis voluerit illis nocere," est quia intelligitur quod quisque pereat secundum voluntatem seu secundum conatum inferendi malum; nam voluntas facit vitam cujusvis. Quod quisque pereat secundum voluntatem nocendi "binis testibus, qui sunt binae olivae et bina candelabra," hoc est, bonum amoris et charitatis ac verum doctrinae et fidei, est quia in voluntate opposita sunt, et voluntas opposita contra bonum amoris et verum doctrinae est infernum, in tantum quanta oppositio est; inde est quod "ita oporteat eum occidi," hoc est, perire, quantum illis voluerit nocere. Praeterea unusquisque homo et spiritus in tutela Domini est, aeque malus ac bonus; et qui in tutela Domini est, ei non malum contingit; nam Domini voluntas est ut nemo pereat, nec ut puniatur: sed quisque tantum in tu-

tela Domini est quantum abstinet a faciendo malum; at quantum non abstinet tantum se ipsum removet a tutela Domini; et quantum se removet tantum a malis spiritibus qui ab inferno laeditur, nam spiritibus inest continua cupido malefaciendi aliis; et quantum extra Divinam Domini tutelam sunt, hoc est, quantum faciunt malum, tantum veniunt in potestatem illorum qui illis malefaciunt puniendo et deprivando talibus quae vitae spiritualis sunt. Verbo, quantum aliquis nocere vult bonis amoris et veris doctrinae tantum "devoratur ab igne et occiditur," hoc est, tantum occupatur a malis et a falsis mali, et tantum spiritualiter moritur; et hoc non fit ex Divino, sed ex ipso malo quod quisque facit.

644[*a*]. [*Vers.* 6.] ***"Hi habent potestatem claudere caelum, ut non pluat pluvia in diebus illorum prophetiae."***—Quod significet *quod illi qui rejiciunt bona et vera caeli et ecclesiae, quae a Domino procedunt, non aliquem influxum e caelo recipiant*, constat ex significatione "claudere caelum," quod sit ne aliquis influxus e caelo recipiatur (de qua sequitur); ex significatione "pluviae," quod sit verum fecundans, quod est verum ex quo bonum quod e caelo defluit (de qua etiam sequitur); et ex significatione "prophetiae eorum," quod sit praedictio de Domino, deque Ipsius adventu, et de bono amoris in Ipsum et de veris fidei in Ipsum; haec revelatio, et ex revelatione praedicatio in fine ecclesiae, est quae principaliter intelligitur per "dies prophetiae duorum testium:" quod sit Dominus qui in fine ecclesiae imprimis praedicatur a binis testibus, est quia "bini testes," qui sunt bonum amoris et verum fidei in Dominum, principaliter testantur de Ipso; quare in sequentibus dicitur

Quod "testimonium Jesu sit spiritus prophetiae" (*Apoc.* xix. 10).

Quod "claudere caelum" sit inhibere ne aliquis influxus e caelo recipiatur, est quia sequitur, "ne pluat pluvia," per quod significatur influxus Divini Veri e caelo; notum enim est quod omne bonum amoris et omne verum fidei influat e caelo, hoc est, a Domino per caelum apud hominem, tum quod continue influat; unde sequitur quod utrumque illud, tam bonum amoris quam verum fidei, nullatenus sit hominis, sed Domini apud illum: utrumque illud influit, quantum malum et falsum non obstant; haec

sunt quae claudunt caelum, ne influant: nam malum et bonum, ac falsum et verum, opposita sunt; quapropter ubi unum est, non potest alterum esse; malum enim apud hominem inhibet ne intret bonum, ac falsum ne intret verum, ac bonum facit ut removeatur malum, et verum ut removeatur falsum; sunt enim opposita sicut sunt caelum et infernum; quapropter unum agit contra alterum cum perpetuo conatu destruendi, ac destruit quod valet. Sunt etiam apud unumquemvis hominem binae mentes, una interior quae vocatur mens spiritualis, et altera exterior quae vocatur mens naturalis; mens spiritualis est creata ad receptionem lucis e caelo, mens autem naturalis ad receptionem lucis e mundo; quare mens spiritualis, quae est interior mens hominis, est caelum apud illum, et mens naturalis, quae est exterior mens hominis, est mundus apud illum. Mens interior, quae est caelum apud hominem, aperitur quantum homo agnoscit Divinum Domini; et tantum homo agnoscit quantum est in bono amoris et charitatis ac in veris doctrinae et fidei; at mens haec interior, quae est caelum apud hominem, tantum non aperitur quantum non agnoscit Divinum Domini, et non vivit vitam amoris et fidei; et mens illa tantum clauditur quantum homo in malis et inde falsis est; quae cum clausa est, tunc mens naturalis fit infernum apud hominem: in mente enim naturali est malum et falsum ejus; quare cum clausa est mens spiritualis, quae est caelum apud illum, tunc dominatur naturalis mens quae est infernum. Ex his constare potest quomodo intelligendum est quod "claudatur caelum ne pluat pluvia." Dicitur hoc de "binis testibus," quod illi potestatem "claudendi caelum" habeant; sed usque non illi claudunt; at malum et falsum, quod apud homines ecclesiae in fine ejus regnat, claudunt: dicitur hoc de testibus similiter ut supra quod "ignis exibit ex ore illorum, et devorabit inimicos," cum tamen non ex illis aliquis ignis exit et devorat (ut in binis superioribus articulis dictum est). Quod "ne pluat pluvia" significet ne influxus Divini Veri e caelo sit, est quia "aqua," ex qua pluvia, significat verum Verbi, et inde verum doctrinae et fidei (videatur supra, n. 71, 483, 518, 537, 538); et quia aqua pluvialis descendit e nubibus in caelo, ideo per "pluere pluviam" significatur influxus Divini Veri a Domino in caelo; et

quia pluvia fecundat terram, ideo per "pluviam" significatur Divinum Verum fecundans et fructificans ecclesiam; unde quoque per "pluviam" significatur benedictio spiritualis.

[**b.**] Quod per "pluviam" in Verbo non intelligatur pluvia, sed Divinum influens, ex quo intelligentia et sapientia tum bonum amoris et verum fidei apud hominem crescit et se fructificat, et quod per "pluere" significetur influxus, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Defluet sicut pluvia doctrina mea, stillabit sicut ros verbum meum; sicut stillae super gramen, et sicut guttae super herbam" (*Deutr.* xxxii. 2):

doctrina hic comparatur pluviae, quia per "pluviam" significatur Divinum Verum procedens, ex quo omne doctrinae; comparationes enim omnes in Verbo etiam ex correspondentiis sunt: quia per "pluviam" significatur Divinum Verum defluens, ideo dicitur, "Defluet sicut pluvia doctrina mea;" per "rorem" significatur bonum, et quia id etiam significatur per "verbum," ideo dicitur, "Stillabit sicut ros verbum meum:" intelligentia et sapientia inde significatur per "stillas super gramen" et per "guttas super herbas;" nam sicut gramen et herba agri crescunt ex aquis pluviae et roris, ita intelligentia et sapientia ex influxu Divini Veri a Domino. Hoc praemittitur a Mose, quia in eo capite de duodecim tribubus Israelis, per quas in sensu spirituali significantur omnia vera et bona ecclesiae, proinde doctrina in toto complexu. Apud eundem,

> "Terra, quam vos transituri ad possidendum illam, est terra montium et vallium; ad pluviam caeli bibit aquas. ....Et dabo pluviam terrae vestrae in tempore suo, tempestivam et serotinam, ut colligas frumentum tuum, et mustum tuum et oleum tuum."....Si vero serviveritis aliis diis, et non in statutis meis ambulaveritis, "excandescet ira Jehovae contra vos, claudet caelum ut non sit pluvia, et terra non det proventum" (*Deutr.* xi. 11, 14, 16, 17):

ita describitur terra Canaan et ejus fecunditas; sed quia per illam terram in spirituali sensu intelligitur ecclesia, sequitur quod omnia descriptionis significent talia quae sunt ecclesiae; sicut "montes," "valles," "frumentum," "mustum," "oleum," "proventus," "pluvia:" "terra montium et vallium" significat ecclesiae superiora et inferiora, seu interna et externa; interna ecclesiae sunt apud ho-

minem internum, qui etiam vocatur spiritualis homo, et externa ecclesiae sunt apud hominem externum, qui vocatur naturalis homo: quod utraque talia sint ut recipiant influxum Divini Veri, significatur per quod "ad pluviam caeli bibat aquas:" quod Divinum Verum influat in utroque statu, nempe dum homo ecclesiae est in statu suo spirituali ac in statu suo naturali, significatur per quod "dabitur pluvia in tempore suo tempestiva et serotina;" homo enim ecclesiae est per vices in statu spirituali et in statu naturali; influxus et receptio Divini Veri in statu spirituali intelligitur per "pluviam tempestivam" seu matutinam, et in statu naturali per "pluviam serotinam" et vespertinam: bonum et verum spirituale et caeleste, quae inde homini ecclesiae sunt, intelliguntur per "frumentum, mustum et oleum," quae colligent: quod falsa doctrinae et cultus inhibitura sint, ut non influat et recipiatur Divinum Verum, unde non aliquod incrementum vitae spiritualis, significatur per "Si serviveritis aliis diis, non erit pluvia, et terra non dabit proventum;" per "alios deos" significantur falsa doctrinae et cultus. Apud eundem,

> "Si in statutis meis ambulaveritis, et praecepta mea observaveritis, et feceritis ea,....et dabit terra proventum.., ac arbor agri dabit fructum suum" (*Levit.* xxvi. 3, 4):

hic per "pluvias quae darentur in tempore suo," et per "proventum e terra," similia quae supra significantur; et quia ecclesia eo tempore fuit ecclesia externa repraesentativa interiorum spiritualium, ideo etiam cum ambulaverunt in statutis et observaverunt praecepta et fecerunt illa, factum est quod acceperint pluvias in tempore suo, et quod terra dederit proventum suum, et arbor agri fructum: sed usque pluviae et inde proventus repraesentabant et significabant, "pluviae" Divinum influens, "proventus" verum doctrinae et intellectum veri, et "fructus arboris" bonum amoris et voluntatem boni; quod constare potest ex eo,

> Quod inhibita fuerit pluvia, et inde facta fames in terra Israelis per annos tres et dimidium, sub Achabo, quia aliis diis serviverunt, et prophetas occiderunt (1 *Reg.* xvii., et cap. [1]xviii.; et *Luc.* iv. 25):

hoc erat repraesentativum et inde significativum, quod non aliquod Divinum Verum e caelo influens potuerit recipi, propter falsa mali, quae significantur per "deos alios."

et per "Baalem," quos coluerunt; per "occidere prophetas" etiam significatur destruere Divinum, per "prophetam" enim in Verbo significatur doctrina veri ex Verbo. Apud *Esaiam*,

> "Ponam" vineam meam "in desolationem, non putabitur, neque sarrietur, ut ascendat sentis et vepris; et nubibus praecipiam, ut non faciant pluere super eam pluviam" (v. 6):

etiam hic dicitur de Jehovah quod "ponat vineam in desolationem," et quod "praecipiat nubibus ut non pluant pluviam super eam," cum tamen hoc non fiat a Jehovah, hoc est, Domino; nam Ille semper influit tam apud malos quam apud bonos, quod intelligitur per quod "pluviam mittet super justos et injustos" (*Matth.* v. 45); sed causa est apud hominem ecclesiae, quod non recipiat aliquem influxum Divini Veri; nam homo qui non recipit, is claudit apud se interiora mentis quae recipiunt, quibus clausis rejicitur Divinum influens: per "vineam" quae ponetur in desolationem, significatur ecclesia; per "non putari et sarriri" significatur non posse excoli et sic praeparari ad recipiendum; per "sentem et veprem" quae ascendent, significantur falsa mali; per "praecipere nubibus ut non pluant pluviam" significatur quod e caelo non aliquis influxus Divini Veri recipiatur. Apud *Jeremiam*,

> "Inhibiti sunt imbres, et pluvia serotina non facta est, sed tamen frons mulieris meretricis mansit tibi, renuisti pudefieri" (iii. 3);

apud eundem,

> "Non dixerunt in corde suo, Timeamus, agite, Jehovam Deum nostrum, dantem pluviam et imbrem tempestivum et serotinum in tempore suo; septimanas, stata tempora messis servat nobis; iniquitates vestrae declinare faciunt haec" (v. 24, 25);

apud *Amos*,

> "Ego prohibui a vobis pluviam, cum adhuc tres menses ad messem usque, ita ut pluere quidem fecerim super unam urbem, et super urbem alteram non fecerim pluere; ager unus pluviam acceperit, sed ager super quem non pluit exaruerit; unde vagatae sunt duae tres urbes ad urbem unam ad bibendum aquas, nec tamen satiatae sunt, nihilominus non reversi estis ad Me" (iv. 7, 8);

apud *Ezechielem*,

> "Fili hominis, dic, Tu terra, quae non mundata, cui non pluvia in die irae, conjuratio prophetarum ejus in medio ejus" (xxii. 24, 25);

apud *Sachariam*,

> "Qui non ascenderit de familiis terrae ad Hierosolymam, ad adorandum Jehovam Zebaoth, non super eos erit pluvia" (xiv. 17):

in his locis etiam "pluvia" significat receptionem influxus Divini Veri, ex quo intelligentia spiritualis; et quod non intelligentia illa detur per aliquem influxum propter mala et falsa quae renuunt recipere et quae rejiciunt illum, significatur per quod "non pluvia." Apud *Jeremiam*,

> "Magnates miserunt minorennes aquae causa; venerunt ad foveas nec invenerunt aquas;....propterea quod terra confracta sit, quod non facta sit pluvia in terra: pudefacti sunt agricolae, obtexerunt caput" (xiv. 3, 4):

per "magnates" intelliguntur qui docent et ducunt, et per "minorennes" qui docentur et ducuntur; per "aquas" significantur vera doctrinae; per "foveas in quibus non aquae" significantur doctrinalia in quibus non vera; per quod "non facta sit pluvia in terra" significatur quod non aliquis influxus Divini Veri recipiatur ob falsa in ecclesia; per "agricolas qui pudefacti, et obtexerunt caput," significantur docentes et illorum dolor.

[*c.*] Apud *Esaiam*,

> "Tunc dabit Jehovah pluviam semini tuo, quo conseris terram, et panem proventus terrae; et erit pingue et opulentum; pascent pecora tua in die illo in prato lato" (xxx. 23);

haec quando venturus est Dominus: influxus Divini Veri procedentis ab Ipso significatur per "pluviam quam semini tunc dabit Dominus;" "pluvia" est influxus Divinus, "semen" est verum Verbi: "conserere terram" significat plantare et apud se formare ecclesiam; per "panem proventus," quem Jehovah dabit, significatur bonum amoris et charitatis quod producitur per vera Verbi vivificata per influxum Divinum; per "pingue et opulentum" significatur plenum bono amoris et veris inde, "pingue" enim dicitur de bono, et "opulentum" de veris: per "pascent pecora in die illo in prato lato" significatur extensio et multiplicatio eorum ex influxu Divino, et inde nutritio spiritualis; "pecora" sunt bona et vera apud hominem, "dies ille" est adventus Domini, "pratum latum" est Verbum per quod Divinus influxus et nutritio spiritualis; "latum" dicitur ab extensione et multiplicatione veri. Apud eundem,

"Sicut descendit pluvia et nix e caelo, nec eo revertitur, sed irrigat terram, et parere facit eam, et germinare facit eam, ut det semen seminanti et panem comedenti; sic erit Verbum meum quod exibit ex ore meo; non revertetur ad Me frustra, sed faciet quod volo, et prospere aget ad quod misi illud" (lv. 10, 11):

hic comparatur Verbum, quod exit ex ore Dei, pluviae et nivi e caelo, quia per "Verbum" intelligitur Divinum Verum a Domino procedens, quod apud nos influit per Verbum, similiter ac per "pluviam et nivem descendentem e caelo;" per "pluviam" significatur Verum spirituale quod appropriatum est homini, et per "nivem" verum naturale, quod est sicut nix dum modo in memoria, sed fit spirituale per amorem sicut nix fit aqua pluviae per calorem: per "irrigare terram, ac parere et germinare facere eam," significatur vivificare ecclesiam ut producat verum doctrinae et fidei ac bonum amoris et charitatis; verum doctrinae et fidei significatur per "semen quod dat seminanti," ac bonum amoris et charitatis per "panem quem dat comedenti;" quod "non revertetur ad Me frustra, sed faciet quod volo," significatur quod recipietur, et quod homo ex eo ducetur spectare ad Dominum. Apud *Ezechielem*,

"Dabo eos et circuitus collis mei benedictionem, et demittam pluviam in tempore suo, pluviae benedictionis erunt: tunc dabit arbor agri fructum suum, et terra dabit proventum suum" (xxxiv. 26, 27):

per "circuitus collis Jehovae" intelliguntur omnes qui in veris doctrinae et inde in bono charitatis sunt; per "demittere pluviam in tempore suo" significatur influxus Divini Veri convenienter secundum affectionem ac voluntatem recipiendi; et quia inde fructificatio boni et multiplicatio veri, vocantur "pluviae benedictionis," et dicitur quod "arbor agri dabit fructum suum, et terra dabit proventum suum;" per "arborem agri" et "terram" significatur ecclesia et homo ecclesiae, per "fructum arboris agri" fructificatio boni, et per "proventum terrae" multiplicatio veri ejus. Apud *Joelem*,

"Filii Zionis, gaudete et laetamini in Jehovah Deo vestro; quia dabit vobis pluviam tempestivam in justitiam, immo descendere faciet vobis pluviam tempestivam et serotinam in primo; ut plenae sint areae frumento puro, et exundent torcularia mustum et oleum" (ii. 23, 24):

per "filios Zionis" significantur illi qui in genuinis veris

sunt, per quae illis bonum amoris; nam per "Zionem" significatur ecclesia caelestis quae in bono amoris in Dominum est per genuina vera: quod Dominus apud illos influat cum bono amoris, et ex illo in vera, significatur per quod "dabit illis pluviam tempestivam in justitiam;" "justitia" in Verbo praedicatur de bono amoris, et per "justos" intelliguntur qui in illo bono sunt (videatur supra, n. 204[a]): quod influat cum bono amoris in vera continue, significatur per quod "descendere faciat pluviam tempestivam et serotinam in primo;" quod inde illis bonum amoris erga fratrem et socium, significatur per quod "illis plenae sint areae frumento puro;" et quod inde illis sit verum ac bonum amoris in Dominum, significatur per quod "exundent torcularia mustum et oleum." Apud illos qui ab ecclesia caelesti Domini sunt, est bonum amoris erga fratrem et socium; qui amor apud illos qui ab ecclesia spirituali Domini sunt, vocatur charitas erga proximum. Apud *Sachariam*

"Petite a Jehovah pluviam in tempore [1]suo, Jehovah faciet nimbos, et pluviam imbris dabit illis, viro herbam in agro" (x. 1):

per "pluviam" etiam hic significatur influxus Divini Veri a Domino, ex quo homini intelligentia spiritualis; "pluvia imbris" significat Divinum Verum in copia influens; et per "dare herbam in agro" significatur cognitio veri et boni ex Verbo, et inde intelligentia. Apud *Davidem*,

"Visitas terram, et delectaris ea, valde ditas eam, rivus Dei plenus aquis, praeparas frumentum eorum, et sic stabilis eam; sulcos ejus irriga, demitte turmas ejus, stillis liquefac illam, germini ejus benedic" (Ps. lxv. 10, 11 [*B. A.* 9, 10]):

per "terram" ibi significatur ecclesia; per "rivum plenum aquis" significatur doctrina plena veris; per "sulcos ejus irrigare, demittere turmas, et stillis liquefacere," significatur implere cognitionibus boni et veri; per "praeparare frumentum" significatur omne quod nutrit animam; quare additur, "Sic stabilis terram," hoc est, ecclesiam: per "benedicere germini" significatur e novo jugiter producere et nascere facere vera. Apud eundem,

"Pluviam benevolentiarum stillare facis, Deus" (Ps. lxviii. 10 [*B. A* 9]);

apud eundem,

"Descendet sicut pluvia super herbam prati.., sicut guttae in fissuram terrae; florebit in diebus Ejus justus" (Ps. [1]lxxii. 6, 7):

in his locis "pluvia" nec significat pluviam, sed influxum Divini Veri apud hominem, ex quo illi vita spiritualis. Apud *Hiobum*,

"Verbum meum non iterabunt, et super illos stillabit sermo meus; et exspectabunt sicut pluviam me, et os suum aperient ad pluviam serotinam" (xxix. 22, 23):

quod per "pluviam" ibi intelligatur verum quod ab aliquo dicitur, et apud alterum influit, patet; nam "verbum," "sermo," et "os aperire" significat verum ab aliquo exiens per loquelam; inde dicitur "pluvia," et "pluvia serotina," tum "stillare" per quod ibi significatur loqui. Apud *Jeremiam*,

"Factor terrae per virtutem suam praeparat orbem, per sapientiam suam et per intelligentiam suam extendit caelos; ad vocem quam dat Ille, multitudo aquarum in caelis, et ascendere facit vapores a fine terrae; fulgura imbri facit, et educit ventum e thesauris suis" (x. 12, 13; cap. li. 16: Ps. cxxxv. 7):

per "orbem," quem Factor terrae per virtutem praeparat, significatur ecclesia in universo terrarum orbe; "virtus" significat potentiam Divini Veri: per "caelos" quos per sapientiam et intelligentiam extendit, significatur ecclesia in caelis correspondens ecclesiae in terris: "sapientia" et "intelligentia" significat Divinum procedens ex quo sapientia boni et intelligentia veri est angelis et hominibus; "extendere" significat formationem et extensionem caelorum in communi, et extensionem intelligentiae et sapientiae apud unumquemvis qui recipit: "ad vocem quam dat Ille, multitudo aquarum in caelis," significat quod ex Divino procedente sint spiritualia vera in immensa copia; "vox" significat Divinum procedens, "aquae" significant vera, et "multitudo" copiam: "ascendere facit vapores a fine terrae" significat vera in ultimis, qualia sunt vera Verbi in sensu litterae in quibus vera spiritualia; "finis terrae" significat ultima ecclesiae, et "vapores" significant vera pro illis qui in ultimis, et "ascendere facere" est ex illis quia in illis, nempe ultimis, dare vera spiritualia quae imprimis fructificant ecclesiam: "fulgura imbri facit" significat illustrationem ab influxu Divini Veri apud illos: "et educit ventum e thesauris suis" significat spiritualia

in Verbo e caelo. Apud *Lucam*,

> "Quando videritis nubem orientem in occasibus, statim dicitur, Imber venit, et fit ita; et quando austrum spirantem, dicitur quod aestus erit, et fit: hypocritae, faciem terrae et caeli scitis probare; tempus hoc quomodo non probatis?" (xii. 54–56:)

per hanc comparationem docet Dominus quod videant terrena, non autem caelestia; et ipsa comparatio, sicut omnes comparationes in Verbo, ex correspondentiis desumpta est; nam per "nubem orientem in occasibus" significatur adventus Domini in fine ecclesiae praedictus in Verbo; "nubes" significat Verbum in littera, "oriens" significat adventum Ipsius, et "occasus" significat finem ecclesiae: "statim dicitur quod imber venit" significat quod tunc influxus Divini Veri: "et quando videritis austrum spirantem" significat praedicationem de adventu Ipsius; "dicitur quod aestus erit" significat quod tunc influxus Divini Boni. Eadem illa etiam significant contentiones et pugnas veri ex bono cum falsis ex malo, nam "imber" et "aestus" etiam significant contentiones et pugnas illas; sequitur enim haec comparatio post verba Domini,

> Quod non venerit ad pacem dandam in terra, sed discidium; et quod dividetur pater contra filium, et filius contra patrem, mater contra filiam et filia contra matrem (vers. 51–53)

per quae verba significatur contentio et pugna illa; quod "imber" etiam illam significet, videbitur infra. Quia comparatio illa in sensu spirituali spectata involvit adventum Ipsius, et quod ex caecitate a falsis inducta non agnoverint Ipsum, tametsi notum illis ex Verbo potuisset esse, ideo sequitur,

> "Hypocritae, faciem terrae et caeli scitis probare, tempus autem hoc non probatis" [(vers. 56)];

nempe tempus adventus Ipsius, et tunc conflictus falsi mali cum vero boni. Apud *Hoscheam*,

> "Cognoscamus et persequamur ad cognoscendum Jehovam; sicut [1]nubes paratus exitus Ipsius, et veniet sicut pluvia nobis, sicut pluvia serotina irrigat terram" (vi. 3):

haec de Domino et de Ipsius adventu; et quia ab Ipso procedit omne Divinum Verum, ex quo vita et salus angelis et hominibus, ideo dicitur quod "veniet sicut pluvia nobis, sicut pluvia serotina irrigat terram;" "irrigare ter-

ram" significat fecundare ecclesiam, quae fecundari dicitur cum multiplicantur vera et inde crescit intelligentia, et cum fructificantur bona et inde crescit caelestis amor. In *Libro Secundo Samuelis*,

> "Mihi locuta est Petra Israelis, ... sicut lux matutae oritur sol, matutae sine nubibus, a splendore post pluviam gramen e terra" (xxiii. 3, 4):

haec quoque de Domino, qui, ex Divino Vero quod ab Ipso procedit, vocatur "Petra Israelis:" quod Divinum Verum ex Divino Bono Ipsius procedat, intelligitur per "Sicut lux matutae oritur sol;" comparatio est cum luce quia "lux" significat Divinum Verum procedens, et cum matuta quia "mane" significat Divinum Bonum, et cum oriente sole quia "oriens" et "sol" significat Divinum Amorem; quod illa sint absque obscuro, significatur per "lucem matutae sine nubibus:" illustratio hominis ecclesiae per receptionem et post receptionem Divini Veri ex Divino Bono Domini, significatur per "a splendore post pluviam;" "splendor" significat illustrationem, ac "pluvia" influxum et inde receptionem: quod inde scientia, intelligentia et sapientia illis qui ab ecclesia sunt, significatur per "gramen e terra;" "gramen" significat nutritionem spiritualem, simile quod "pascuum," et inde scientiam, intelligentiam et sapientiam, quae sunt cibi spirituales; et per "terram" significatur ecclesia et homo ecclesiae. Apud *Matthaeum*,

> "Amate inimicos vestros, benedicite maledicentibus vobis, [1]benefacite odio habentibus vos, et orate pro laedentibus et persequentibus vos; ut sitis filii Patris vestri qui in caelis, qui solem suum exoriri facit super malos et bonos, et pluviam mittit super justos et injustos" (v. 44, 45):

describitur primum charitas erga proximum, quae est bonum velle et bonum facere etiam inimicis, per quod "amarent illos," "benedicerent illis," et "orarent pro illis;" nam genuina charitas non spectat nisi quam bonum alterius: ibi "amare" significat charitatem, "benedicere" instructionem, et "orare" intercessionem; causa est quia intus in charitate est finis benefaciendi: quod hoc sit ipsum Divinum apud hominem, sicut est apud homines regeneratos, significatur per "ut sitis filii Patris vestri in caelis;" "Pater in caelis" est Divinum procedens, nam omnes qui recipiunt illud dicuntur "filii Patris," hoc est,

Domini: per "solem" quem exoriri facit super malos et bonos, significatur Divinum Bonum influens; et per "pluviam" quam mittit super justos et injustos, significatur Divinum Verum influens; nam Divinum procedens, quod est "Pater in caelis," aeque influit apud malos et bonos, sed receptio ejus erit ab homine; tametsi non ita ab homine ut ab homine, sed sicut ab ipso; nam facultas recipiendi continue ei datur, et quoque influit, quantum homo mala obstantia, etiam ex facultate quae continue datur, removet; et ipsa facultas apparet sicut hominis, tametsi est Domini.

[*d.*] Ex his nunc constare potest quod per "pluviam" in Verbo significetur influxus Divini Veri a Domino, unde vita ei spiritualis; et hoc quia per "aquas," ex quibus pluvia, significatur verum doctrinae et verum fidei: at quia per "aquas" in opposito sensu significantur falsa doctrinae et fidei, ideo etiam per "pluviam imbris" seu per "imbrem," aeque ac per "aquarum inundationes" et per "diluvium," significantur non modo falsa destruentia vera, sed etiam tentationes, in quibus homo vel succumbit vel vincit. Haec significantur per "imbrem" apud *Matthaeum*,

> "Omnis qui audit verba mea et facit ea, comparabo [1]eum Viro prudenti, qui aedificavit domum suam super petra: et descendit imber, et venerunt flumina, et flarunt venti, et irruerunt in domum illam, tamen non cecidit..... At qui audit verba mea et non facit illa, comparabitur viro stulto, qui aedificavit domum..super arena; et descendit imber, et venerunt flumina, et flarunt venti, et impegerunt in domum illam, et cecidit, et erat casus ejus magnus" (vii. 24–27):

per "imbrem" et per "flumina" hic intelliguntur tentationes, in quibus homo vincit et in quibus succumbit; per "aquas" falsa quae in tentationibus solito influunt; et per "flumina," quae ibi sunt inundationes aquarum ex imbre, significantur tentationes; per "ventos" qui etiam flant et irruunt, significantur emergentes inde cogitationes, nam tentationes existunt per irruptiones falsorum injectas a malis spiritibus in cogitationes: per "domum," in quam irruunt, significatur homo, proprie ejus mens quae ex intellectu seu cogitatione et ex voluntate seu affectione consistit; qui modo una parte mentis, quae est cogitationis seu intellectus, recipit verba Domini, hoc est, Divina vera, et non simul parte altera quae est affectionis seu

voluntatis, ille homo in tentationibus succumbit, et cadit in gravia falsa, quae sunt falsa mali; quare dicitur, "Erat casus ejus magnus;" at qui utraque parte, nempe tam intellectu quam voluntate recipit Divina vera, is in tentationibus vincit: per "petram," super qua fundatur domus illa, significatur Dominus quoad Divinum Verum, seu Divinum Verum receptum anima et corde, hoc est, fide et amore, quod est intellectu et voluntate; at per "arenam" significatur Divinum Verum receptum modo in memoria et inde aliquantum in cogitatione, et inde sparsum et inconnexum, quia interpolatum a falsis, et falsificatum per ideas: ex his itaque patet quid intelligitur per "audire verba et non facere illa:" quod hic sensus illorum verborum sit, clarius ex mox praecedentibus ibi constare potest. Per "pluviam inundantem" seu "imbrem" significatur inundatio falsorum etiam apud *Ezechielem*,

> "Dic ad incrustantes ineptum quod cadet, quia pluvia inundans, [1]quia vos lapides grandinis cadent, et ventus procellarum perrumpet: ....sic dixit Dominus Jehovih, Faciam perrumpere ventum procellarum in excandescentia mea, et pluviam inundantem in ira mea, et lapides grandinis in fervore in consummationem, et destruam parietem quem incrustatis inepto" ([2]xiii. 11, 13, 14):

per "incrustationem inepti" significatur confirmatio falsi per fallacias, per quas falsum apparet sicut verum; per "lapides grandinis" significantur vera absque bono, ita absque aliqua vita spirituali, quae omnia intus falsa sunt; nam ideae, quae mortuae, faciunt ut sint modo crustae ac sicut picturae in quibus nihil vivi; talia scientifica vera sunt naturalis hominis in quem non influit aliquid e spirituali: per "pluviam inundantem" et per "ventum procellarum" significantur falsa in copia irruentia et imaginaria, ac contentiones de veris, quae faciunt ut nihil veri possit videri, et sic hominem perdunt. Apud eundem,

> "Disceptabo cum" Gogo "peste et sanguine, et pluviam inundantem et lapides grandinis, ignem et sulphur pluere faciam super eum, et super alas ejus, et super populos multos qui cum illo" (xxxviii. [3]22):

per "Gogum" intelliguntur qui in externo cultu absque ullo cultu interno sunt; et quia is cultus similiter consistit sicut ex crustis, in quibus nuclei putrefacti sunt, vel exesi a vermibus, ideo dicuntur "pluvia inundans" et "lapides

grandinis," per quae significantur falsa in copia irruentia et imaginaria, quae hominem perdunt; mala falsi et falsa mali significantur per "ignem" et "sulphur." Per "diluvium aquarum," de quo dicitur

> Quod inundaverit totam terram, et perdiderit omnes praeter Noachum et ejus filios (*Gen.* cap. vii. et viii.),

etiam significatur inundatio falsorum, ex qua tandem Ecclesia Antiquissima destructa est; per "Noachum et ejus filios" significatur ecclesia nova quae Ecclesia Antiqua dicenda est, et ejus post devastationem Ecclesiae Antiquissimae instauratio. (Sed singula, per quae diluvium et per quae salvatio familiae Noachicae in illis capitibus descripta sunt, videantur in *Arcanis Caelestibus* explicata. Quod "aquae" significent vera, ac in opposito sensu falsa videatur supra, n. 71, 483, 518, 537, 538: et quod "inundationes aquarum" significent inundationes falsorum ac tentationes, etiam supra, n. 518[*e*], fin.)

645. ***"Et potestatem habent super aquas vertere illas in sanguinem."***—Quod significet *quod vera apud illos vertantur in falsa ex malo*, constat ex significatione "potestatem habere," cum de "oleis" et de "candelabris" per quae significantur bona amoris et vera doctrinae, quod ipsa non potestatem habeant, nempe vertere vera in falsa, quia contra illorum naturam, quae est, vertere falsa in vera, nam bonum apud illos agit non malum; sed usque apparet sicut potestatem illam habeant, et quoque sicut faciant, quia evenit quando laeduntur; at est malum quod ab inferno, seu infernum e quo omne malum, quod "vertit aquas in sanguinem," hoc est, vera in falsa ex malo: ex significatione "aquarum," quod sint vera (de qua supra, n. 71, 483, 518, 537, 538); et ex significatione "sanguinis," quod sit verum Verbi et inde doctrinae ex Verbo, ac in opposito sensu falsum, in specie falsificatum verum Verbi; nam "sanguinem effundere" significat violentiam inferre charitati et quoque Divino Vero quod in Verbo. (Sed de sanguinis significatione in utroque sensu, videatur supra, n. 329.)

646. ***"Et percutere terram omni plaga."***—Quod significet *quod ecclesia apud illos per concupiscentias mali pereat*, constat ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua supra pluries); et ex significatione "plagae," quod sint talia quae destruunt vitam spiritualem, proinde ecclesiam, quae in summa se referunt ad cupiditates amoris sui et mundi, ita ad concupiscentias mali (de qua etiam supra, n. 584): inde per "[1]convertere aquas in sanguinem" [2]significatur quod

apud illos qui nocere et damnum inferre volunt "binis testibus," qui sunt bona et vera caeli et ecclesiae quae agnoscunt et confitentur Dominum, vertantur bona in mala et inde vera in falsa: quod ita fiat, quisque potest videre et concludere ex eo, quod omne bonum amoris et verum fidei sit a Domino, et quod illi qui non agnoscunt et confitentur Dominum non possint aliquod bonum amoris et verum fidei recipere; nam per non agnitionem et per negationem claudunt sibi caelum, hoc est rejiciunt omnem influxum boni et veri e caelo, seu per caelum a Domino; inde est quod in suo proprio sint, quod in se spectatum non est nisi quam malum et inde falsum; quare non aliud possunt cogitare nec aliud velle, quia ex suo proprio seu ex se, quam quod ex amore sui et ex amore mundi, et ex illorum concupiscentiis, scaturit, et prorsus nihil quod ex amore in Dominum et ex amore erga proximum; et qui ex amoribus sui et mundi et illorum concupiscentiis solis volunt et cogitant, non possunt aliter quam mala velle et falsa cogitare. Quod ita sit, videri et concludi potest a quolibet qui scit quod omne bonum et verum sit a Domino, ac omne malum et falsum a proprio hominis. Sciendum est quod quantum homo agnoscit Dominum, et vivit secundum praecepta Ipsius, tantum elevetur supra proprium suum; elevatio est e luce mundi in lucem caeli. Quod homo elevetur supra suum proprium, ille, dum in mundo vivit, nescit, quia non sentit; sed usque est elevatio, aut sicut attractio interioris intellectus et interioris voluntatis hominis ad Dominum, et inde est conversio faciei hominis quoad spiritum suum ad Ipsum: hoc tamen manifestatur homini bono post mortem, nam tunc conversio faciei ejus perpetua est ad Dominum, et sicut attractio ad Ipsum ut ad centrum commune (de qua conversione videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 17, 123, 142–145, [1]253, 272, 552, 561). Sed quia secundum Divinum ordinem est, quod ubi attractio ibi debeat esse impulsio, nam attractio absque impulsione non datur, ideo secundum Divinum ordinem est ut apud hominem etiam sit impulsio; quae tametsi ibi est a Domino, usque apparet sicut foret ab homine, et apparentia facit ut sit sicut hominis. Impulsio illa quasi ab homine correspondens attractioni a Domino est agnitio, ita receptio ex agnitione et confessione Domini, et ex vita secundum praecepta Domi-

ni: hoc a parte hominis et ejus vitae libero erit; sed usque homo agnoscet quod etiam hoc sit a Domino, tametsi ex obscuro perceptionis, in quo homo est, non id aliter sentit quam sicut a se. Haec dicta sunt ut sciatur quod homo, qui negat Dominum, non aliter possit quam in malis et inde falsis esse, quia non potest subduci a proprio, hoc est, elevari supra id; nec in aliqua attractione a Domino, et inde in conversione quoad interiora quae mentis ejus sunt ad Dominum.

647. ***"Quotiescunque voluerint."***—Quod significet *quoties homo aggreditur bona amoris et vera doctrinae, quae testantur de Domino, et ex quibus homo agnoscet et confitetur Dominum, ad malum illis inferendum*, constat ex significatione "quotiescunque voluerint," cum de "binis testibus," per quos intelliguntur qui agnoscunt et confitentur Dominum, quod non ipsi velint et faciant mala quae huc usque memorata sunt; sed quod ipsi mali sibi, quando aggrediuntur bona et vera quae a Domino procedunt, ad damnum illis inferendum: in sensu enim litterae Verbi adscribitur Jehovae Deo, hoc est, Domino, quod irascatur, excandescat, furiat contra [1]malos, et quod faciat illis malum, immo quod velit facere, cum tamen Dominus nusquam irascitur et excandescit, et inde alicui malum vult et facit; nam Dominus influit ex bono cum bono et ex vero cum veris ex bono apud omnem hominem, vult enim adducere cunctos ad Se et salvare: ex his constare potest, quod hoc, "quotiescunque testes voluerint," non intelligatur quoties velint, sed quoties mali volunt, hoc est, ex velle malum faciunt; hoc est, aggrediuntur bona et vera caeli et ecclesiae quae a Domino, ad damnum illis inferendum. Quod non Dominus, proinde nec bonum amoris et verum fidei quae sunt Domini apud hominem et angelum, alicui malum velint, constare potest ex eo, quod Dominus Deus non sit causa mali apud aliquem; et qui non est causa mali, nec est causa poenae; sed quod ipsum malum quod apud hominem sit causa: in mundo spirituali, ubi caelum et ubi infernum, omnia ita ordinata sunt ut Dominus nusquam aliquem in infernum dejiciat, sed quod ipse spiritus malus semet (videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 545–550); et hoc quia Dominus non est causa mali; et qui non est causa mali, ille nec est causa alicujus effectus qui ex

malo existit: ex his nunc patet quod haec quae in hoc versu continentur, nempe, quod "duo testes potestatem habeant claudere caelum, ut non pluat pluvia," et quod "potestatem habeant super aquas convertere illas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint," non intelligenda sint secundum sensum litterae, sed secundum sensum spiritualem; qui est, quod ipsi qui malum faciunt "binis testibus" sibi talia inducant; nam quantum aliquis malum illis facit, tantum claudit sibi caelum, et tantum vera vertit apud se in falsa, et tantum ipse per concupiscentias mali semet perdit.

VERSUS 7, 8.

648. ***"Et cum absolverint testimonium suum, bestia ascendens ex abysso faciet bellum cum illis, et vincet illos, et occidet illos. Et corpora illorum super platea urbis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus, ubi et Dominus noster crucifixus est."***

7. ***"Et cum absolverint testimonium suum,"*** significat *in fine ecclesiae, quando non amplius agnoscitur Divinum Domini, et inde non amplius est bonum amoris et verum doctrinae* [n. 649]; ***"bestia ascendens ex abysso faciet bellum cum illis,"*** significat *impugnationem ex infernali amore* [n. 650]; ***"et vincet illos, et occidet illos,"*** significat *inde destructionem omnis boni et veri ecclesiae* [n. 651].

8. ***"Et corpora illorum super platea urbis magnae,"*** significat *exstinctionem illorum ex malis et falsis doctrinae* [n. 652]; ***"quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus,"*** significat *per mala amoris sui et per falsa inde* [n. 653, 654]; ***"ubi et Dominus noster crucifixus est,"*** significat *a quibus, nempe malis et inde falsis oriundis ex amore infernali, Dominus rejectus et condemnatus sit* [n. 655].

649. [*Vers.* 7.] ***"Et cum [1]absolverint testimonium."***—Quod significet *in fine ecclesiae, quando non amplius agnoscitur Divinum Domini, et inde non amplius est bonum amoris et verum doctrinae*, constat ex significatione "testimonii," quod sit agnitio Divini in Domino, et inde bonum amoris et verum doctrinae (de qua sequitur); et ex significatione "absolvere illud," quod sit finire; et quia hoc finitur in fine ecclesiae, ideo per "absolvere" hic significatur finis ecclesiae; quia tunc non amplius est aliqua agnitio Divini in Domino, ideo nec est aliquod bonum amoris et verum doctrinae. Quod hoc per "testimonium" significetur, constare potest ex illis quae hactenus dicta sunt de "binis testibus;" quod nempe per illos intelligatur bonum amoris et charitatis ac verum doctrinae et fidei, quia illa principaliter testantur de Domino; sunt enim ab Ipso, et sunt

Ipsius apud hominem; inde per "testimonium illorum" significatur praedicatio de illis. Quod sit agnitio Divini in Domino, quae per "testimonium" hic significatur, constat ex sequentibus in *Apocalypsi*, ubi dicitur

Quod testimonium Jesu sit spiritus prophetiae (cap. xix. 10);

nam nisi homo id agnoscit ex corde, et credit ex spirituali fide, in nulla facultate recipiendi bonum amoris et verum doctrinae esse potest. In fine ecclesiae quidem praedicatur Dominus, et quoque ex doctrina addicatur Ipsi Divinum simile Divino Patris; attamen vix aliquis cogitat de Divino Ipsius, ex causa quia id ponunt supra aut extra Humanum Ipsius; quare cum ad Divinum Ipsius spectant, non ad Dominum spectant, sed ad Patrem sicut ad alium; cum tamen Divinum quod "Pater" vocatur est in Domino, ut Ipse docet apud *Johannem* (cap. x. 30, 38; cap. xiv. 7). Inde est quod homo de Domino non aliter cogitet quam sicut de vulgari homine; et ex illa cogitatione fluit ejus fides, utcunque ore dicit quod credat Divinum Ipsius. Exploret quisque, si possit, ideam cogitationis suae de Domino, annon talis sit; et cum talis est, non potest conjungi Ipsi fide et amore, et per conjunctionem aliquod bonum amoris et verum fidei recipere. Inde nunc est quod in fine ecclesiae non aliqua agnitio Domini sit, hoc est, Divini in Domino et a Domino: creditur sicut agnoscatur Divinum Domini exinde, quia ex doctrina ecclesiae est; sed dum Divinum ab Humano Ipsius separatur, usque Divinum Ipsius non agnoscitur interius sed modo exterius; et exterius agnoscere est solum ore et non corde, seu est modo loquela et non fide. Quod ita sit constare potest ex Christianis in altera vita, ubi cordis cogitationes manifestantur: quando illis conceditur loqui ex doctrina et ex auditis e praedicatione, tunc Domino Divinum addicunt, et id vocant suam fidem; sed cum interior eorum cogitatio et fides exploratur, tunc de Domino non aliam ideam quam sicut de vulgari homine, cui non Divinum est, habent. Interior hominis cogitatio est unde ejus fides est; et quia illa est cogitatio et inde fides ejus spiritus, patet quod non aliqua agnitio Divini in Domino et a Domino sit in Christiano orbe in fine ecclesiae: verbo, agnitio Divini Domini externa quidem est, sed nulla interna;

et agnitio externa est solius naturalis hominis, at interna est ipsius ejus spiritus; et externa post mortem sopitur, et interna est spiritus ejus. Ex his aliquantum constare potest quomodo sequentia intelligenda sunt; nempe, quod "bestia ex abysso ascendens vincet et occidet binos testes," et quod "visuri corpora eorum in platea urbis quae vocatur Sodoma et Aegyptus," at quod "postea spiritus vitae in illos intraverit."

650[*a*]. ***"Bestia ascendens ex abysso faciet bellum cum illis."***—Quod significet *impugnationem ex infernali amore*, constat ex significatione "bestiae," quod sit affectio naturalis hominis in utroque sensu (de qua sequitur); ex significatione "abyssi," quod sit infernum (de qua supra, n. 538): et ex significatione "bellum facere," quod sit impugnare; nam per "bella" in Verbo non significantur bella qualia sunt in nostro mundo, sed qualia in spirituali mundo, quae omnia sunt pugnae per falsa ex malo contra vera ex bono; quod talia per "bella" in Verbo significentur, constabit in sequentibus, ubi iterum "bella" nominantur. Ex his constare potest quod per quod "bestia ascendens ex abysso faciet bellum cum illis," nempe "testibus," significetur quod infernalis amor ex falsis mali impugnaturus vera boni. Antequam ostenditur quod per "bestiam" significetur amor seu affectio naturalis hominis, aliquid dicetur de impugnatione. Amor infernalis imprimis est amor sui; nam amor sui est amor proprii hominis, et proprium hominis non est nisi quam malum: quare quantum homo in illo amore est, tantum est contra Dominum, et inde contra bonum amoris et charitatis ac contra verum doctrinae et fidei, ita contra illos "binos testes:" inde est quod inferna ubi amor sui regnat, sint inferna diriora et maligniora, ac e diametro contra Dominum, et inde jugiter impugnant bona amoris et fidei, quia illa sunt a solo Domino, et Dominus sunt illa apud hominem et angelum. Quod illa inferna sint diriora reliquis constare potest ex eo, quod continue spirent necem illorum qui confitentur Divinum Domini, proinde necem illorum qui in bono amoris et in bono fidei sunt in Dominum a Domino: quod illa inferna sint maligniora reliquis, est quia quantum homo in amore sui est, et simul in amore propriae intelligentiae, tantum ejus lumen naturale est in quodam quasi splendore; est enim

amor sui sicut ignis, qui id lumen accendit; inde est quod ingeniose possint cogitare et ratiocinari contra Divinum, et contra omnia caeli et ecclesiae. Quandoque stupefactus sum quando audivi tales, credens quod etiam prae aliis potuissent adduci ad recipiendum fidem; sed animadverti quod hoc impossibile esset; nam quantum corporea, mundana et naturalia in luce fuerunt, tantum illis caelestia et spiritualia in caligine fuerunt; caligo visa est, quod prorsus furva cum immixto igneo esset: hoc multa experientia potuissem confirmare, si locus foret exspatiandi ad experiëntias. Amor sui est qui in specie hic intelligitur per "bestiam ascendentem ex abysso," quae bellum cum binis testibus fecit, et illos occidit. Quod "bestia" significet amorem seu affectionem naturalis hominis in utroque sensu, constare potest a permultis locis in Verbo: et quia hactenus ignotum fuit, et sicut alienum apparet, quod "bestiae" amorem seu affectionem naturalis hominis significent, necessum est ut id confirmetur e Verbo. Quod affectiones naturales per "bestias" significentur, est quia illae affectiones sunt prorsus similes affectionibus bestiarum, et inde homo [1]qui non per bona et vera caeli imbuit affectiones spirituales, parum a bestiis differt. Nam homini prae bestiis superaddita est facultas spiritualiter cogitandi et inde volendi, ex qua eminenter potest res abstractas videre et percipere; et si spiritualis illa facultas non vivificatur per cognitiones veri et boni, et dein per fidem et vitam fidei, non melior bestiis est, nisi solum quod ex facultate illa superiore possit cogitare et loqui. Quoniam affectiones naturalis hominis significantur per "bestias," ideo affectiones illae, cum in mundo spirituali sistuntur videndae in forma animalium simili, apparent prorsus sicut formae variarum bestiarum; ut sicut agni, oves, caprae, haedi, hirci, juvenci, boves, vaccae, et quoque sicut cameli, equi, muli, asini, ut et sicut ursi, tigres, leopardi, leones, tum sicut canes et serpentes plurium generum: sed talia sunt modo apparentiae affectionum quae apud spiritus; quae cum apparent, etiam scitur ibi non solum quod inde sint, sed etiam a quibus; verum ut primum affectiones apud illos cessant, etiam apparentiae illae cessant. Ex his quoque constare potest unde est quod toties nominentur "bestiae" in Verbo. Sed ad con-

firmationes inde:—Apud *Davidem*,

> "Dominari fecisti Ipsum super opera manuum tuarum, omnia posuisti sub pedes Ipsius; gregem et armenta [omnia], etiamque bestias agrorum, avem caeli et pisces maris" (Ps. viii. 7–9 [*B. A.* 6–8]):

haec de Domino, de quo in toto illo capite agitur, deque dominio Ipsius super omnia caeli et ecclesiae: illa quae caeli et ecclesiae sunt, intelliguntur hic et alibi in Verbo per "opera manuum Jehovae;" et quia dominium Ipsius super illa est, et quia spiritualia per naturalia in Verbo exprimuntur, Verbum enim in sinu est spirituale, inde per "gregem," "armenta," "bestias agrorum," "aves caeli," et "pisces maris," non illa intelliguntur, sed spiritualia quae sunt caeli et ecclesiae: per "gregem" et "armenta" significantur spiritualia, et naturalia quae ex origine spirituali sunt; per "gregem," nempe per "agnos," "haedos," "capras," "oves," "arietes," spiritualia; et per "armenta," quae sunt "juvenci," "boves," "vaccae," "cameli," naturalia ex spiritualibus; per "bestias agrorum" significantur affectiones naturalis hominis, per "aves caelorum" cogitationes inde, et per "pisces maris" scientifica naturalis sensualis hominis; quid alioqui foret describere dominium Domini super alia? Apud eundem,

> "Pluviam benevolentiarum stillare facis, Deus; hereditatem tuam.. laborantem confirmabis..; fera tua," coetus tuus, "habitabunt in ea" (Ps. lxviii. 10, 11 [*B. A.* 9, 10]):

ibi manifeste "fera" pro populo qui recipit influxum Divini Veri a Domino; nam "hereditas Dei," per quam significatur ecclesia, dicitur "fera tua," coetus tuus, "habitabunt in ea;" per "pluviam benevolentiarum" significatur influxus Divini Veri ex Divina clementia. Apud eundem,

> Jehovah "qui emittit fontes in fluvios, inter montes eant, potum praebent omni ferae, frangunt onagri sitim suam, juxta illos avis caelorum habitat, ab inter ramos edunt vocem:....qui germinare facit gramen bestiae, et herbam in ministerium hominis ad educendum panem e terra. ....Disponis tenebras ut fiat nox, in qua prodit omnis fera silvae;....mare magnum et latum spatiis, ibi reptile cui non numerus, ferae parvae cum magnis" (Ps. civ. 10, 11, [12,] 14, 20, 25):

etiam haec de Domino, et per illa verba describitur instauratio ecclesiae apud gentes; quare per "feras," "bestias" et "aves" significantur talia quae apud hominem ecclesiae sunt.

[*b*.] Sciendum est quod in pluribus locis nunc dicatur "bestia" et nunc "fera," et quod per "feram" non intelligatur fera in eo sensu quo capta est idea de feris; nam "fera" in Hebraea lingua derivatur ex voce quae significat vitam; inde pro "fera" in quibusdam locis potius dicendum est *animal;* quod etiam constare potest ex eo, quod "quatuor animalia" in quibus cherubi visi sunt, per quos significatur Divina providentia et tutela, apud *Ezechielem* (cap. [1]i., x.) nominentur "ferae;" pariter apud *Johannem* in *Apocalypsi*, ubi agitur de "quatuor animalibus circa thronum," per quae etiam intelliguntur cherubi. Sed usque in Verbo probe distinguitur inter "bestias" et "feras;" et per "bestias" significantur affectiones naturalis hominis quae sunt ejus voluntatis, et per "feras" affectiones naturalis hominis quae sunt ejus intellectus. Quia "fera" in lingua Hebraea derivatur ex voce quae significat vitam, ideo Eva uxor Adami ex illa voce nominata est. Hoc praemittitur ut sciatur quid per "feram" et quid per "bestiam" in proprio sensu significatur. Quid significatur per quod "Jehovah emittet fontes in fluvios, ut inter montes eant, potum praebent omni ferae agrorum, frangunt onagri sitim, juxta illos avis caelorum habitat," explicatum est supra (n. 483[*a*]): quod "Jehovah germinare faciat gramen bestiae, et herbam in ministerium hominis, ad educendum panem e terra," significat instructionem et nutritionem naturalis et spiritualis hominis per vera ex Verbo, ut inde bonum amoris et charitatis; per "gramen" significatur verum naturalis hominis, quod est verum scientificum (videatur supra, n. 507); per "bestiam" significatur affectio ejus quae vult instrui et spiritualiter nutriri; per "herbam" significatur verum spiritualis hominis, per "hominem" intelligentia inde, et per "panem" significatur bonum amoris et charitatis, quod nutritur per vera: quia per "tenebras" et per "noctem" significatur lumen naturalis hominis, quod respective est sicut nox ad lucem spiritualis hominis, per "feram silvae" affectio scientificorum, per "mare magnum et latum spatiis" ipsum naturale, per "reptile cui non numerus" scientificum ibi, et per "feras parvas et magnas" variae affectiones, patet quid significatur per "Disponis tenebras ut fiat nox, in qua prodit omnis fera silvae; mare magnum et latum spatiis; ibi rep-

tile cui non numerus, ferae parvae cum magnis."—Apud eundem,

> "Serent agros et plantabunt vineas, et facient fructum proventus, et benedicet iis ut multiplicentur valde ; et bestiam eorum non diminuet, [1]at diminuuntur et incurvantur prae vehementia malitiae et maerore" (Ps. cvii. 37–39):

agitur in toto illo capite de adventu Domini et de Redemptione ab Ipso; quod tunc illis vera, per quae apud illos implantabitur ecclesia, significatur per quod "serent agros, et plantabunt vineas;" quod inde illis bona ecclesiae et inde crescent vera, significatur per quod "facient fructum proventus," quod "Jehovah benedicet illis, ut multiplicentur valde;" quod tunc illis permansura sit omnis affectio bona naturalis hominis, significatur per quod "bestiam eorum non diminuet;" quod illae affectiones [2]alioqui perituræ essent per mala, significatur per "Diminuuntur et incurvantur prae vehementia malitiae et maerore." Apud eundem,

> "Laudate Jehovam,...balaenae et omnes abyssi,....fera et omnis bestia, reptile et" omnis "avis alae" (Ps. cxlviii. 7, 10):

in eo psalmo enumerantur perplura quae in mundo absque vita sunt, quae laudabunt Jehovam; sicut "ignis," "grando," "nix," "vapor," "ventus procellae," "montes," "colles," "arbores," "fructus," "cedri;" tum etiam hic "ferae," "bestiae," "reptilia" et "aves;" quae tamen usque non laudare possunt Jehovam. Quis non videt quod recensio talium in Divino Verbo supervanea foret, si non quodlibet significaret aliquid apud hominem quod Jehovam laudare, hoc est, colere potest? Ex scientia correspondentiarum scitur quod "balaenae" significent scientifica naturalis hominis in communi, quod "abyssi" et "maria" ipsum naturale ubi scientifica sunt, "ferae" et "bestiae" affectiones naturalis hominis tam quae ejus intellectus quam quae ejus voluntatis sunt, "reptilia" sensuale quod est ultimum naturalis hominis, et "aves alae" cogitativum inde. Apud eundem,

> Jehovah "qui praeparat terrae pluviam, qui germinare facit montes gramen, qui dat bestiae cibum ejus, filiis corvi qui invocant" (Ps. cxlvii. 8, 9):

singula haec etiam significant spiritualia quae sunt caeli et ecclesiae: quid ad Verbum, quod unice docet hominem

viam ad caelum, quae sunt vera fidei et bona amoris, quod dicatur de Jehovah quod "praeparet terrae pluviam, germinare faciat montes gramen, det bestiis cibum, et filiis corvi qui invocant Ipsum"? Haec tamen usque digna Divino Verbo sunt, quando per "pluviam" intelligitur influxus Divini Veri, per "montes" bonum amoris, per "germinare facere gramen" instructio naturalis hominis per cognitiones e Verbo, per "bestias" affectiones naturalis hominis, quae desiderant inde nutriri; nutritio significatur per "dare cibum:" et cum per "filios corvi" significentur naturales homines, qui in tenebricoso lumine ex fallaciis sunt de veris Divinis, in quali fuerunt multi ex gentibus, quare dicitur quod "det filiis corvi qui invocant," illi enim invocare Jehovam possunt, non autem filii corvi. Apud eundem,

> "Mihi omnis fera silvae, bestiae in montibus millium; novi omnem avem montium, et fera agrorum meorum Mecum" (Ps. l. 10, 11):

haec quidem de sacrificiis dicta sunt, quod Dominus non illis delectetur, sed confessione cordis et invocatione; at usque per "feram silvae," "bestias in montibus," perque "avem montium" et "feram agrorum," significantur similia quae supra, nempe quae apud hominem ecclesiae sunt. Apud eundem,

> "Justitia tua sicut montes Dei, judicia tua abyssus magna, hominem et bestiam servas, Jehovah" (Ps. xxxvi. 7 [*B. A.* 6]):

per "hominem" et "bestiam" significatur affectio interior quae spiritualis ex qua intelligentia, et affectio exterior quae naturalis ex qua scientia intelligentiae correspondens. Similia per "hominem" et "bestiam" significantur in sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> Dixit Deus Israelis, "Ego feci terram, hominem et bestiam, quae super faciebus terrae, per virtutem meam magnam" (xxvii. 5; cap. [1]xxxvi. 29);

apud eundem,

> "Ecce dies venient,...quibus seminabo domum Jehudae semine hominis et semine bestiae" (xxxi. 27);

apud eundem,

> "Adhuc audietur in loco hoc, de quo dicitis, Devastatus ille ut non homo et non bestia, et in urbibus Jehudae, et in plateis Hierosolymae devastatis, ut non homo et non-habitator, et non bestia, vox gaudii et vox laetitiae" (xxxiii. 10-12);

apud eundem,

"Desolatio erit" tota terra, "ut non homo et bestia" (xxxii. 43);

apud eundem,

"Percutiam habitatores urbis hujus, et hominem et bestiam; peste magna morientur" (xxi. 6);

apud eundem,

"Ascendit contra" Babelem "gens a septentrione; haec ponet terram ejus in desolationem, ut non sit habitans in ea; ab homine usque ad bestiam se dimoverunt, abiverunt" (l. 3);

apud eundem,

"Ira mea et excandescentia mea effusa est super locum hunc, super hominem et super bestiam" (vii. 20);

apud *Ezechielem*,

"Quando terra peccaverit Mihi,....frangam illi baculum panis, et mittam in eam famem, et exscindam ex ea hominem et bestiam" (xiv. 13, 17, 19);

apud eundem,

"Extendam manum meam super Edomum, et exscindam ex ea hominem et bestiam" (xxv. 13);

apud eundem,

"Perdam omnem bestiam" Aegypti "desuper aquis multis, ut non turbet eos pes hominis amplius, nec ungula bestiae turbet illas" (xxxii. 13);

apud eundem,

"Multiplicabo super vobis hominem et bestiam ut crescant et fructificent" (xxxvi. 11);

apud *Zephaniam*,

"Consumendo consumam omnia desuper faciebus terrae,...consumam hominem et bestiam, consumam avem caelorum, et pisces maris, et offendicula cum impiis, et exscindam hominem a faciebus terrae" (i. 2, 3);

apud *Sachariam*,

Dixit angelus qui venit ad metiendum Hierosolymam, "Curre, loquere ...dicendo, Suburbia habitabit Hierosolyma, prae multitudine hominis et bestiarum in medio ejus" (ii. 7, 8 [*B. A.* 3, 4]);

apud eundem,

"Confortent se manus vestrae,....quia templum aedificabitur; nam ante dies hos non fuit pretium hominis nec pretium bestiae, nam exeunti et intranti non pax ab hoste" (viii. 9, 10):

in his locis per "[1]hominem" significatur interius seu spirituale, et per "bestiam" exterius seu naturale; proinde

per "hominem" affectio spiritualis veri ex qua omnis intelligentia, et per "bestiam" affectio naturalis correspondens spirituali: quod exterius seu naturale per "bestiam" significetur, est quia homo quoad externum seu naturalem hominem non est nisi quam bestia; similibus enim cupiditatibus, et quoque voluptatibus, appetitibus et sensibus gaudet, sic ut homo quoad illa sit prorsus similis bestiae; quare naturalis homo potest animalis homo vocari: quod autem internum seu spirituale per "hominem" significetur, est quia homo quoad internum seu spirituale suum est homo; id gaudet affectionibus boni et veri talibus quae sunt apud angelos caeli; et quia homo per illud apud se regit naturalem suum hominem qui bestia est.

[*c.*] Quia homo spiritualis et naturalis per "hominem" et "bestiam" significatur, ideo in Historia Creationis (cap. i. *Genes.*) memoratur quod eodem die, nempe sexto, creatae sint bestiae et quoque homo; et dein quod homini datum sit dominium super bestias. De creatione bestiarum et hominis eodem die, et de dominio hominis super bestias, ita legitur in *Genesi*,

> "Dixit Deus, Producat terra animam viventem secundum speciem suam, [bestiam] et se movens, et feram terrae secundum speciem suam; et factum ita. Et fecit Deus feram terrae secundum speciem suam, et bestiam secundum speciem suam, et omne reptans humi secundum speciem suam.... Et dixit Deus, Faciamus hominem in imaginem nostram, secundum similitudinem nostram; et dominabuntur in pisces maris, et in avem caelorum et in bestiam, et in omnem terram, et in omne reptans quod reptat super terra. ....Et fuit vespera et mane dies [1]sextus" (i. 24-31):

per "creationem caeli et terrae" in eo capite in sensu spirituali describitur nova creatio seu regeneratio hominis Ecclesiae Antiquissimae; inde est quod per "bestiam" ibi significetur externus seu naturalis homo, et per "hominem" internus spiritualis, et quod per "dominium super bestias" ibi intelligatur dominium spiritualis hominis super naturalem. Quod datum sit illius ecclesiae homini nosse omnes affectiones naturalis hominis, ob causam ut dominaretur super illas, significatur per haec verba in *Genesi*,

> "Formavit Jehovah..ex humo omnem bestiam agri, et omnem avem caelorum, et adduxit ad hominem ad videndum quid vocaret id; et quicquid vocavit id homo, animam viventem, id nomen ejus; et vocabat homo nomina omni bestiae et avi caelorum, et omni ferae agri" (ii. 19[, 20]):

per "vocare nomen" in sensu spirituali significatur nosse quale rei, seu qualis est; ita hic, quales essent omnes affectiones, cupiditates, voluptates, appetitus, tum cogitationes et inclinationes naturalis hominis, et quomodo concordarent et corresponderent affectionibus et perceptionibus spiritualis hominis: nam a creatione datum est spirituali homini videre omnia naturalis hominis, et simul percipere concordantiam et discordantiam ejus cum spirituali, ob causam ut possit regere illum, et admittere concordantia et rejicere discordantia, et sic fieri spiritualis, etiam quoad effectus, qui fiunt medio naturali homine. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 142–146.) Quoniam per "hominem" in Verbo proprie significatur homo internus seu spiritualis, et per "bestiam" externus seu naturalis, ideo ex mandato Dei omnes bestiae et aves cum Noacho introductae sunt in arcam, de qua re ita in *Genesi*,

> "Dixit Jehovah Noacho,.... De omni bestia munda accipias tibi septena septena, marem et feminam, et de bestia quae non munda bina, marem et feminam..:" et accepit "de bestia munda et de bestia non munda, et de ave, et de omni quod reptat super terra; bina bina intrarunt ad Noachum in arcam, masculus et femina" (vii. 1–9):

per "diluvium" Noachicum in sensu spirituali describitur exitium Antiquissimae Ecclesiae, et quoque ultimum judicium super homines istius ecclesiae; et per "Noachum et ejus filios" in eodem sensu intelligitur et describitur ecclesia succedens, quae Ecclesia Antiqua vocanda est: inde sequitur quod per "bestias" introductas in arcam cum Noacho intelligantur affectiones naturalis hominis correspondentes affectioni spirituali, quae fuerunt hominibus istius ecclesiae. (Sed haec etiam videantur explicata in *Arcanis Caelestibus*.) Quoniam per "hominem" significatur internus spiritualis homo, et per "bestiam" externus seu naturalis, et per "Aegyptum" naturalis homo separatus a spirituali, qui prorsus est deperditus, et non amplius homo sed bestia, ideo ubi agitur de exitio Aegypti, memoratur

> Quod Jehovah pluere fecerit grandinem, cui ignis fuit immixtus, et percusserit omne quod in agris ab homine usque ad bestiam (*Exod.* ix. 22–25).

(De qua re videantur etiam *Arcana Caelestia*.) Propter repraesentatio-

nem ejusdem rei, et inde significationem, etiam

> Jehovah percussit "omne primogenitum in terra Aegypti, ab homine usque ad bestiam" (*Exod.* xii. 12, 29).

At vicissim apud filios Israelis, per quos repraesentata est ecclesia, mandatum est

> Ut sacrificarentur Jehovae omnia primogenita de homine et de bestia (*Num.* xviii. 15).

Quia talia repraesentata et inde significata sunt per "hominem" et "bestiam," ideo ex ritu sancto in Ecclesia Antiqua recepto,

> Rex Ninives proclamavit jejunium, et mandavit ut non homo nec bestia quicquam gustarent et biberent, et quod homo et bestia operirentur saccis (*Jon.* iii. 7, 8).

[*d.*] Quoniam per "bestias" significantur affectiones in utroque sensu, ideo prohibitum fuit figuram ullius bestiae facere, de qua re apud *Mosen*,

> Non facietis vobis "figuram ullius bestiae quae in terra, figuram ullius avis alae quae volat sub caelo, figuram ullius reptilis in terra, figuram ullius piscis qui in aquis sub terra" (*Deutr.* iv. 17, 18):

causa erat, quia posteri ex Jacobo, qui propter repraesentationem ecclesiae apud illos vocabantur "filii Israelis," in externis absque interno fuerunt, hoc est, plerique mere naturales; quare si figuram alicujus bestiae aut avis sibi fecissent, quae significabant affectiones et similia, fecissent illas sibi idola, et coluissent. Haec etiam causa fuit quod Aegyptii, apud quos repraesentativa prae ceteris populis nota fuerunt, fecerint sibi figuras bestiarum, sicut vitulorum, serpentum et plurium aliarum, primitus tamen non propter cultum, sed propter significationem; sed posteri illorum, qui ab internis facti sunt externi, proinde mere naturales, inspexerunt illa non sicut repraesentativa et significativa, sed sicut sancta ecclesiae, et inde illis cultum idololatricum addixerunt. Inde est quod posteris Jacobi, quia prorsus externi homines erant, et inde corde idololatrae, prohibebatur figuram illarum sibi facere. Sicut pro exemplo, quod vitulos coluerint in Aegypto, et postea in deserto, erat quia "vitulus" significabat affectionem primam naturalis hominis una cum ejus bono innocentiae: quod gentes passim coluerint serpentes, erat quia "ser-

pens" significabat sensuale quod est ultimum naturalis hominis et ejus prudentiam; et sic in reliquis. Quia "bestiae" significabant varia naturalis hominis, ideo etiam aliquoties mandatum est, quod cum devotioni darent urbes et regiones, etiam trucidarent bestias; ex causa quia "bestiae" repraesentabant mala et profana quae fuerunt apud homines qui devotioni dabantur. Quoniam omnes species bestiarum significabant varia quae apud homines ecclesiae sunt, ideo leges latae sunt de bestiis, quaenam edendae et quaenam non edendae (*Levit.* xi.): "quae edendae" significabant bona, et "quae non edendae" significabant mala; erat enim ecclesia illius temporis ecclesia repraesentativa, et ideo singula quae illis praescripta fuerunt, repraesentabant et significabant, praecipue bestiae; de qua re ita legitur apud *Mosen*,

"Distinguetis inter bestiam mundam et immundam, et inter avem immundam et mundam, ut non abominabiles faciatis animas vestras per bestiam et avem:....et eritis Mihi sancti" (*Levit.* xx. 25, 26).

Ex his nunc videri potest unde est quod sacrificia ex variis bestiarum generibus permissa fuerint, ut ex agnis, ovibus, haedis, capris, juvencis, bovibus, et ex columbis et turturibus; nempe, quia significabant spiritualia et naturalia ex origine spirituali; sicut "agni" innocentiam, "oves" charitatem, "juvenci" et "boves" affectiones naturalis hominis affectionibus spiritualis hominis correspondentes. Inde erat quod bestiae pro sacrificiis variarentur secundum causas propter quas offerebantur, quod non factum fuisset nisi singula sacrificia ex bestiis significavissent talia quae ecclesiae sunt. Quoniam homo ecclesiae hodie aegre adduci potest ad credendum quod per "bestias" et "feras" in Verbo significentur affectiones boni et veri, quae sunt homini ecclesiae, et hoc ex causa quia apparet alienum quod aliquid bestiae significaret aliquid hominis, ideo velim adhuc e Verbo afferre plura, quae confirmant:—Apud *Ezechielem*,

"Dic ad..regem Aegypti et ad multitudinem ejus, Cui similis es in altitudine tua? Ecce Aschur cedrus in Libano, pulchra ramo et silva umbrosa,....alta facta est altitudo ejus prae omnibus arboribus agri, et multiplicati sunt rami ejus per aquas multas...; in ramis ejus nidificarunt omnes aves caelorum, et sub ramis ejus pepererunt omnis fera agri, ac in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae; pulchra fuit magnitudine sua:....sed quoniam elatus es

altitudine," exscindetur, "super ruina ejus habitabit omnis avis caelorum, et super ramis ejus erunt omnis fera agri" (xxxi. 2, 3, 5, 6, [7,] 10, [12,] 13):

per "regem Aegypti" et per "multitudinem ejus" significatur naturalis homo cum scientificis ibi; per "Aschurem cedrum in Libano" significatur rationale quod ex scientificis ab una parte et ab influxu veri spiritualis ab altera; per "pulchram ramo et silva umbrosa" significatur intelligentia per vera rationalia mediis scientificis; per "altitudinem prae omnibus arboribus agri" significatur elevatio usque ad interius rationale quod ex spirituali; per "multiplicatos ramos per aquas multas" significatur copia per vera spiritualia quae ex cognitionibus veri ex Verbo; per "aves caelorum quae nidificarunt in ramis ejus" significantur cogitationes spirituales in rationalibus, nam rationale est medium inter internum spiritualem hominem et externum naturalem; per "[omnem] feram agri quae sub ramis ejus pepererunt" significantur affectiones scientificorum rationaliter perceptorum; per "gentes magnas quae in umbra ejus habitarunt" significantur bona affectionum in naturali homine; per "pulchram magnitudine" significatur intelligentia; at per "avem caelorum et feram agri quae super ruina ejus in ramis ejus habitabunt" significantur falsa cogitationum et mala cupiditatum, quae illi quia "elatus est altitudine," hoc est, quia superbivit ex amore propriae intelligentiae; quod cogitationes veri et affectiones ejus per "aves caelorum et feras agri" significentur, patet, nam etiam dicitur quod "gentes magnae in umbra ejus habitarunt." Apud *Danielem*,

"Ecce arbor in medio terrae, et altitudo ejus magna,....pertigit usque ad caelum, et prospectus ejus usque ad finem..terrae, folium ejus pulchrum, et flos ejus multus, et cibus omnibus in ea; sub illa umbram habebat bestia agri, et in ramis ejus habitabant aves caeli, et ex ea alebatur omnis caro. ....Vigil et Sanctus de caelo descendit, clamans,....Excidite arborem, et amputate ramos ejus, discutite folium.., dispergite florem ejus, fugiet bestia a sub illa, et aves ex ramis ejus; verum stirpem radicum..in terra relinquite, et in vinculo ferri et aeris, in herba agri et in rore caelorum tingatur, et cum bestia pars ejus in gramine terrae; cor ejus ab homine mutabunt, et cor bestiae dabitur ei" (iv. 7-13 [*B. A.* 10-16]):

hoc fuit somnium Nebuchadnezaris regis Babelis, et per id describitur instauratio ecclesiae caelestis et ejus incrementum usque ad suum fastigium, et postea ejus exitium

propter dominationem etiam super sancta ecclesiae, et propter vindicatum sibi jus super caelum: per "arborem in medio terrae" significatur illa ecclesia; per "altitudinem ejus" significatur extensio perceptionis et inde sapientiae; per "prospectum ejus usque ad finem terrae" significatur extensio ejus usque ad ultima ecclesiae; per "folium ejus pulchrum" et per "florem ejus multum" significantur cognitiones et affectiones veri et boni et inde intelligentia; per "cibum omnibus in ea" significatur nutritio caelestis quae ex bono et inde veris; per "bestiam agri quae umbram in illa habebat," et per "aves caelorum quae in ramis ejus habitabant," significantur affectiones boni, et inde cogitationes et perceptiones veri, quae quia sunt cibi spiritualis, dicitur quod "ex ea aleretur omnis caro." Sed propter dominationem super sancta caeli et ecclesiae ex amore sui, super quae Babylonici tandem sibi jus vindicant, sequitur descriptio interitus ejus, per haec, "Vigil et Sanctus de caelo descendit, clamans, Excidite arborem, et amputate ramos ejus, discutite folium, dispergite florem, et fugiet bestia a sub illa, et aves e ramis ejus;" nam apud illos amor sui et inde elatio animi increscit usque dum jus sibi super sancta ecclesiae, immo super caelum, vindicant; quod cum fit, tunc omne ecclesiae perit, atque omnis perceptio et cognitio boni et veri; clauditur enim internum mentis ubi spirituale, et dominatur externum ubi naturale, et sic fit homo sensualis, usque ut parum differat a bestiis. Per "stirpem radicum," quam in terra relinquerent, significatur Verbum, quod solum quoad litteram intelligitur, quod solum est cognitivum insidens memoriae et inde prodiens in loquelam; per "vincula ferri et aeris" significatur quod interiora vera et bona conclusa sint ac vincta teneantur in ultimis; "ferrum" est verum in ultimis, et "aes" est bonum in ultimis, et haec separata ab interioribus sunt falsa et mala: et quia homo ecclesiae tunc fit paene sicut bestia quoad intellectum et quoad voluntatem, dominantur enim mala affectionum et falsa cogitationum, dicitur quod "pars ejus erit cum bestia in gramine terrae," et quod "cor ejus ab homine mutabitur, et cor bestiae ei dabitur." Quod haec mutatio et inversio facta sit ob jus sibi vindicatum super sancta ecclesiae, et tandem super caelum, constat a vers. 27–29

[*B. A.* 30–32], illius capitis, ubi haec verba,

"Rex dixit, Nonne hoc est Babel magna quam ego aedificavi in domum regni, per robur fortitudinis meae, et in gloriam honoris mei? Adhuc verbum in ore regis, vox e caelis cecidit, dicens,....Regnum transibit de te, et ab homine expellent te, et cum bestia agri habitatio tua; herbam sicut boves te gustare facient,....usque dum scias quod dominetur Altissimus in regnum hominis, et ei cui vult det illud."

Quod per "Nebuchadnezarem" ut regem Babelis in initio significetur ecclesia caelestis et ejus incrementum usque ad sapientiae fastigium, constat quoque apud *Danielem*, ubi agitur de statua visa ab ipso in somnio: ibi dicitur,

"Deus caelorum filios hominis, bestiam agri, et avem caelorum dedit in manum tuam, et dominari fecit te in omnes; tu es caput" statuae "quod est aurum" (ii. 37, 38):

per "caput statuae," quod erat ex auro, significatur ecclesia caelestis quae est omnium primaria; quod illa ecclesia per "regem Babelis" in principio significetur, est quia ecclesia, quae postea fit Babel seu Babylonia, incohat a cultu Domini et ex amore in Ipsum, et tunc apud illos regnat zelus extendendi et perficiendi illam per sancta bona et vera caeli; at hoc ex causa adhuc latente, quae est amor dominandi, qui tamen non erumpit nisi successive. Sed de hac re plura dicentur ubi agendum est de Babylonia.

[*e.*] Apud *Hoscheam*,

"Feriam illis foedus in die illo cum fera agri, et cum ave caelorum et reptili terrae, et arcum et gladium et bellum frangam de terra, et cubare faciam eos secure, et desponsabo te Mihi in aeternum" (ii. 18, 19):

haec de instauratione novae ecclesiae a Domino, de qua ibi agitur. Quod tunc Jehovah, hoc est, Dominus, non facturus sit foedus cum fera agri, et cum avi caelorum, et cum reptili terrae, sed cum hominibus, apud quos instaurabitur ecclesia, patet: quare per illa significantur talia quae apud hominem sunt; nempe per "feram agri" affectio cognitionum veri, per "avem caelorum" cogitatio rationalis ex spirituali, et per "reptile terrae" scientificum naturalis hominis, in specie scientificum sensualis: quod tunc "arcum et gladium franget de terra" significat quod destructurus falsa impugnantia vera doctrinae; et quod non amplius aliquod discidium inter vera et falsa et inter bona

et mala futurum, significatur per "Desponsabo te Mihi in aeternum." Apud *Esaiam*,

> "Honorabit Me fera agri, dracones et filiae noctuae, eo quod dederim in deserto aquas, fluvios in solitudine, ad potandum populum meum electum meum" (xliii. 20):

quod per "feram agri," "dracones" et "filias noctuae," hic non intelligantur fera agri, dracones et noctuae, patet, nam illae non honorare possunt Jehovam; quod homines ecclesiae sint qui intelliguntur, constat ex sequentibus, nam dicitur, "ad potandum populum meum, electum meum:" quare per "feram agri" significantur affectiones cognitionum veri, per "dracones" ideae naturales, et per "filias noctuae" affectiones sensuales; nam sensuale afficitur veris et videt illa in tenebris, sicut noctua objecta in nocte: et quia illa significantur, patet quod gentes per illa intelligantur apud quas nova ecclesia instauranda erat, nam illi ante reformationem in obscura tali affectione et naturali cogitatione fuerunt: per "dare in deserto aquas, et in solitudine fluvios," significatur imbuere veris et inde intelligentia illos qui prius in ignorantia fuerunt; "aquae" sunt vera, "fluvii" sunt intelligentia, "desertum" et "solitudo" sunt ignorantia: "potare populum Jehovae et electum Ipsius," significat instruere illos qui in veris fidei et in bono charitatis sunt; "populus" dicitur de illis qui in veris fidei, et "electus" qui in bono charitatis. Apud *Joelem*,

> "Nonne coram oculis nostris cibus excisus est e domo Dei nostri, laetitia et gaudium?....Suspirat bestia, perplexa sunt armenta bovis, eo quod non pascuum illis; tum greges pecudum desolati sunt: ....bestia agri glocitat ad Te, quia exsiccati sunt rivi aquarum, et ignis comedit habitacula deserti" (i. 16, 18, 20):

haec de statu ecclesiae, quando non ibi amplius sunt vera doctrinae et bonum vitae: per "cibum qui excisus est e domo Dei" significatur nutritio spiritualis quae est ex veris quae ex bono; "domus Dei" significat ecclesiam: "Suspirat bestia, perplexa sunt armenta bovis," significat defectum affectionum veri et inde cognitionum in naturali homine, et ex eo dolorem; "armenta bovis" significant illa quae naturalis hominis sunt in toto complexu: quod "non pascuum," significat quod non instructio; "greges pecudum desolati sunt" [1]significat defectum veri et boni

spiritualis quae sunt fidei et charitatis; "bestia agri glocitat ad Te" significat dolorem illorum qui in affectione naturali et inde in desiderio cognitionum veri et boni: "exsiccati sunt rivi aquarum" significat vera doctrinae dissipata per amorem naturalem: "ignis comedit habitacula deserti" significat amorem illum et inde destructionem cognitionum veri; "habitacula deserti" sunt illa quae intellectus et voluntatis apud talem hominem sunt, quae alioqui receptura vera et bona ecclesiae. Apud eundem,

> "[Ne] time tibi, terra, gaude et laetare, quod magnificaverit Jehovah faciendo; ne timete, bestiae agrorum meorum, quia herbosa facta sunt habitacula deserti, quia arbor feret fructum suum, ficus et vitis dabunt vim suam; filii Zionis, gaudete et laetamini in Jehovah" ([1]ii. 21-23):

haec de instauratione ecclesiae a Domino; et per "terram" quae [non] timebit, gaudebit et laetabitur, significatur ecclesia et ejus jucundum; instauratio ejus a Domino significatur per "quod magnificaverit Jehovah faciendo:" inde per "bestias agrorum Ipsius" intelliguntur illi qui in affectionibus boni sunt, et ex Verbo instructionem desiderant; "bestiae" sunt illi qui in affectionibus boni naturalis hominis, et "agri" sunt doctrinalia ex Verbo: quod "herbosa facta sint habitacula deserti" significat quod cognitiones veri et boni erunt apud illos apud quos non prius: "arbor faciet fructum" significat productionem boni vitae per cognitiones illas; "arbor" enim significat hominem ecclesiae, in specie mentem imbutam cognitionibus, et "fructus" bonum vitae: "ficus et vitis dabunt vim suam" significat productionem effectus ex bono naturali et simul spirituali: quia per "bestias agrorum," "arborem," "ficum" et "vitem" talia quae apud hominem ecclesiae sunt, significantur, ideo dicitur, "Filii Zionis, gaudete et laetamini in Jehovah; per "filios Zionis" intelliguntur qui ab ecclesia caelesti, ac "gaudere" praedicatur de jucundo boni ac "laetari" de amoeno veri. Apud *Ezechielem*,

> "In die illo veniet Gog super terram Israelis,....et tunc erit terrae motus magnus super terra Israelis, et contremiscent coram Me pisces maris, et avis caelorum, et fera agri, et omne reptile reptans super terra, et omnis homo qui super faciebus terrae" (xxxviii. 18-20):

per "Gogum" significatur sanctum externum absque

sancto interno, ita illi qui in tali sancto sunt: per "terrae motum" significatur mutatio status ecclesiae: quod "contremiscent pisces maris, avis caelorum, fera agri, reptile terrae et omnis homo," significat quod omnia hominis quoad illa quae ecclesiae sunt apud illum, mutabuntur; "pisces maris" sunt scientifica, "aves caelorum" sunt cogitationes inde, "ferae agri" sunt affectiones inde, "reptile terrae" sunt cogitationes et affectiones in sensuali corporeo, et "homo" sunt omnia illa a primis ad ultima. Quid alioqui foret quod illa coram Jehovah contremiscerent? Apud *Sachariam*,

> "Erit in die illo tumultuatio magna...., Jehudah pugnabit contra Hierosolymam;....et ita erit plaga equi, muli, cameli et asini, et omnis bestiae quae erit in castris illis....: deinde omnis residuus ascendet....Hierosolymam" (xiv. 13–15):

ita describitur status ultimus ecclesiae veteris, et primus novae: status ultimus ecclesiae veteris describitur per "tumultationem magnam, quando Jehudah pugnabit contra Hierosolymam," per quae intelligitur mutatio tunc et pugna amoris mali contra vera doctrinae ecclesiae: per "plagam equi, muli, cameli, asini et omnis bestiae," significantur talia quae laedunt et destruunt ecclesiam, et vitam spiritualem hominum ecclesiae; et per "equos, mulos, camelos, asinos," illa quae illorum intellectus et illorum voluntatis sunt, proinde quae illorum cognitionum et affectionum; quid autem in specie per "equum," "mulum," "camelum" et "asinum" significatur, alibi dictum est; hic solum quod "bestia" significet affectionem naturalis hominis, et per "plagam bestiae" laesio et destructio affectionis illius. Apud *Jeremiam*,

> "Quousque lugebit terra, et herba omnis agri exarescet? Propter malitiam [1]habitantium in ea consumentur bestiae et avis" (xii. 4):

per "terram" intelligitur ecclesia; per "herbam agri" significatur verum ecclesiae natum et nascens; per "lugere" et "exarescere" significatur perire et per cupiditates dissipari; et per "bestias et avem" quae consumentur, significantur affectiones boni et inde cogitationes veri: quod hae periturae sint propter mala in ecclesia, sequitur; quare etiam dicitur, "propter malitiam habitantium in terra." Apud *Esaiam*,

"Relinquentur simul [1]avis montium, et [2]bestia terrae; sed abominabuntur eum avis, et omnis bestia terrae eum contemnet" (xviii. 6):

haec de "terra inumbrata alis," per quam intelligitur ecclesia, quae ex obscuro, in quo est, imaginaria pro veris spiritualibus captat, et quae inde ex ignorantia in negationem illorum venit; per "avem" et "bestiam" etiam ibi significantur cogitationes veri et affectiones boni tam rationales quam naturales, quae dicuntur "abominari" et "contemnere"; quod avis et omnis bestia non abominaturae et contempturae sint, patet; sed affectiones boni et cogitationes veri, hoc est, ii qui in illis sunt. Apud *Hoscheam*,

"Latrocinantur, sanguines sanguines attingunt,....et contabescet omnis habitans in ea, ad feram agri et ad avem caelorum, etiamque pisces maris colligentur" (iv. 2, 3):

etiam hic per "feram agri" et "avem caelorum," ac per "pisces maris," similia significantur quae supra. Apud *Ezechielem*,

"Tu fili hominis,....dic omni avi omnis alae, et omni ferae agri, Congregamini et venite, congregate vos a circuitu super sacrificium meum quod Ego sacrifico vobis, sacrificium magnum super montibus Israelis, ut comedatis carnem et bibatis sanguinem; carnem fortium comedetis, et sanguinem principum terrae bibetis, arietes, agnos et [3]haedos et juvencos, saginatos Baschanis omnes; comedetis adipem ad satietatem, et bibetis sanguinem usque ad ebrietatem de sacrificio meo quod sacrifico vobis: et satiabimini super mensa mea equo et curru, forti et omni viro belli:....sic dabo gloriam meam inter gentes" (xxxix. 17–21):

haec dicta sunt de convocatione gentium ad ecclesiam, et de receptione veri doctrinae in bono amoris, quod est bonum vitae, ab iis, ac de eorum intelligentia in spiritualibus inde: quare per "avem omnis alae," et per "omnem feram agri," quae congregarentur a circuitu ad sacrificium magnum super montibus Israelis, intelliguntur omnes in quocunque statu sint quoad perceptionem veri et quoad affectionem boni; per "avem omnis alae" intelliguntur omnes qualicunque perceptione veri sint, per "omnem feram agri" omnes qualicunque affectione boni; per "congregari a circuitu" significatur ab undeque qui extra ecclesiam; per "sacrificium magnum" significatur cultus Domini ex fide et amore, nam illum sacrificia in genere repraesentabant; et per "montes Israelis" significantur bona amoris spiritualis: per "comedere carnem" et "bi-

bere sanguinem" significatur appropriare sibi bonum amoris et verum illius boni: per "comedere carnem fortium, et bibere sanguinem principum terrae," significatur appropriatio illa; "fortes" (seu boves) significant affectiones naturalis hominis, et "principes terrae" principalia vera ecclesiae: per "arietes," "agnos," "[1]haedos," "juvencos," "saginatos Baschanis," significantur omnia quae sunt innocentiae, amoris, charitatis et boni; "saginati Baschanis" bona naturalis hominis ex origine spirituali: inde patet quid significatur per "comedere carnem ad satietatem" et per "bibere sanguinem ad ebrietatem," nempe, quod implerentur omni bono amoris et vero fidei: per "satiari super mensa Domini equo et curru, forti et omni viro belli," significatur ad plenum instrui ex Verbo; per "equum" significatur intellectus veri, per "currum" doctrina veri, per "fortem et virum belli," significatur verum boni pugnans contra falsum mali et destruens illud: quia illa dicta sunt de convocatione gentium ad ecclesiam Domini, ideo dicitur, "Sic dabo gloriam meam inter gentes;" "gloria" significat Divinum Verum in luce. Quod per "avem omnis alae" et per "bestiam agri," illa significentur, constare potest ex locis hactenus explicatis; tum ex hoc apud *Esaiam*,

> "Dictum Domini Jehovih congregantis expulsos Israelis, Adhuc congregabo illos ad congregatos ejus; omnis fera agrorum meorum, venite ad comedendum, omnis fera in silva" (lvi. 8, 9):

per "expulsos Israelis," quos Dominus congregabit, significantur omnes in ecclesia [2]qui in veris ex bono sunt separati ab illis ibi qui in falsis ex malo; illi etiam intelliguntur per "feras agrorum Domini Jehovih," "agri" enim significant ecclesiam quoad implantationem veri doctrinae: gentes autem quae extra ecclesiam significantur per "feram in silva;" "silva" significat naturalem et sensualem hominem, et "fera" scientiam ejus ac inde obscuram intelligentiam: quod per "feram agri" et per "feram in silva" illa significentur, patet, nam dicitur, "Venite, omnis fera agrorum meorum, et omnis fera in silva, ad comedendum;" "comedere" significat instructionem et appropriationem.

[*f*.] Quoniam pleraque in Verbo etiam oppositum sen-

sum habent, ita quoque "bestia" et "fera;" in quo sensu "bestiae" significant affectiones malas, quae sunt cupiditates adulterandi et destruendi bona ecclesiae, et "ferae" significant cupiditates falsificandi et sic destruendi vera ecclesiae. In hoc sensu nominantur "bestiae" et "ferae" in sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

> "Excitabo super illos Pastorem unum, qui pascet eos, Servum meum Davidem; Hic erit iis in Pastorem:....tunc excidam iis foedus pacis, et cessare faciam feram malam e terra, ut habitent in deserto confidenter, et dormiant in silvis;....non erunt amplius praeda gentibus, et fera terrae non devorabit eos, sed habitabunt confidenter, non terrefaciens" (xxxiv. 23, 25, 28):

haec de adventu Domini, et de statu beato caeli et illorum ab ecclesia qui in novum caelum venturi sunt: per "Pastorem Servum Davidem," quem Jehovah excitabit, intelligitur Dominus, qui vocatur "Servus" ab inserviendo et ministrando, hoc est, usus praestando (videatur supra, n. 409[*b*]): per "excidere illis foedus pacis" significatur conjunctio cum Domino per Divina procedentia ab Ipso, quae sunt bona amoris et vera doctrinae ex Verbo, ita per Verbum: per "cessare facere feram malam e terra" significatur quod non amplius illos invadent et perdent cupiditates et concupiscentiae malae: per "habitare in deserto confidenter, et dormire in silvis," significatur quod tuti erunt ab infestatione illarum, tametsi in illis et inter illas sunt; "desertum" et "silva" sunt ubi talia et tales sunt: (per haec simile intelligitur quod apud *Esaiam*, cap. xi. 7–9:) quoniam cupiditates mali et falsi perdunt hominem ecclesiae, ideo dicitur, "Non erunt amplius praeda gentibus, et fera mala non devorabit eos;" nam per "gentes" significantur cupiditates mali, et per "feras terrae" cupiditates falsi. Apud *Jeremiam*,

> "Facta est hereditas..mea sicut leo in silva, edidit contra Me vocem suam, ideo odi eam; avis Zabuah hereditas...; circa quam avis; ..congregate omnem feram agri, venite ad comedendum; pastores multi perdiderunt vineam meam" (xii. 8–10):

haec de vastatione ecclesiae per falsa mali: per "hereditatem" significatur ecclesia; per "leonem e silva," qui contra Deum edidit vocem, significatur falsum mali in toto complexu; "avis Zabuah" significat ratiocinationes ex falsis; "fera agri" quae congregabitur ad comedendum,

significat cupiditates per falsa destruendi vera ecclesiae; et quia intelligitur ecclesia quae sic destruitur, ideo dicitur, "Pastores multi perdiderunt vineam meam;" per "vineam" significatur ecclesia spiritualis, seu ecclesia quoad affectionem veri: quia per "vineam" significatur ecclesia, sequitur quod per "feram agri" significetur cupiditas falsificandi et sic destruendi vera ecclesiae. Apud *Esaiam*,

> "Non erit leo, rapax ferarum non ascendet eo, non invenietur ibi" (xxxv. 9):

agitur ibi de adventu Domini, et de regno Ipsius in caelis et in terris; et per "leonem" et "rapacem ferarum" similia significantur quae supra: quod non fera per "feram" ibi intelligatur, quisque potest videre. Apud *Hoscheam*,

> "Occurram illis sicut ursus orbatus, et discindam clausuram cordis eorum, et consumam eos sicut immanis leo, fera agri diffindet eos" (xiii. 8):

etiam hic per "leonem" et "feram agri" similia quae supra significantur. Apud *Zephaniam*,

> Jehovah "extendet manum suam supra septentrionem, et perdet Aschurem, et ponet Niniven in vastitatem, locum siccum sicut desertum; et requiescent in medio ejus greges, omnis fera gentis, tam platea quam anataria, in malogranatis ejus pernoctabunt; vox cantabit in fenestra, siccitas in limine, eo quod cedrum ejus denudaverit; talis urbs laetabunda, habitans secure, dicens in corde suo, Ego, praeter me non amplius; quomodo facta est in vastitatem, cubile ferae, omnis transiens super ea sibilat, movet manum suam" (ii. 13, 14[, 15]):

ita describitur vastatio ecclesiae per falsa doctrinae, quae ex propria intelligentia: per "septentrionem" super quam Jehovah extendet manum, significatur ecclesia quae in falsis; per "Aschurem" quem Jehovah perdet, significantur ratiocinationes ex falsis; per "Ninivem" quam ponet in vastitatem, locum siccum sicut desertum, significantur falsa doctrinae; per "greges," "feram gentis," "plateam" et "anatariam," significantur affectiones falsi, et ipsa falsa interiora et exteriora; per "malogranata" in quibus illae requiescent, significantur cognitiones veri ex Verbo falsificatae; per "vocem in fenestra" significatur praedicatio falsi; per "siccitatem in limine" significatur desolatio veri totalis; per "cedrum" quam denudavit, significatur rationale deperditum; per "urbem laetabundam habitantem secure" sig-

nificatur doctrina falsi qua delectantur et in qua requiescunt; "dicens in corde suo, Ego, praeter me non amplius," significat fastum propriae intelligentiae; per "cubile ferae" significatur status ecclesiae vastatae quoad vera; per quod "omnis transiens super ea sibilet, moveat manum suam," significatur contemptus et rejectio illorum ab illis qui in veris et bonis doctrinae sunt. Apud *Mosen*,

> "Dabo pacem in terra, ita ut secure cubetis, et non perterrefaciens, et cessare faciam feram malam e terra, et gladius non transibit per terram vestram" (*Levit.* xxvi. 6):

per "pacem in terra, ut secure cubent, et non perterrefaciens," significatur tutela ab irruptione falsi in ecclesia ex confidentia in Dominum; per "cessare facere feram malam e terra" significatur immunitas ab affectione et cupiditate falsi; et per "gladium" qui "non transibit per terram," significatur quod falsum non amplius destruet verum. Apud eundem,

> "Mittam crabronem ante te, et expellet Chivaeum, Cananaeum, Chittaeum ante te; non expellam eum ab ante te in anno uno, ne forte sit terra solitudo, et multiplicetur super te fera agri: parum parum expellam eum ab ante te, usque dum fructificeris et heredites terram" (*Exod.* xxiii. 28–30):

"mittam crabronem ante te" significat formidinem illorum qui in falsis ex malo sunt; "et expellet Chivaeum, Cananaeum et Chittaeum," significat fugam falsorum quae ex malis; "non expellam illum ab ante te in anno uno" significat fugam seu remotionem eorum festinam; "ne forte sit terra desolata" significat deficientiam tunc et parum vitae spiritualis; "et multiplicetur super te fera agri" significat affluxum falsorum ex jucundis amorum sui et mundi; "parum parum expellam illum ab ante te" significat remotionem per gradus secundum ordinem; "usque dum fructificeris" significat secundum incrementum boni; "et heredites terram" significat dum in bono sit et regeneratus. (Sed haec amplius explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 9331–9338, videantur.) Similia significantur per haec apud *Mosen*,

> "Expellet Jehovah Deus..gentes..coram te paullatim, non poteris [perdere] eas statim, ne multiplicetur contra te fera agri" (*Deutr.* vii. [1]22):

per "gentes" e terra Canaane a filiis Israelis expulsas et

expellendas, significantur mala et falsa omnis generis; per "terram Canaanem" ecclesia, et per "filios Israelis" homines ecclesiae: quare per "feram agri" quae contra illos multiplicaretur, significantur cupiditates falsi ex malo: nam homo qui reformatur et regeneratur usque ut sit ecclesia apud illum, paullatim reformatur et regeneratur; e novo enim concipitur, nascitur et educatur, quod fit quantum mala et inde falsa, quae ei ex nativitate et hereditario insunt, removentur; quod fit non uno momento, sed per insignem cursum vitae; ex quibus patet quid in sensu spirituali intelligitur per quod "gentes non expellentur anno uno," sed "parum" et "paullatim," "ne multiplicetur contra te fera agri;" nam si mala et inde falsa confestim removentur, tunc homini vix aliqua vita foret; vita enim ejus, in quam natus, est vita mali et inde falsi ex cupiditatibus, quae removentur quantum bona et vera intrant; per haec enim removentur illa.

[*g*.] Quoniam per "feram" in sensu spirituali [1]significantur cupiditates falsi ex malo, et per "aves" cogitationes et ratiocinationes ex illis, et quia homo ecclesiae per illas spiritualiter perit, ideo passim in Verbo, ubi agitur de vastatione ecclesiae, dicitur quod "darentur feris et avibus ad comedendum;" ut in sequentibus locis:—Apud *Davidem*,

> "Conculcat" vitem "aper in silva, et fera agrorum depascit eam" (Ps. lxxx. 14 [*B. A.* 13]);

apud *Hoscheam*,

> "Devastabo vitem ejus et ficum ejus,....et ponam ea in silvam, et comedet ea fera agri" (ii. 12);

apud *Ezechielem*,

> "Mittam super vos famem, et feram malam, et orbam facient te" (v. 17):

haec de Hierosolyma, per quam intelligitur ecclesia. Apud eundem,

> "Ferae dabo eum ad devorandum" (xxxiii. 27);

apud eundem,

> "Oves dispersae sunt sine pastore, et in cibum omni ferae agri" (xxxiv. 5, 8);

apud eundem,

> "Ferae terrae et avi caelorum dedi te in cibum" (xxix. 5);

apud eundem,

"Super facies agri projiciam te, et habitare faciam super te omnem avem caelorum, et satiabo ex te feram omnis terrae" (xxxii. 4);

apud *Jeremiam*,

"Erit cadaver eorum in cibum avi caelorum et bestiae terrae" (xvi. 4; cap. xix. 7; cap. xxxiv. [1]20);

apud *Ezechielem*,

"Avi volucris omnis alae, et ferae agri dedi te in cibum" (xxxix. 4);

apud *Davidem*,

"Dederunt cadaver servorum tuorum [cibum] avi caelorum, carnem sanctorum tuorum ferae terrae" (Ps. lxxix. 2);

apud *Jeremiam*,

"Visitabo super eos quatuor generibus,...gladio ad occidendum, et canibus ad trahendum, et avibus caelorum et bestiis terrae ad devorandum et ad perdendum" (xv. 3):

in his locis per "feras et aves" significantur falsa ex cupiditate mali et ex ratiociniis: et quia per "gentes" in terra Canaane significantur mala et falsa religionis et cultus, ideo filii Jacobi cadavera gentium, quas bello occiderunt, non sepeliebant, sed avibus et feris relinquebant devoranda; sed hoc non ex mandato Divino, sed ex immanitate ipsi populo innata, ita ex permissione ut repraesentarentur talia. Apud *Davidem*,

"Hostis opprobrio afficit Jehovam, et populus stultus spernit nomen tuum; ne des bestiae animam turturis..; vitae miserorum tuorum ne obliviscaris in perpetuum" (Ps. lxxiv. 18, 19):

per "hostem" qui opprobrio afficit Jehovam, significatur infernum et inde malum: per "populum stultum" qui spernit nomen Ipsius, significantur falsa quae sunt contra vera doctrinae; "populus" dicuntur illi qui in veris sunt, et in opposito sensu qui in falsis, qui sunt "populus stultus;" et "nomen Jehovae" significat omne verum doctrinae et ecclesiae: "ne des bestiae animam turturis" significat ne det spirituale bonum illis qui in cupiditatibus mali sunt: per "vitam miserorum" significatur vita spiritualis oppressa a malis et falsis. Apud *Habakuk*,

"Violentia Libani operuit te, et devastatio bestiarum consternabit eas, propter sanguines hominum, et violentiam terrae, urbis, et omnium habitantium in ea" (ii. 17):

per "violentiam Libani" significatur vis illata veris a ratio-

nali homine e Verbo perceptis, "Libanus" enim significat ecclesiam quoad perceptionem veri ex rationali homine; per "devastationem bestiarum," quae consternabit, significatur destructio veritatum per cupiditates mali; per "sanguines" significatur violentia illata veris Verbi per mala; et per "violentiam terrae, urbis et omnium habitantium in ea," significatur vis illata veris et bonis ecclesiae, ac doctrinae ejus ex Verbo per falsa. Apud *Mosen*,

> "Dentem bestiarum immittam in illos, cum veneno reptilium terrae" (*Deutr.* [1]xxxii. 24):

per "dentem bestiarum" significatur sensuale quoad cupiditates mali; nam "dens" correspondet ultimo vitae hominis, quod est sensuale: per "venenum reptilium terrae" significantur falsitates inde, quae per fallacias sensualis hominis astute pervertunt vera. Apud *Ezechielem*,

> "Quum intravi et vidi, ecce omnis effigies reptilis et bestiae, abominatio, et omnia idola domus Israelis depicta super pariete circumcirca" (viii. 10):

per haec et plura quae ostensa sunt Prophetae, significantur dirae cupiditates et falsitates, in quibus fuerunt Israelitae, propterea quod in externis essent et prorsus non in internis; et qui tales fuerunt, verterunt omnia repraesentativa in idololatrica; inde idololatria eorum, et quoque plurium gentium: et tunc per "bestias" et "reptilia," quorum imagines, propter significationem affectionum boni et prudentiae, sibi fecerunt, repraesentatae sunt dirae cupiditates mali et falsi: sic enim fit quando naturalis homo separatus a spirituali res sanctas intuetur; inde est quod appellentur "idola domus Israelis:" per "parietem circumcirca," in quo depicta videbantur, significantur interiora ubique in naturali homine; nam per "tectum" significatur intimum, per "solum" seu "pavimentum" ultimum, et per "parietes" interiora, et per "domum" ipse homo quoad illa quae ejus mentis sunt; et naturalis homo est interior et exterior, et interior naturalis est ubi foeda hominis resident, et exterior non vulgat illa sed mentitur bona, justa et sincera. Quia "ferae" et "bestiae" significabant bona intellectus et bona voluntatis, quae sunt affectionum, et ab antiquis, qui noverunt correspondentias, figurae repraesentativae et significativae factae sunt, quas

illi primitus non coluerunt; sed posteri, qui ab internis facti sunt mere externi, coluerunt illa sicut Divina in se; inde ferae et bestiae factae sunt idola: ut patet apud *Esaiam*,

> "Incurvatus est Bel, inflexus est Nebo, sunt idola eorum ferae et bestiae" (xlvi. 1).

Legitur propheticum apud *Esaiam*,

> De bestiis meridiei (cap. xxx. 6, seq.);

per quas significantur adulterationes boni et falsificationes veri, unde omnis generis mala et falsa apud illos qui ab ecclesia solum in externis sunt, oriuntur; "bestiae meridiei" dicuntur, quia apud illos qui habent Verbum, ex quo in luce veri, quae est "meridies," possunt esse. Apud *Danielem*,

> Vidit in visione cum nox esset, quatuor bestias ascendentes ex mari; "prima erat sicut leo, sed alae aquilae illi;....altera similis urso;....tertia sicut pardus, cui alae quatuor; et quarta terribilis et formidabilis" (vii. [1]2–7):

per "bestiam e mari" ibi significatur amor dominii, cui sancta Verbi et ecclesiae pro mediis inserviunt; et per "quatuor bestias" significatur incrementum ejus successive; quare ultima bestia dicitur "terribilis et formidabilis." (Sed illa videantur quoad partem supra, n. 316[c] et 556[a], explicata.) Similia paene significantur in *Apocalypsi*,

> Per bestiam ascendentem ex mari (xiii. 1–10);
> Per bestiam ascendentem ex terra (xiii. 11–18);
> Per bestiam coccineam (xvii. 3);
> Per bestiam ex abysso ([2]xvii. 8):
> (de quibus bestiis porro, cap. xix. 19, 20; cap. xx. 10:)

sed quaenam cupiditates mali et falsi per singulas "bestias" in specie significantur, videbitur infra ubi de bestiis illis agetur. Ex his nunc constare potest quid intelligitur per haec apud *Marcum*,

> "Spiritus" Jesum "impellens fecit exire in desertum, et erat..in deserto dies quadraginta,....et erat cum bestiis, et angeli ministrabant Ipsum" (i. 12, 13):

Dominus per quod in deserto fuerit quadraginta diebus, repraesentabat durationem omnium tentationum, quas Ipse prae omnibus in universo terrarum orbe immanissimas subiit et sustinuit; nam per "quadraginta dies" sig-

nificatur integra periodus et duratio tentationum; ita non quod tunc solum tentatus fuerit, sed quod a pueritia usque ad ultimum vitae suae in mundo; ultima tentatio fuit Ipsi in Gethsemane; per tentationes enim subjugavit omnia inferna, et quoque glorificavit Humanum suum: (sed de tentationibus Domini videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 302:) et quia tentationes existunt per malos spiritus et genios qui ab inferno sunt, ita per inferna, unde mala et falsa et eorum cupiditates et concupiscentiae assurgunt, ideo per "bestias" ibi, cum quibus fuit, non intelliguntur bestiae, sed inferna et inde exsurgentia mala; et per "angelos," qui ministrabant Ipsi, non intelliguntur angeli, sed Divina vera, per quae ex propria potentia vicit et subjugavit inferna. (Quod per "angelos" in Verbo significentur Divina vera, videatur supra, n. 130, 200, 302, 593.)

651. ***"Et vincet illos et occidet illos."***—Quod significet *inde destructionem omnis boni et veri ecclesiae*, constat ex significatione "vincere et occidere binos testes," quod sit destruere illa quae per "binos testes" significantur, quae sunt bonum amoris et charitatis ac verum doctrinae et fidei: quod affectiones naturalis hominis separatae ab affectionibus spiritualis hominis, quae sunt cupiditates malae omnis generis oriundae ex amoribus infernalibus, destructurae sint illa, significetur per "bestiam ascendentem ex abysso;" et quod praedictum sit hoc futurum esse in fine ecclesiae, quando ultimum judicium existet, supra dictum est: quod "occidere" in Verbo significet spiritualiter occidere, quod hic est destruere bonum amoris et verum doctrinae, videatur supra (n. 315).

652[*a*]. [*Vers.* 8.] ***"Et corpora illorum super platea urbis magnae."***—Quod significet *exstinctionem illorum ex malis et falsis doctrinae*, constat ex significatione "corporum," quod sit quod bonum amoris et verum doctrinae (quae significantur per "binos testes") exstincta sint; nam "occidi" significat exstingui, hic spiritualiter, quia apud illos, qui apud se prorsus destruxerunt illa: similiter dicitur de Domino, quod "occisus" et "mortuus," per quod significatur quod Divinum ab Ipso procedens, quod est Divinum Bonum et Divinum Verum, sit rejectum; ita Dominus apud illos, a quibus id rejicitur, est occisus et mortuus (videatur supra, n. 83): et ex significatione "plateae urbis magnae," quod sit verum

et bonum doctrinae, et in opposito sensu est falsum et malum doctrinae; per "plateam" enim significatur verum ducens, et in opposito sensu falsum ducens (de qua sequitur), et per "urbem" significatur doctrina (de qua supra, n. 223); dicitur "urbs magna," quia "magnum" dicitur de bono, et in opposito sensu de malo, ac "multum" de vero et in opposito sensu de falso (videatur supra, n. 223[*b,c*], [336[*a*], 337]): ex his nunc patet, quod per "corpora binorum testium super platea urbis magnae," significetur exstinctio boni amoris et charitatis ac veri doctrinae et fidei per falsa et mala doctrinae: quia mala et falsa doctrinae significantur, sequitur, "quae urbs magna spiritualiter vocatur Sodoma et Aegyptus," et per "Sodomam" significantur mala amoris, et per "Aegyptum" falsa inde, utraque doctrinae, quae ecclesiam in fine ejus perdunt (de quibus in articulis qui sequuntur). Quod "platea" significet verum doctrinae, et in opposito sensu falsum ejus, est quia per "viam" in sensu spirituali significatur verum ducens ad bonum, et in opposito sensu falsum ducens ad malum (videatur supra, n. 97); et plateae sunt viae in urbe; et quia per "urbem" significatur doctrina, ideo per "plateam" significatur verum et falsum doctrinae. In mundo spirituali etiam sunt urbes, et ibi sunt plateae sicut in urbibus in mundo; et quisque cognoscitur qualis est quoad affectionem veri et inde intelligentiam solum ex locis ibi ubi habitant, tum quoque ex plateis quas ambulant. Qui in clara perceptione veri sunt, habitant in plaga meridionali urbis, et quoque ibi ambulant; qui in affectione boni amoris clara sunt, habitant in plaga orientali, et quoque ibi ambulant; qui in affectione boni amoris obscura sunt, in plaga occidentali habitant, et quoque ibi ambulant; et qui in perceptione veri obscura sunt, in plaga septentrionali habitant, et quoque ibi ambulant: vicissim autem in urbibus ubi degunt qui in persuasione falsi ex malo sunt. Ex his constare potest unde est quod "platea" significet verum aut falsum ducens.

[***b.***] Quod talia per "plateas" significentur, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Jeremiam*,

> "Discurrite per plateas Hierosolymae, et videte, quaeso, et cognoscite, et quaerite in vicis ejus, si inveniatis virum, qui sit faciens judicium, quaerens veritatem; tunc condonabo illi" (v. 1):

quoniam per "plateas Hierosolymae" et per "vicos" ejus

significantur vera doctrinae secundum status affectionis et perceptionis illorum qui ab ecclesia, et per "Hierosolymam" significatur ecclesia quoad doctrinam, ideo dicitur, "Discurrite per plateas Hierosolymae, et videte et cognoscite, et quaerite in vicis ejus;" et quoniam "judicium" praedicatur de veris, quia ex legibus et praeceptis, quae sunt vera, fit omne judicium, et quia per "veritatem" significatur verum doctrinae et fidei, ideo dicitur, "si inveniatis virum qui sit faciens judicium, et quaerens veritatem:" per "vicos" in specie significantur anguli urbis, ita plagae ubi habitant; et quia quisque habitat in urbibus in mundo spirituali secundum affectionem boni et perceptionem veri claram et obscuram, ideo per "vicos" significantur vera et bona secundum cujusvis affectionem et perceptionem. Apud *Esaiam*,

> "Rejectum est retro judicium, et justitia e longinquo stetit: nam impegit in platea veritas, et rectitudo non potest venire" ([1]lix. 14):

per "judicium" et "justitiam" in Verbo significatur verum et bonum; quod non illa sint, significatur per quod "rejectum sit retro judicium, et justitia e longinquo stetit:" quod a veris doctrinae aberraverint, et quod inde non verum in vita, quod est bonum vitae, significatur per quod "impegerit in platea veritas, ut rectitudo non possit venire;" omne enim bonum vitae comparatur per vera doctrinae, ex his enim discit homo quomodo victurus est: quia "platea" significat ubi verum ducens, ideo dicitur "Impegit in platea veritas." Apud *Nahum*,

> "In plateis insaniverunt currus, discurrerunt in vicis" (ii. 5 [*B. A.* 4]):

quia per "currus" significantur doctrinalia veri, et per "plateas" et "vicos" secundum cujusvis affectionem et perceptionem (ut supra), ideo dicitur, "In plateis insaniverunt currus, discurrerunt in vicis;" per "insanire" significatur falsa dicere vera, et per "discurrere" significatur aberrare. In *Libro Judicum*,

> "In diebus Jaelis cessarunt viae euntes semitas, iverunt vias tortuosas, cessarunt, vici in Israele cessarunt" (v. 6, 7):

haec in Cantico Deborae et Barachi, in quo agitur de desolatione veri in ecclesia, et postea de restitutione ejus; desolatio describitur per "Cessarunt viae, euntes semitas

iverunt vias tortuosas, vici in Israele cessarunt;" per "vias" et "semitas" similia significantur quae per "plateas" et "vicos," nempe vera doctrinae ducentia; et per "ire vias tortuosas" significatur aberratio a veris. Apud *Esaiam*,

> "Frangetur urbs inanitatis, claudetur omnis domus ut nemo intret; clamor super vino in plateis, commiscebitur omne gaudium, exulabit laetitia terrae" ([1]xxiv. 10, 11):

per "urbem inanitatis" significatur doctrina in qua non verum sed falsum; per "domum" significatur bonum voluntatis et inde vitae; inde patet quid significatur per "Frangetur urbs inanitatis, claudetur omnis domus ut nemo intret:" per "clamorem super vino in plateis" significatur lamentatio propter defectum et commixtionem veri cum falso; "vinum" significat verum ecclesiae ex Verbo; ideo dicitur "in plateis," quia "platea" id quoque significat, et ibi quaeritur: "gaudium" et "laetitia" dicitur, quia "gaudium" praedicatur de jucundo ex affectione boni, et "laetitia" de jucundo ex affectione veri; quod illa jucunda cessabunt, significatur per "Commiscebitur omne gaudium, exulabit laetitia terrae;" "terra" significat ecclesiam. Apud *Jeremiam*,

> "Quomodo [non] relicta est urbs gloriae, urbs gaudii mei; quare cadent juvenes..in plateis, et omnes viri belli exscindentur" (xlix. 25, 26; cap. l. 30):

per "urbem gloriae" significatur doctrina Divini Veri; per "urbem gaudii" significatur jucundum ex affectione boni et veri ibi; per "juvenes" significantur intelligentes facti per vera; quod peritura sit intelligentia veri, significatur per quod "cadent juvenes in plateis:" per "viros belli" significantur vera pugnantia contra falsa; quod defensio veri contra falsa nulla erit, significatur per quod "omnes viri belli exscindentur." Apud *Ezechielem*,

> "Multiplicasti confossos vestros in urbe hac, ut impleveritis plateas ejus confosso" (xi. 6):

per "confossos" in Verbo intelliguntur qui pereunt per falsa, nam "gladius," quo confoditur, significat falsum destruens verum; per "urbem" significatur hic, ut supra, doctrina veri; inde patet quid significatur per "confossos in urbe:" per "implere plateas confosso" significatur de-

vastatio veri per falsa. In *Threnis*,

> "Qui comederunt lautitias, devastati sunt in plateis; et educati super purpura amplexi sunt sterquilinia. ....Obscurata est prae nigredine forma" Naziraeorum, "non cognoscuntur in plateis. .... Errarunt caeci in plateis, polluti sunt sanguine. ....Venati sunt gressus nostros, ut non ire in plateis" (iv. 5, 8, 14, 18):

per "plateas" etiam hic significantur vera doctrinae ducentia ad bonum vitae, seu vera secundum quae vivendum est: agitur ibi de ecclesia, ubi est Verbum, devastata quoad vera; quare per "Qui comederunt lautitias devastati sunt in plateis," significatur quod illis qui hauserunt genuina vera ex Verbo, non amplius aliqua vera sint; "lautitiae" sunt genuina vera ex Verbo: quod "educati super purpura amplexi sint sterquilinia" significat quod illis qui hauserunt genuina bona ex Verbo, non sint nisi quam falsa mali; "purpura" significat genuinum bonum Verbi, in specie caelestem amorem veri, et "sterquilinia" significant falsa mali: per "Obscurata est prae nigredine forma Naziraeorum, non cognoscuntur in plateis," significatur quod Divinum Verum in tam obscuro sit, ut non alicui appareat; per "Naziraeos" repraesentatus est Dominus quoad Divinum Verum; inde per illos significatur Divinum Verum a Domino: per "Errarunt caeci in plateis, polluti sanguine," significatur quod vera Verbi non amplius videantur quia falsificata; per "caecos" significantur qui non vident vera: per "Venati gressus nostros, ut non ire in plateis," significatur seductio, ut non sciatur quomodo vivendum; per "venari gressus" significatur seducere per falsa, et per "ire" significatur vivere; inde per "ire in plateis" significatur vivere secundum vera. Apud *Zephaniam*,

> "Exscindam gentes, devastabuntur anguli eorum, desolabo plateas eorum ut non transiens, devastabuntur urbes eorum, ut non vir nec habitator" (iii. 6):

per "gentes" quae exscindentur, significantur bona ecclesiae: per "angulos" qui devastabuntur, significantur vera et bona ejus in toto complexu: (quod haec per "angulos" significentur, videatur supra, n. 417:) per "plateas" quae desolabuntur ut non transiens," significantur vera doctrinae; nam per "urbes" quae devastabuntur ut non vir nec habitator" significantur doctrinalia; per "virum" et "habitatores" in

spirituali sensu in Verbo intelliguntur omnes qui in veris et in bonis sunt, ita abstracte vera et bona.

[*c.*] Apud *Sachariam*,

> "Revertar ad Zionem, et habitabo in medio Hierosolymae, unde vocabitur Hierosolyma urbs veritatis.... : adhuc habitabunt..mares et senes mulieres in plateis Hierosolymae,....et implebuntur plateae..pueris et puellis ludentibus in plateis ejus" (viii. 3-5):

haec de adventu Domini, et de nova ecclesia ab Ipso instauranda; per "Zionem" intelligitur ecclesia quoad bonum amoris, et per "Hierosolymam" ecclesia quoad vera doctrinae; quare vocatur Hierosolyma "urbs veritatis:" per "mares et senes mulieres," qui "habitabunt in plateis Hierosolymae," intelliguntur intelligentes et sapientes per vera doctrinae; per "pueros et puellas ludentes in plateis," quibus "implebuntur plateae urbis," significantur affectiones veri et boni, et illarum jucunditates, quibus abundabunt illi qui in veris doctrinae vivunt. Apud *Jeremiam*,

> "Juxta numerum urbium tuarum fuerunt dii tui, Jehudah, et juxta numerum platearum Hierosolymae posuistis altaria in pudorem, altaria ad suffiendum Baali" (xi. 13):

"Juxta numerum urbium tuarum fuerunt dii tui, Jehudah," significat quod tot falsa quot doctrinalia; per "urbes" significantur doctrinalia, et per "deos" falsa religionis: "juxta numerum platearum Hierosolymae posuistis altaria in pudorem," significat tot cultus quot falsa doctrinae; per "plateas" hic significantur falsa doctrinae, et per "altaria" cultus; quod sit cultus ex falsis qui intelligitur, est quia per "altaria" intelliguntur altaria suffitus, nam dicitur "Altaria ad suffiendum Baali;" per "suffitum" enim significatur bonum spirituale, quod in sua essentia est verum ex bono, et in opposito sensu falsum ex malo. (Quod "suffitus" et "altare" ejus illa significent, videatur supra, n. 324, 491, 492, 567.) Apud eundem,

> "Num non tu vides, quid illi faciunt in urbibus Jehudae et in plateis Hierosolymae? Filii colligunt ligna, et patres accendunt ignem, mulieres depsunt massam ad faciendum placentas melecheth caelorum, simul ad libandum libamina diis aliis:....cessare faciam in urbibus Jehudae et in plateis Hierosolymae vocem gaudii et vocem laetitiae" (vii. 17, 18, 34):

quid haec in sensu spirituali significant, videatur plene explicatum supra (n. 555[*d*]); et quod per "urbes Jehudae"

significentur doctrinalia ecclesiae, et per "plateas Hierosolymae" vera doctrinae ejus. Apud eundem,

> "[1]Num obliti estis malorum,....quae fecerunt in terra Jehudae, et in plateis Hierosolymae?" ([2]xliv. 9:)

per "terram Jehudae" significatur ecclesia quoad bonum, ibi quoad malum; et per "plateas Hierosolymae" significantur vera doctrinae, hic falsa doctrinae ejus. Apud *Ezechielem*,

> "Per ungulas equorum suorum conculcabit" Nebuchadnezar rex Babelis "omnes plateas tuas, populum gladio occidet, et statuas roboris in terras descendere faciet; diripient opes tuas" (xxvi. 11, 12):

per "Nebuchadnezarem regem Babelis" significatur profanatio veri, et inde destructio ejus: quod per fallacias sensualis hominis destructurus sit omnia vera ecclesiae, significatur per quod "per ungulas equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas:" quod destruet vera per falsa, significatur per quod "gladio occidet populum:" quod sic etiam omnem cultum ex veris, significatur per quod "statuas roboris in terras descendere faciet;" "statuae" enim significant sanctum cultum ex veris; et quia omnis potentia est veri ex bono, vocantur "statuae roboris:" quod etiam destruet cognitiones veri, significatur per quod "diripient opes" (quod "opes" et "divitiae" sint cognitiones veri, videatur n. 236). Apud eundem,

> "Aedificasti tibi excelsum, et fecisti tibi altum in omni platea; super omni capite viae fecisti tibi excelsum tuum, et abominabilem fecisti pulchritudinem tuam" (xvi. 24, 25, 31):

per "excelsa" apud antiquos significabatur caelum, et quoque per "altum;" unde ritus sacrificandi super montibus altis, et loco eorum super excelsis in altum aedificatis; quare cultus ex malis et falsis doctrinae significatur per "facere excelsum et altum in omni platea, et super omni capite viae:" et quia cultus ille idololatricus factus est, ideo dicitur quod "abominabilem fecerint pulchritudinem suam; per "pulchritudinem" intelligitur verum et inde intelligentia, quisque enim in mundo spirituali est [pulcher] secundum vera ex bono et inde intelligentiam. Apud *Amos*,

> "In omnibus plateis luctus, et in omnibus vicis dicent, Heu, heu; et vocabunt agricolam ad luctum" (v. 16):

"In omnibus plateis luctus, et in omnibus vicis dicent, Heu, heu," significat dolorem propter devastatum verum et bonum ubivis; "et vocabunt agricolam ad luctum" significat dolorem hominum ecclesiae propter id; "agricola" significat hominem ecclesiae, quia "ager" significat ecclesiam quoad implantationem veri. Apud *Davidem*,

> "Horrea nostra plena depromentia de cibo ad cibum, greges nostri milleni, decies milleni in plateis nostris; boves nostri onerati, non ruptura nec effugiens, nec clamor in vicis nostris" (Ps. cxliv. 13, 14):

per "horrea" quae plena cibo significantur doctrinalia ex Verbo, ita Verbum ubi omnia vera doctrinae, ex quibus instructio et nutritio spiritualis; per "greges millenos et decies millenos in plateis," significantur bona et vera spiritualia, per "greges millenos" bona, et per "decies millenos" vera; per "boves oneratos" significantur bona naturalia et illorum affectiones; per "non rupturam" significatur cohaerentia illorum; per "non effugiens" significatur non jactura ullius; per "non clamorem in vicis" significatur nullibi lamentatio super defectum illorum. Apud *Hiobum*,

> Deus "qui dat pluviam super facies terrae, et qui mittit aquas super facies platearum" (v. 10):

"dare pluviam super facies terrae" significat influxum Divini Veri in omnia apud illos qui ab ecclesia; et "mittere aquas super facies platearum" significat influxum Divinum in vera doctrinae, ad spiritualem reddendum hominem per illa. Apud *Esaiam*,

> "In plateis ejus accinxerunt saccum, super tectis ejus et in plateis ejus ejulabit, descendens in fletum" (xv. 3):

haec de urbe Ar in terra Moabi, per quam significatur doctrina illorum qui in veris ex naturali homine sunt: dolor super falsa doctrinae illorum, a primis ad ultima, significatur per "Accinxerunt saccum, super tectis et in plateis ejus ejulabit;" "tecta" sunt interiora, et "plateae" sunt exteriora apud illos. Apud *Jeremiam*,

> "Super omnibus tectis Moabi, et in plateis ejus totus luctus" (xlviii. 38):

per haec similia significantur quae nunc supra. Apud

Danielem,

> "Scito et percipito, ab exitu Verbi, usque ad restituendum et ad aedificandum Hierosolymam, usque ad Messiam principem [septimanae septem]; postea septimanis sexaginta duabus restituetur et aedificabitur platea et fossa, sed in angustia temporum" (ix. 25):

qui non scit sensum spiritualem Verbi, opinari potest quod per "Hierosolymam" hic significetur Hierosolyma, et quod illa restituetur et aedificabitur, et quoque quod per "plateam et fossam" platea urbis et fossa ibi, de qua etiam dicitur quod restituetur et aedificabitur; sed per "Hierosolymam" intelligitur ecclesia quae a Domino instaurabitur, et per "plateam et fossam" intelligitur verum doctrinae, per "plateam" verum, et per "fossam" doctrina: quid per numeros [1]septimanarum ibi significatur, non locus hic explicandi est.

[*d*.] Ex illis nunc patet quod per "plateam Novae Hierosolymae" simile significetur in sequentibus in *Apocalypsi*,

> "Duodecim portae duodecim margaritae,....et platea urbis aurum purum, quasi vitrum pellucidum" (xxi. 21);

et postea,

> "Ostendit mihi purum fluvium aquae vitae, splendidum sicut crystallum, exeuntem e throno Dei et Agni: in medio plateae ejus et fluvii hinc inde arbor vitae faciens fructus duodecim" (xxii. 1 2):

sed de his in sequentibus. Apud *Esaiam*,

> "Filii tui defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum, sicut bubalus reti" (li. 20):

haec quoque de Hierosolyma, hoc est, ecclesia, quoad doctrinam vastata; per "filios" intelliguntur qui in veris doctrinae sunt: "deficere et jacere in capite omnium platearum" significat deprivatos omni vero; "caput" seu principium "platearum" significat ingressum ad verum, ita omne verum. In *Threnis*,

> "Infans et lactens deficit in plateis urbis;....tolle ad" Dominum "manus tuas super animas infantum tuorum, qui defecerunt per famem in capite omnium platearum" (ii. 11, 19):

per "infantem et lactentem" significatur innocentia, et quoque bona et vera quae per cognitiones ex Verbo primum nascuntur et vivificantur apud homines qui regenerantur; quae quia prima sunt, etiam insontia et innocua

sunt: illorum defectus plenarius significatur per quod "defecerunt in plateis urbis, et in capite omnium platearum:" dicitur "per famem," quia "fames" significat deprivationem, defectum, ignorantiam et simul desiderium cognitionum (videatur supra, n. 386). Apud *Nahum*,

> "Infantes ejus allisi sunt ad caput omnium platearum, et super honoratos ejus jecerunt sortem, et omnes magnates ejus vincti sunt catenis" (iii. 10):

per "infantes" etiam hic intelliguntur vera primum nascentia et vivificata, et per "allidi ad caput omnium platearum" significatur dispergi et perire; per "honoratos" significantur bona amoris; per "jacere sortem super illos" significatur dissipari: per "magnates" significantur vera boni; et per "vinciri catenis" significatur ligari a falsis ut vera non prodire possint: haec de "urbe sanguinum," per quam significatur doctrina in qua vera Verbi falsificata sunt. Apud *Jeremiam*,

> "Ascendit mors per fenestras nostras, venit in palatia nostra, ad exscindendum infantem e platea, juvenes e vicis" (ix. 20 [*B. A.* 21]):

per "mortem" hic intelligitur mors spiritualis, quae existit quando falsum creditur esse verum ac verum falsum, et secundum id vivitur: per "fenestras" significantur cogitationes ex intellectu, per "palatia" significantur interiora et inde sublimiora mentis humanae; inde patet quid significatur per quod "ascendat mors per fenestras, veniat in palatia nostra:" per "infantem" significantur hic, ut supra, vera primum nascentia per cognitiones e Verbo, per "juvenes" vera acquisita ex quibus intelligentia, ac per "plateas" et "vicos" vera doctrinae et vera vitae quae ducunt ad intelligentiam et sapientiam; inde patet quid significatur per "exscindere infantem e platea, juvenes e vicis." Apud eundem,

> "Ira Jehovae plenus sum, defatigatus sum continendo; effunde super infantem in platea, et super coetum juvenum, quia etiam vir cum muliere capientur, senex cum pleno dierum" (vi. 11):

[11]hic per "infantem in platea" et per "juvenes" similia quae supra significantur; per "virum et mulierem" significatur verum conjunctum bono et inde intelligentia, ac per "senem et plenum dierum" significatur sapientia. Quoniam "platea" significat verum doctrinae ducens, et

in opposito sensu falsum, ideo per "platearum lutum," "caenum" et "stercus" significatur falsum amoris mali, in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

> "Factum est cadaver eorum stercus platearum" (v. 25);

apud eundem,

> "Ponet illum conculcationem sicut lutum platearum" (x. 6);

apud *Micham*,

> "Erit in conculcationem sicut caenum platearum" (vii. 10);

apud *Davidem*,

> "Conteram eos sicut pulverem coram faciebus venti, sicut caenum platearum attenuabo illos" (Ps. xviii. 43 [*B.·A.* 42]):

haec etiam ex apparentiis in mundo spirituali; in urbibus ibi ubi falsa ex malo regnant, apparent plateae plenae stercore, caeno et luto. Ex his constare potest quid significat

> Quod Dominus mandaverit septuaginta, quos emisit ad praedicandum Evangelium: "In quam urbem ingredimini, et non susceperint vos, egredientes in plateas ejus, dicite, Etiam pulverem adhaerentem nobis ex urbe vestra [1]excutimus [2]vobis" (*Luc.* x. [3]10, 11).

Quoniam per "plateas urbis" significantur vera doctrinae, secundum quae vivendum est, ideo solitum fuit docere et orare in plateis:—Ut in *Libro Secundo Samuelis*,

> "Ne annuntiate in Gath, ne evangelizate in plateis Aschkelon, ne forte gaudeant filiae Philisthaeorum" (i. 20);

apud *Matthaeum*,

> "Quando feceris eleemosynam, ne tuba canas ante te, quemadmodum hypocritae faciunt in synagogis et in vicis, ut glorificentur ab hominibus. ....Et si oraveris, non eris sicut hypocritae, nam amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, quo conspicui fiant hominibus" (vi. [4]2, 5);

et apud *Lucam*,

> "Tunc incipietis dicere, Edimus coram Te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti; sed [dicet,] Dico vobis, non novi vos unde estis" (xiii. 26, 27).

Ex significatione "plateae," quod sit verum doctrinae, etiam patet cur Dominus, in parabola, dixerit

> Quod Paterfamilias jusserit servis, ut abirent ocius in plateas et vicos urbis, ac pauperes, mancos, claudos et caecos introducerent (*Luc.* xiv. 21):

per "pauperes," "mancos," "claudos" et "caecos" non intelliguntur tales in naturali sensu, sed tales in spirituali; qui, nempe, quia non habebant Verbum, in ignorantia veri et inde in defectu boni fuerunt, sed usque desiderabant vera, per quae illis bonum: tales fuerunt gentes, a quibus ecclesia Domini dein instaurata fuit. Quoniam per "plateam urbis" significabatur tam verum quam falsum docens et ducens, ideo

> Angeli, qui venerunt Sodomam, dixerunt quod pernoctare vellent in platea (*Gen.* xix. 2).

Et quoque ideo statutum fuit

> Quod filii Israelis, si animadverterent in aliqua urbe quod servirent diis aliis, percuterent habitatores urbis gladio, devovendo urbem, et omnem praedam ejus comportarent in medium plateae, et comburerent urbem et omnem praedam igne (*Deutr.* xiii. 14, 16, 17):

per "deos alios" significantur falsa cultus; per "gladium" destructio falsi per vera, per "praedam" falsificatio veri, et per "ignem" poena amoris mali, et destructio ejus. Ex locis his e Verbo allatis constare potest, quid significatur per quod "corpora binorum testium projecta sint super platea urbis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus;" et dein quod "non permissa fuerint poni in monumentis;" mos enim fuit apud gentem Judaicam et Israeliticam, occisos, qui fuerunt hostes, projicere in vias et in plateas, et non sepelire, in signum quod tali odio illos haberent; at usque repraesentabatur per id quod infernalia mala et falsa essent, quae non resuscitari possent in vitam, hoc est, illi qui in infernalibus malis et falsis essent: ut quoque patet apud *Jeremiam*,

> Prophetae prophetant dicentes, "Gladius et fames non erit in terra hac, gladio et fame consumentur prophetae hi; et populus, quibus illi prophetantes, erunt abjecti in plateas Hierosolymae, et non sepeliens" (xiv. 15, 16):

per "prophetam" intelligitur doctrina veri, ibi doctrina falsi, nam falsa prophetarunt; et quia "plateae" significabant ubi falsa, ideo dicitur quod "erunt abjecti in plateas Hierosolymae."

653[*a*]. ***"Quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus."***—Quod significet *per mala amoris sui et per falsa inde*, constat ex significatione "Sodomae," quod sit amor sui et inde mala omnis generis (de qua sequitur); et ex signifi-

fificatione "Aegypti," quod sit naturalis homo separatus a spirituali, et inde falsum mali omnis generis (de qua etiam sequitur). Quod per "Sodomam et Aegyptum" intelligatur Hierosolyma, proinde ecclesia, in qua adulterata sunt bona quae amoris, et falsificata vera quae doctrinae, patet; nam sequitur, "ubi et Dominus noster crucifixus est;" nam mala amoris sui et falsa doctrinae sunt quae crucifigunt Dominum; quapropter a Judaeis, quoniam ii in illis malis et falsis fuerunt, crucifixus est; sed de hac re in sequentibus. Hic primum ostendetur quod per "Sodomam" in Verbo significetur amor sui, et inde omne malum; nam mala omnis generis scaturiunt ex amore sui; qui enim se solum amat, is amat suum proprium; et inde omnia voluntatis suae et intellectus sui immergit proprio, usque adeo ut non possit ab illo elevari ad caelum et ad Dominum; inde est quod ex luce caeli nihil videat, sed solum ex luce mundi, quae lux separata a luce caeli est in spiritualibus, quae sunt caeli et ecclesiae, mera caligo; quare etiam quo plus homo semet amat, eo plus spernit spiritualia, immo negat illa: inde etiam interna spiritualis mens, per quam homo est in luce caeli, clauditur; unde fit homo mere naturalis, et homo mere naturalis favet malis omnis generis: nam mala in quae homo nascitur, in naturali homine resident; quae ab illo removentur quantum ejus mens interior quae recipit lucem caeli aperitur: proprium hominis etiam in naturali homine residet, et proprium hominis non est nisi quam malum. Quod itaque "Sodoma" significet amorem sui, et inde mala omnis generis, constare potest a locis in Verbo ubi Sodoma nominatur; ut a sequentibus:—Apud *Ezechielem*,

> "Soror tua major Samaria, ipsa et filiae ejus, habitans ad sinistram tuam; at soror tua minor te, habitans ad dextram tuam, Sodoma et filiae ejus;....corrupisti te prae illis in omnibus viis tuis:....non fecit Sodoma soror tua, ipsa et filiae ejus, quemadmodum tu fecisti et filiae tuae: ecce haec fuit iniquitas Sodomae..., superbia, satietas panis, et tranquillitas quietis fuit illi et filiabus ejus, et manum miseri et egeni non confirmavit; unde elatae factae sunt, et fecerunt abominationem coram Me" (xvi. 46–50):

agitur ibi de abominationibus Hierosolymae, quae praecipue fuerunt quod adulteraverint bona et vera Verbi et ecclesiae; per "Samariam," ubi Israelitae erant, significatur ecclesia spiritualis, in qua bonum spirituale, quod est bo-

num charitatis erga proximum, est essentiale; per "Hierosolymam" autem, ubi erant Judaei, significatur ecclesia caelestis, in qua bonum caeleste, quod est bonum amoris in Dominum, est essentiale. Sunt enim duo regna in quae caelum, et inde ecclesia, est distinctum, regnum spirituale et regnum caeleste (de quibus regnis videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 20–28); haec regna repraesentata fuerunt per Israelitas, quorum metropolis fuit Samaria, et per Judaeos, quorum metropolis fuit Hierosolyma. Bono spirituali, quod est bonum charitatis erga proximum, oppositum est malum infernale, quod est malum amoris mundi; et bono caelesti est oppositum malum diabolicum, quod est malum amoris sui: ex amore sui scaturiunt mala omnium generum, et multo pejora quam ex amore mundi (vide *Novam Hierosolymam*, n. 65–83); inde est quod de Hierosolyma memorentur diriora et abominabiliora quam de Samaria; et inde est quod Hierosolyma non modo dicatur "Sodoma," sed etiam quod pejora fecerit quam Sodoma; nam dicitur, "Non fecit Sodoma quemadmodum tu fecisti et filiae tuae:" quod malum amoris sui fuerit malum Sodomae, describitur ita, "Haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, satietas panis, tranquillitas quietis," et quod "manum miseri et egeni non confirmaverit;" per "superbiam" intelligitur amor sui; per "satietatem panis" contemptus omnis boni et veri caeli et ecclesiae, ac nausea ad illa; per "tranquillitatem quietis" securitas et non anxietas propter aliquod malum; et per "non confirmationem manus miseri et egeni" significatur immisericordia: quia amor sui fuit amor Sodomae, ideo dicitur quod "filiae ejus elatae factae sint, et fecerint abominationem coram Jehovah;" per "filias," quae elatae, significantur cupiditates quae illius amoris, et per "abominationem coram Jehovah" significatur omne malum contra ipsum Divinum.

[*b.*] Quoniam per "Chaldaeos" significatur profanatio et adulteratio veri doctrinae ex Verbo, et per "habitatores Babelis" profanatio et adulteratio boni amoris, ideo illorum eversio etiam comparatur eversioni Sodomae et Gomorrhae:—Apud *Jeremiam*,

"Gladie contra Chaldaeos..., et contra habitatores Babelis,....juxta eversionem Dei, Sodomam et Gomorrham, et vicinas ejus...; non habitabit ibi vir, nec commorabitur in [1]ea filius hominis" (l. [2]35, 40);

et apud *Esaiam*,

"Sic erit Babel, ornamentum regnorum, decus magnificentiae Chaldaeorum, sicut eversio Dei, Sodoma et Gomorrha" (xiii. 19):

per "Sodomam" significatur malum amoris sui, et per "Gomorrham" falsum illius amoris; et quia amor sui non agnoscit aliquod verum ecclesiae, dicitur, "Non habitabit ibi vir, nec commorabitur ibi filius hominis;" per "virum" significatur intelligentia, et per "filium hominis" verum ecclesiae. Quia per "Edomum" significatur naturalis homo qui in falsis est ex amore sui, et inde qui adulterat bona ecclesiae, ideo etiam ejus vastatio comparatur eversioni Sodomae et Gomorrhae:—Apud *Jeremiam*,

"Erit Edomus in desolationem, ... sicut eversio Sodomae et Gomorrhae, ... non habitabit ibi vir, nec commorabitur ibi filius hominis" (xlix. 17[, 18]);

et apud *Zephaniam*,

"Moab sicut Sodoma futura est, et filii Ammonis sicut Gomorrha, locus derelictus urticae, et fovea salis, vastitas in aeternum" (ii. 9);

per "Moabum," ut dictum est, intelligitur naturalis homo, qui ex amore sui adulterat bona ecclesiae; et per "filios Ammonis," qui falsificant vera ejus; et quia inde devastatio omnis boni et veri, ideo dicitur, "Locus derelictus urticae, et fovea salis, vastitas in aeternum;" devastatio omnis boni significatur per "locum urticae," et devastatio omnis veri per "foveam salis:" similia significantur per "Sodomam" et "Gomorrham." Quia per "Jehudam" significatur amor caelestis qui est amor in Dominum, ex quo omne bonum, et in opposito sensu amor diabolicus qui est amor sui, ex quo omne malum, ideo devastatio ecclesiae (quae per "Jehudam" et per "Hierosolymam" significatur) etiam comparatur eversioni Sodomae et Gomorrhae:—Apud *Esaiam*,

"Impegit Hierosolyma, et Jehuda cecidit, ... obfirmatio facierum eorum correspondet contra eos, et peccatum eorum sicut Sodomae" (iii. 8, 9);

et apud eundem,

"Audite verbum Jehovae, principes Sodomae; auscultate legem Dei nostri, populi Gomorrhae" (i. 10):

per "verbum Jehovae" intelligitur Divinum Bonum, et per "legem Dei" intelligitur Divinum Verum; nam ubi agitur de bono, dicitur "Jehovah," et ubi de vero, dicitur "Deus:"

et quia Divinum Bonum illis qui in amore sui sunt est malum, dicitur "Peccatum eorum sicut Sodomae," tum "Audite verbum Jehovae, principes Sodomae;" et quia Divinum Verum illis qui in malo amoris sui sunt est falsum, dicitur "Auscultate legem Dei, populi Gomorrhae." Apud *Mosen*,

"De vite Sodomae vitis eorum, et de agris Gomorrhae uvae ejus, uvae fellis, botri amaritudinum illis" (*Deutr.* xxxii. 32):

haec de diris falsis apud posteros Jacobi scaturientibus ex malis amoris sui. (Sed haec supra, n. 519[*b*], explicata sunt.) In *Threnis*,

"Qui comederunt lautitias, devastati sunt in plateis; educati super purpura amplexi sunt sterquilinia;....magna facta est iniquitas populi mei prae peccato Sodomae, quae eversa est quasi momento" (iv. [5,] 6):

haec dicta sunt de illis qui e regno et ecclesia caelesti Domini sunt, quando mutati in contrarium; nam amor caelestis est qui vertitur in amorem sui, qui est amor diabolicus; de illis verba illa dicta sunt: quid significatur per "comedere lautitias," "educari super purpura," "devastari in plateis," et "amplecti sterquilinia," in superiori articulo (n. 652[*b*]) explicatum est; quod de illorum iniquitate, quod facta sit "prae peccato Sodomae," dicatur, erat quia Verbum habebant, ex quo scire vera et bona caeli et ecclesiae seu doctrinae et vitae potuerunt, et illa adulteraverunt, quod habitatores Sodomae non facere potuerunt; nam qui scit voluntatem Domini et non facit illam, magis peccat quam qui non scit: etiam omnes, apud quos regnat amor sui, contemnunt sancta caeli et ecclesiae, et negant Divinum Domini; et ad confirmandum mala ex illo amore profluentia, vel adulterant Verbum, vel rejiciunt illud sicut scriptum non sanctum aliunde quam quia receptum est; inde est quod qui illa ex amore sui faciunt, comparentur Sodomae et Gomorrhae. Quod pejus faciant quam in Sodomis, qui instruuntur a Domino de veris et bonis ecclesiae, et tamen rejiciunt illa et negant illa, constat ex Domini verbis de Capernaum, apud *Matthaeum*,

"Tu Capernaum, quae usque ad caelum exaltata es, usque ad infernum deprimeris; quia si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, mansissent usque hodie;..dico [1]tibi quod terrae Sodomorum tolerabilius erit in die judicii quam tibi" (xi. 23, 24):

Dominus enim, postquam reliquit Nazareth, habitavit in Capernaum (*Matth.* iv. 13), et miracula ibi fecit (*Matth.* viii. 5–14; *Joh.* iv. 46 ad fin.).

Similia dixit Dominus de urbibus in quibus discipuli praedicarent adventum Ipsius, seu Evangelium, sed non recipierentur, his verbis apud eundem,

"Quisquis non receperit vos, neque audiverit verba vestra, egredientes e domo aut urbe ista, excutite pulverem pedum vestrorum; amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomae et Gomorrhae in die judicii quam urbi illi" ([*Matth.*] x. 14, 15; *Marc.* vi. 11; *Luc.* x. [1]10–12):

nemo enim rejicit sancta ecclesiae, et negat Divinum Domini interius, quam illi qui in amore sui sunt; qui in amore mundi et inde malis sunt, illi quoque sancta ecclesiae rejicere possunt, sed usque non interius, hoc est, ex confirmatione cordis. Simile dicitur de prophetis et de populo qui adulterant vera et bona Verbi, ad confirmandum mala et falsa, apud *Jeremiam*,

"In prophetis Hierosolymae vidi obfirmationem horrendam, adulterando et eundo in mendacio, dum confirmarunt manus malorum, ut non reverteretur vir a malitia sua, facti sunt Mihi sicut Sodoma, et habitatores ejus sicut Gomorrha" (xxiii. 14):

per "prophetas" ibi intelliguntur docentes vera et bona doctrinae, et in sensu abstracto, qui est genuinus sensus spiritualis, intelligitur doctrina ex Verbo, ita quoque Verbum quoad doctrinam; quare per "obfirmationem horrendam" significatur confirmatio cordis contra vera et bona Verbi: per "adulterare et ire in mendacio" significatur pervertere bona et vera Verbi; per "adulterare" pervertere bona Verbi per mala et falsa, "mendacium" est falsum, ac "ire in mendacio" est vivere in falsis: confirmare mala et inde potentiam illorum super bona, significatur per "confirmare manus malorum:" et perstare in malis et falsis doctrinae significatur per "non reverti vir a malitia sua:" inde dicitur quod "facti sint sicut Sodoma, et habitatores ejus sicut Gomorrha;" "sicut Sodoma" significat in malis scaturientibus ex amore sui, et "habitatores ejus sicut Gomorrha" significat vitam malam ex falsis doctrinae. Describitur malum quod Sodomam et Gomorrham perdidit, per haec apud *Mosen*,

Quod violentiam inferre voluerint angelis, et quod ideo percussi fuerint caecitatibus, ut non invenire potuerint januam ubi angeli; et quod

ideo Jehovah pluere fecerit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem, et everterit urbes illas, et omnem planitiem, et omnes habitatores urbium, et germen terrae" (*Gen.* xix. [1–28]):

quod "violentiam inferre voluerint angelis" significabat quod Divino Bono et Divino Vero, nam illa per "angelos" significantur: per "caecitates," quibus percussi sunt "ut non invenirent januam," significabatur plenaria rejectio et negatio Divini et sanctorum caeli et ecclesiae, usque ut non possent [1]aliquid caeli et ecclesiae videre et agnoscere; hoc significatur per "non invenire januam" ubi angeli: per "sulphur" significatur concupiscentia destruendi bona et vera ecclesiae per falsa, et per "ignem" significatur amor sui et omne malum quod destruit, hic exitia eorum. Quod per "Sodomam" et "Gomorrham" omnia mala et falsa ex amore sui profluentia intelligantur, mihi dictum est e caelo; nam cum illi, qui in malis ex illo amore sunt, pereunt, ut factum est die ultimi judicii, apparuit sicut sulphur et ignis pluens e caelo; hoc mihi etiam visum est. Quod tale die ultimo judicii exstiturum sit, praedicitur etiam a Domino apud *Lucam*,

"Similiter fiet quemadmodum factum est in diebus Lothi;....qua die egressus est..e Sodoma, pluit igne et sulphure e caelo et perdidit omnes: juxta haec fiet qua die Filius hominis revelabitur" (xvii. 28–30).

Quoniam illi qui ex amore sui confirmant se in malis per falsa contra vera et bona caeli et ecclesiae, prorsus eradicant apud se omne verum doctrinae et Verbi, ac bonum amoris spiritualis et caelestis, ideo vastatio apud illos fit totalis; quae ita describitur apud *Mosen*,

"Sulphur erit et sal, combustio tota terra; non conseretur, nec germinabit, nec ascendet in illa ulla herba, juxta eversionem Sodomae et Gomorrhae, Adamae et Zeboim" (*Deutr.* xxix. 22 [*B. A.* 23]):

per "sulphur" significatur vastatio omnis boni per concupiscentias ex malis; per "salem" significatur vastatio omnis veri per falsa ex concupiscentiis illis; per "combustionem totius terrae" significatur devastatio ecclesiae per amorem sui; per "non conseretur, nec germinabit, nec ascendet in illa ulla herba," significatur quod prorsus nulla receptibilitas veri ecclesiae ("herba" significat verum ecclesiae nascens): et quia talis est devastatio boni et veri ex amore sui, ideo dicitur, "juxta eversionem Sodomae et Gomorrhae, Adamae

et Zeboim ;" per "Adamam et Zeboim" significantur cognitiones mali et falsi. Quod tale exstiturum sit die ultimi judicii, significatur per "qua die Filius hominis revelabitur."

654[*a*]. Quod "Aegyptus" hic significet naturalem hominem separatum a spirituali, et inde falsa profluentia ex malis amoris sui, proinde ex fastu propriae intelligentiae, nunc dicetur: cum enim naturale hominis separatur a spirituali ejus, quod fit imprimis ex amore sui, tunc ex malis illius amoris profluunt falsa; nam omne falsum est ex malo, falsum enim est patrocinium mali, ac malum voluntatis formatur in intellectu per ideas cogitationis, quae ideae vocantur falsa: et quia falsa profluentia ex malis amoris sui, fastum secum habent, homo enim tunc cogitat ex proprio, ideo etiam per "Aegyptum" hic significatur fastus propriae intelligentiae. Sed quoniam per "Aegyptum" significatur naturalis homo in utroque sensu, nempe, tam conjunctus cum spirituali homine quam separatus ab illo, ita in sensu bono et in sensu malo, ideo per "Aegyptum" quoque significantur varia quae sunt naturalis hominis, quae in genere se referunt ad cognitiones et scientifica; nam vera et falsa naturalis hominis vocantur cognitiones et scientifica; ipsa autem vera, quando vitam adepta sunt, quod fit per vitam fidei quae est charitas, sunt spiritualis ejus hominis: haec, cum illorum affectionibus et amoenitatibus, non apparent ad manifestum hominis sensum et visum, sicut cognitiones et scientifica naturalis hominis, ex causa quia homo, quamdiu vivit in mundo, naturaliter cogitat et naturaliter loquitur, et hoc sentitur et percipitur ab illo quodam visu, qui est intellectus ejus: at spiritualis ejus cogitatio, quae conjuncta est cum affectione veri, aut falsi, non apparet priusquam homo exuit corpus naturale, et induit corpus spirituale, quod fit post obitum seu decessum ex hoc mundo, et ingressum in mundum spiritualem; tunc spiritualiter cogitat et spiritualiter loquitur, et non ut prius naturaliter. Hoc fit apud unumquemvis hominem, sive sit mere naturalis sive sit simul spiritualis; et cogitatio apud mere naturalem hominem post mortem usque est spiritualis, sed crassa absque intelligentia veri et affectione boni; nam consistit ex ideis correspondentibus, quae quidem apparent sicut materiales, sed usque non sunt materiales: sed de spirituali cogitatione et inde loquela etiam

mere naturalium hominum in mundo spirituali, alibi, volente Domino, plura dicentur. Quod per "Aegyptum" in Verbo significetur naturalis homo in utroque sensu, bono et malo, consequenter omne id quod proprie est naturalis hominis, erat causa quia in Aegypto excolebantur scientiae, imprimis scientia correspondentiarum et repraesentationum, tempore quando ecclesiae fuerunt repraesentativae: sed quia secundum correspondentias sibi fecerunt simulacra, quae, dum ab internis facti sunt prorsus externi, ritu sancto inceperunt colere, unde facta sunt illis idola, quare verterunt repraesentativa spiritualium et caelestium in idololatrica, et quoque in magica, inde est quod per "Aegyptum" in Verbo in sensu malo, qui est priori oppositus, significetur scientificum falsum naturalis hominis, et quoque idololatricum et magicum. Quod talia per "Aegyptum" significentur, constare potest ex perpluribus locis in Verbo: sed antequam accedimus ad confirmandum illud ex Verbo, scire debemus quod apud unumquemvis hominem sit internum quod ex luce caeli videt, quod internum vocatur homo internus spiritualis, seu mens interna spiritualis, et externum quod ex luce mundi videt, quod externum vocatur homo externus naturalis, seu mens externa naturalis: apud omnem hominem ecclesiae erit internum conjunctum externo, seu internus spiritualis homo conjunctus externo naturali homini; et quando conjuncti sunt, tunc spiritualis homo, quia in luce caeli est, dominatur super naturalem hominem qui in luce mundi est, ac regit eum sicut herus famulum, ac docet sicut magister discipulum; ex illa conjunctione homo est homo ecclesiae et est angelus. At vero quando naturalis homo non conjunctus est cum spirituali et ei subordinatus, quod fit imprimis quando spiritualis homo occlusus est, (et occlusus est apud illos qui negant Divina Verbi et ecclesiae, tunc enim nihil vident ex luce caeli,) tunc naturalis homo in caecitate quoad spiritualia est, et per rationale suum pervertit omnia vera ecclesiae, et per ideas apud se vertit illa in falsa. De hac re, nempe, de conjunctione spiritualis hominis cum naturali, et de separatione naturalis hominis a spirituali, multis agitur in Verbo, imprimis ubi de Aegypto; quoniam per "Aegyptum" significatur naturalis homo, tam conjunctus cum spirituali homine quam separatus ab illo; et ubi agitur de naturali homine separato a spirituali, Aegyptus vituperatur et rejicitur. Et

quia per "Aegyptum" in lato sensu significatur naturalis homo, ideo per "Aegyptum" etiam significatur scientificum verum et scientificum falsum; nam vera et falsa, quae in naturali homine sunt, vocantur scientifica: et quia scientifica vera et falsa significantur per "Aegyptum," etiam per illam significatur fides, quoniam fides est veri ac verum est fidei; unde fides conjuncta charitati etiam significatur per "Aegyptum" in bono sensu, at fides separata a charitate in malo sensu: nam fides conjuncta charitati est dum spiritualis homo conjunctus est naturali, et tunc per "Aegyptum" significantur scientifica vera; at fides separata a charitate est dum naturalis homo separatus est a spirituali, et tunc per "Aegyptum" significatur scientificum falsum: quando enim naturalis homo separatus est a spirituali homine, tunc homini nulla vera sunt; et si vera haurit ex Verbo seu ex doctrina ecclesiae, usque per ideas cogitationis suae falsificat illa; inde apud hominem ecclesiae talem omne verum fit falsum. Haec de significatione Aegypti in Verbo: quare primum ex Verbo demonstrandum est quod per "Aegyptum" significatur naturalis homo conjunctus spirituali, seu scientificum vivificatum per influxum lucis spiritualis; seu quod simile, fides conjuncta charitati, quae in se est fides: et postea demonstrabitur quod per "Aegyptum" in opposito sensu significetur naturalis homo separatus a spirituali, seu scientificum non vivificatum per aliquem influxum vitae spiritualis; seu quod simile, fides separata a charitate, quae in se non est fides.

[*b.*] Quod per "Aegyptum" significetur naturalis homo conjunctus spirituali, tum scientificum vivificatum per influxum lucis spiritualis, quod in se est verum scientificum seu verum naturalis hominis, et quod simile, fides conjuncta charitati, quae in se est fides, constat ex sequentibus his locis:—Apud *Esaiam*,

"In die illo erunt quinque urbes in terra Aegypti loquentes labia Canaanis, et jurantes Jehovae Zebaoth; urbs Cheres dicetur unaquaevis. In die illo erit altare Jehovae in medio terrae Aegypti, et statua apud terminum ejus Jehovae. ....Clamabunt ad Jehovam propter oppressiones, qui mittet illis Servatorem et Principem....: tunc notus fiet Jehovah Aegypto, et cognoscent Aegyptii Jehovam in die illo, et facient sacrificium et mincham. ....Sic percutiet Jehovah Aegyptum percutiendo et sanando; unde convertent se ad Jehovam, qui exorabitur illis, et sanabit illos. In die illo erit semita ex Aegypto in Aschurem, ut veniat Aschur in Aegyptum, et

> Aegyptus in Aschurem, et servient Aegyptii cum Aschure: in die illo erit Israel trina Aegypto et Aschuri, benedictio in medio terrae, cui benedicet Jehovah Zebaoth, dicendo, Benedictus populus meus Aegyptus, et opus manuum mearum Aschur, et hereditas mea Israel" (xix. 18–25):

hic "Aegyptus" pro naturali homine conjuncto spirituali, ita pro gentibus et populis qui extra ecclesiam fuerunt: et quia non in veris, naturales homines fuerunt; sed cum audiverunt Evangelium agnoverunt Dominum, et inde instructi in veris doctrinae fidem receperunt. Adventus Domini intelligitur per "In die illo," quod quinquies ibi dicitur. "In die illo erunt quinque urbes in terra Aegypti loquentes labia Canaanis" significat quod apud illos erunt plura doctrinalia secundum vera doctrinae ipsius ecclesiae; "quinque" significant plura, "urbes" doctrinalia, "terra Aegypti" ecclesiam gentium talium, "labia Canaanis" vera doctrinae ecclesiae: "urbs Cheres dicetur unaquaevis" significat doctrinam boni charitatis in singulis; "urbs" est doctrina, et "Cheres," quae in lingua Hebraea significat solem et ejus jubar, est bonum charitatis et inde fides: "in die illo erit altare Jehovae in medio terrae Aegypti, et statua apud terminum ejus Jehovae," significat quod tunc cultus Domini ex bonis charitatis et inde veris fidei, in omnibus quae sunt naturalis hominis; per "altare Jehovae" significatur cultus ex bono charitatis, et per "statuam" cultus ex veris fidei, per "in medio terrae Aegypti" significatur ubique et in omnibus naturalis hominis, et per "terminum" verum scientificum: "clamabunt ad Jehovam propter oppressiones, qui mittet illis Servatorem et Principem," significat dolorem illorum propter defectum veri et inde boni spiritualis, et adventum Domini a quo illa recepturi; "clamare" significat dolorem, "oppressiones" significant defectum veri et inde boni spiritualis, ac "Servator et Princeps" significant Dominum, qui "Servator" seu "Salvator" dicitur ex bono amoris, ac "Princeps" ex veris fidei: "tunc notus fiet Jehovah Aegypto, et cognoscent Aegyptii Jehovam in die illo," significat agnitionem Domini ac Divini Ipsius: "et facient sacrificium et mincham" significat cultum Domini secundum praecepta Ipsius ex Verbo, ita ex veris doctrinae et bono amoris: "sic percutiet Jehovah Aegyptum percutiendo et sanando, unde convertent se ad Jehovam, et exorabitur illis, et sanabit

illos," significat tentationes, et sic conversionem, ac sanationem a falsis per vera: "in die illo erit semita ex Aegypto in Aschurem, ut veniat Aschur in Aegyptum et Aegyptus in Aschurem," significat quod tunc illis aperietur rationale per vera scientifica, ut homo scientifica quae sunt naturalis hominis rationaliter et sic intelligenter intueatur; "Aegyptus" est scientificum naturalis hominis, et "Aschur" est rationale: "in die illo Israel erit trina Aegypto et Aschuri, benedictio in medio terrae," significat influxum in utrumque ex spirituali luce; "Israel" est spiritualis homo cui lux est e caelo, "Aegyptus" est naturalis homo cui lux est e mundo, et "Aschur" est rationalis homo qui est medius, ac lucem recipit ex spirituali, et transmittit in naturalem, et illustrat illum: "cui benedicet Jehovah" significat influxum a Domino; "dicendo, Benedictus populus meus Aegyptus," significat naturalem hominem illustratum; "et opus manuum mearum Aschur," significat rationalem hominem non a se sed a Domino; "et hereditas mea Israel," significat spiritualem hominem, qui "hereditas" vocatur quia omne spirituale est Domini, est enim Divinum procedens Ipsius, ex quo caelum et ecclesia. Quis illa prophetica absque sensu spirituali intellecturus esset? Apud *Micham*,

> "Dies hic quo usque ad Te venient ab Aschure et urbibus Aegypti, et inde ab Aegypto usque ad fluvium, et a mari ad mare, et a monte ad montem" (vii. 12):

haec etiam dicta sunt de instauratione ecclesiae a Domino apud gentes, et per illa verba describitur extensio ecclesiae illius ab uno fine ad alterum: unus finis terrae Canaanis fuit fluvius Euphrates, et alter fuit fluvius Aegypti; extensio veri ab uno fine ad alterum significatur per "a mari ad mare," et extensio boni ab uno fine ad alterum per "a monte ad montem." Quod extensio terrae Canaanis, per quam significatur ecclesia, fuerit a fluvio Aegypti ad fluvium Assyriae (Euphratem), constat apud *Mosen*,

> "Die hoc pepigit Jehovah foedus cum Abramo, dicendo, Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem" (*Gen*. xv. 18);

et in *Libro Primo Regum*,

> "Salomo fuit dominans in omnia regna a fluvio" Euphrate "ad ter-

ram Philisthaeorum, et usque ad terras Aegypti" (v. 1 [*B. A.* iv. 21]):

ecclesia enim, quae in se est spiritualis, terminatur in naturali homine, nempe in ejus rationali et scientifico; nam rationale est in naturali homine interiori, est enim ejus intellectus; similiter in eo est scientificum; ac nascitur rationale per scientifica, nam videt in his sua conclusa sicut in speculo, et confirmat se per illa, sed tamen ex spirituali; absque hoc non est homini rationale, nec scientificum verum, sed pro rationali est ratiocinatio, et pro scientifico vero est scientificum falsum; illa bina itaque faciunt terminos spiritualis ecclesiae, quae per "terram Canaanem" significatur. Apud *Ezechielem*,

"Fili hominis, dic ad Pharaonem regem Aegypti, et ad multitudinem ejus, Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce Aschur cedrus in Libano, pulchra ramo et silva umbrosa, et alta altitudine, et inter implexa fuit surculus ejus; aquae crescere fecerunt eam, abyssus altam fecit eam, ita ut cum fluviis suis irent circum plantam, et aquaeductus emiserit ad omnes arbores agri; unde alta facta est altitudo ejus,....et longi facti rami ejus per aquas multas quas emisit: in ramis ejus nidificarunt omnes aves caelorum, et sub ramis ejus pepererunt omnis bestia agri, ac in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnae: pulchra fuit magnitudine sua, longitudine ramorum suorum, nam fuit radix ejus apud aquas multas. Cedri non occultarunt eam in horto Dei, abietes non pares fuerunt ramis ejus,....omnis arbor in horto Dei non par fuit illi in pulchritudine ejus; pulchram fecerunt eam per multitudinem ramorum ejus, et aemulatae sunt illi omnes arbores Eden, quae in horto Dei" (xxxi. [1]2–9):

quoniam per "Pharaonem regem Aegypti" significatur intellectuale naturalis hominis, quod nascitur et formatur ex veris scientificis rationaliter visis, inde est quod ille hic dicatur "Aschur," per quem significatur rationale, et describitur per "cedrum" ac ejus altitudinem, et ramorum ejus longitudinem et multitudinem, et hoc quia "cedrus" in Verbo etiam significat rationale. (Sed pleraque hic allata supra, n. 650[*d*], explicata sunt.) Quia tale est rationale quoad intellectualia, et tale inde naturale quoad vera scientifica, ideo dicitur quod "cedri non occultaverint illam in horto Dei," et quod "abietes non pares fuerint ramis ejus," et quod "omnis arbor in horto Dei non par fuerit illi in pulchritudine;" per "hortum Dei" significatur intelligentia quae est homini ecclesiae qui in genuinis veris; per "cedrum" significatur rationale ejus quod ex origine spirituali est;

per "abietes" significatur perceptivum naturalis hominis; per "pulchritudinem" significatur affectio veri et inde intelligentia; quod "pulchram fecerint eam per multitudinem ramorum," significat abundantiam verorum scientificorum rationaliter perceptorum; quod "aemulatae sint illi omnes arbores Edenis in horto Dei," significat perceptiones veri ex bono caelesti, unde sapientia; "arbores" significant perceptiones ubi de caelesti homine agitur, et cognitiones ubi de spirituali; "Eden in horto Dei" significat sapientiam quae ex bono amoris; quod sit Pharao et Aegyptus, quae per "Aschurem" et "cedrum" hic intelligitur et describitur, constat quoque ex versu ultimo hujus capitis, ubi dicitur, "Hic est Pharao et omnis multitudo ejus." Quoniam omnis intelligentia et sapientia spiritualis hominis desinit in naturalem, et ibi conspicuam se reddit, ideo in loco supra allato comparatur Pharao rex Aegypti, per quem significatur intellectuale quod est in naturali homine natum et formatum ex veris scientificis, "cedro in horto Dei;" proinde terra Aegypti est quae intelligitur per "hortum Dei:" similiter ut apud *Mosen*,

> "Lothus sustulit oculos suos, et vidit omnem planitiem Jardenis, quod tota aquis abundaret, ...sicut hortus Jehovae, sicut terra Aegypti, qua venitur Zoar" (*Gen*. xiii. 10).

Naturalis homo quoad ejus intellectuale, sicut supra apud *Ezechielem*, etiam describitur a Sancheribo, praefecto regis Assyriae, sed per blasphemias, his verbis,

> "Per manum legatorum tuorum ignominia affecisti Dominum, ac dixisti, Per multitudinem curruum meorum ego ascendi altitudinem montium, latera Libani, ubi exscindam altitudinem cedrorum ejus, electionem abietum ejus, et perveniam ad diversorium finis ejus, silvam arvi ejus: ego fodi et bibi aquas alienas, et exsiccabo vola gressuum meorum omnes fluvios Aegypti" (2 *Reg*. xix. 23, 24):

per haec similia significantur quae in loco supra allato, nempe, rationalia hominum ecclesiae formata ex veris scientificis, et illustrata ex Divino spirituali; quae tamen rex Assyriae, per quem hic significatur rationale perversum, destruere voluit, nam Chiskiae regi Jehudae bellum intulit; verum quia blasphemavit illa, et minatus omnia ecclesiae a primo ad ultimum, quae apud hominem formatur ex spirituali in rationali et naturali ejus, destruere, ideo illa nocte percussa sunt ab angelo Jehovae "centum octoginta

quinque millia" (vers. 35): per "multitudinem curruum regis Assyriae" ibi significantur falsa doctrinae; per "altitudinem montium, latera Libani," quae ascendere voluit, significantur omnia bona et vera ecclesiae, quae voluit destruere; per "altitudinem cedrorum et electionem abietum," quae voluit exscindere, significantur vera rationalia et naturalia quoad perceptionem; per "silvam arvi" significantur scientifica: per "fluvios Aegypti," quos vola gressuum exsiccaret, significatur [1]scientia naturalis hominis ex spirituali origine, quam per sensuale suum annihilaret et deleret; "vola gressuum regis Assyriae" est sensuale et inde ratiocinatio, quae est ex solis fallaciis; "fluvii Aegypti" sunt intelligentia naturalis hominis ex scientificis, quae ex origine spirituali sunt, quando applicantur ad confirmanda vera ecclesiae quae sunt spiritualia.

[*c.*] Quoniam omnis homo apud quem ecclesia implantanda est, primum instruendus est in scientificis, (nam absque instructione naturalis hominis per scientifica, quae etiam sunt variae experientiae ex mundanis et consortiis, homo non potest rationalis fieri, et si non fit rationalis nec fieri potest spiritualis, nam rationale hominis conjungit se ab una parte cum spirituali, hoc est, cum caelo, et ab altera parte cum naturali, hoc est, cum mundo,) et quia ecclesia instituenda fuit apud filios Israelis, ideo primum naturalis homo apud illos instruendus erat, quod erat in veris naturaliter et quoque scientifice intellectis. Hoc ut repraesentaretur et significaretur, factum est, ut Abraham, cujus posteri repraesentaturi erant ecclesiam, et ipse caput ejus,

> Peregrinatus sit in Aegypto cum sua uxore, et ibi aliquantum commoratus (*Gen.* xii. 10, seq.);

et dein,

> Quod Jacobus cum filiis suis, qui tunc filii Israelis vocati sunt, ex mandato abiverint in Aegyptum, et habitaverint in Goschen, quae fuit optima terrarum Aegypti, ac ibi diu permanserint (*Gen.* xlvi., seq.);

et hoc propterea ut in veris primum scientifice et naturaliter instruerentur, antequam spiritualiter: quisque enim per vera scientifice et naturaliter intellecta comparat sibi rationale, in quod spirituale potest influere et operari; nam homo lucem caeli, quae est lux spiritualis, per rationale, quod est intellectus ejus, haurit, et per rationale illustra-

tum a spirituali intuetur in cognitiones et scientifica, et ex illis eligit quae cum genuinis veris et bonis caeli et ecclesiae, quae sunt spiritualia, concordant, et rejicit quae discordant; ita homo fundat ecclesiam apud se: quare de Abrahamo et de Jacobo dicitur, quod propter famem in terra Canaane Aegyptum abirent ad peregrinandum ibi; quod "propter famem," erat quia "fames" significat defectum cognitionum veri et boni, et quoque desiderium ad illas; et "peregrinari" in Verbo significat instrui. Ex his patet quid intelligitur per haec apud *Davidem*,

> "Vitem ex Aegypto proficisci fecisti, expulisti gentes, plantasti eam, purgasti ante eam, et radicari fecisti radices ejus, ut impleverit terram;....emisisti propagines ejus usque ad mare, et ad fluvium ramusculos ejus" (Ps. lxxx. 9, 10[, 12] [*B. A.* 8, 9, 11]):

per "vitem ex Aegypto" significatur ecclesia, quam filii Israelis repraesentarunt; per "expellere gentes" significatur mala naturalis hominis quae per vera expelluntur; per "plantare eam," "purgare ante eam," et "radicari facere radices ejus," significatur instructio secundum ordinem; qui est ut cognitiones et scientifica imbuant, dein ut in deserto sint et tententur, et postea in terram Canaanem, hoc est, in ecclesiam, introducantur; illa in suo ordine significantur per "Plantasti eam, purgasti ante eam, radicari fecisti radices ejus, ut impleverit terram;" per "emittere propagines ejus usque ad mare" significatur incrementum intelligentiae et extensio usque ad ultima boni et veri ecclesiae; et per "emittere ramusculos usque ad fluvium" significatur ad rationale. (Quod per "fluvium," nempe Euphratem, significetur rationale, videatur supra, n. 569.) Apud *Hoscheam*,

> "Cum puer Israel tunc dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum" (xi. 1):

per "Israelem" in sensu spirituali significatur ecclesia, et in supremo sensu Dominus, qui sicut est omne caeli ita est omne eccclesiae: et quia filii Israelis repraesentaturi erant ecclesiam, et secundum Divinum ordinem erat ut primum instruerentur in talibus quae inservitura erunt rationali et per hoc spirituali, ideo in Aegypto primum peregrinati sunt, et deinde in desertum acti, ut tentationes subirent et per illas domaretur naturalis homo; nam homo non rationalis fit nisi scientifica insania et falsa removentur,

et sic expurgetur naturalis homo, quod imprimis fit per tentationes.

[*d.*] Quoniam per "Israelem" in supremo sensu intelligitur Dominus, ideo etiam Ipse, dum infans, in Aegyptum delatus est, secundum haec apud *Matthaeum,*

> "Angelus Domini apparuit in somnio Josepho, dicens, Experrectus assume Puerum, et fuge in Aegyptum, et estote ibi usque dum dixero; ....ille experrectus assumpsit Puerum et matrem Ipsius noctu, et concessit in Aegyptum, et erat ibi usque ad mortem Herodis: ut impleretur quod dictum est....a Propheta,..Ex Aegypto vocavi Filium meum" (ii. 13-15):

per haec etiam significabatur prima instructio Domini, nam Dominus sicut alius homo instructus est, sed ex Divino suo hausit omnia intelligentius et sapientius quam omnes alii: sed hic secessus in Aegyptum modo repraesentavit instructionem; nam sicut omnia repraesentativa Ecclesiae Israeliticae et Judaicae Ipsum spectabant, ideo etiam in Se repraesentavit et perfecit illa, ita enim implevit omnia Legis. Quippe repraesentativa erant ultima caeli et ecclesiae, et omnia priora, quae sunt rationalia, spiritualia et caelestia, in ultima intrant et in illis sunt, quare Dominus per illa in ultimis fuit; et quia in ultimis est omne robur, ideo ex primis per ultima subjugavit omnia inferna, et redegit in ordinem omnia in caelis. Inde erat quod tota vita Domini in mundo fuerit repraesentativa, usque etiam ad omnia illa quae apud *Evangelistas* memorantur de passione Ipsius, quae repraesentabant qualis tunc fuit ecclesia contra Divinum et contra bona et vera caeli et ecclesiae.

[*e.*] Ex his constare potest quid intelligitur per "Aegyptum," ubi de ecclesia instauranda a Domino agitur, in sequentibus locis:—Apud *Esaiam,*

> "Sic dixit Jehovah, Labor Aegypti et merces Cuschi et Sabaeorum, virorum longitudinis, apud Te praeteribunt, et Tibi erunt, post Te ibunt, in vinculis praeteribunt; ita ut erga Te incurvent se, erga Te orent; tantummodo in Te Deus, et praeterea non Deus" (xlv. 14):

haec de Domino, de quo in toto illo capite agitur: per "laborem Aegypti" et per "mercedem Cuschi et Sabaeorum" significatur jucundum amoris naturalis ex acquisitione cognitionum veri et boni; ipsae cognitiones significantur per "Sabaeos," qui vocantur "viri longitudinis" ex bono, nam

"longitudo" significat bonum et ejus quale, ac "latitudo" verum et ejus quale: quod accessuri ad ecclesiam, et Dominum agnituri et adoraturi, significatur per "Apud Te praeteribunt, Tibi erunt, erga Te incurvabunt se:" quod naturalis homo apud illos serviturus spirituali et sic Domino, significatur per quod "in vinculis praeteribunt;" nam "in vinculis ire" dicuntur, apud quos coercentur cupiditates quae sunt naturalis hominis: quod agnituri quod solus Dominus sit Deus, intelligitur per quod "erga Ipsum orabunt, tantummodo in Ipso Deus, et praeterea non Deus." Apud *Davidem*,

> "Venient pingues ex Aegypto, Cusch accelerabit manus suas Deo; regna terrae, cantate Deo, psallite Domino" (Ps. lxviii. 32, 33 [*B. A.* 31, 32]):

per "pingues ex Aegypto" significantur gentes, qui in affectione sciendi vera, et per "Cuschum" significantur qui ex jucundo naturalis hominis hauriunt illa; quod per "Cuschum" illud significetur, constat ex aliis locis ubi nominatur;

> (Ut *Gen.* ii. 13; *Zeph.* iii. 5, 9, 10; *Dan.* xi. 43:)

quod gentes recepturae vera et bona caeli et ecclesiae a Domino, significatur per quod "regna terrae canerent Deo, et psallerent Domino." Apud *Hoscheam*,

> "Cum honore advenient sicut avis ex Aegypto, et sicut columba e terra Assyriae, et habitare faciam eos super domibus suis" (xi. 11);

haec quoque de Domino instauraturo ecclesiam apud gentes; "sicut avis ex Aegypto" dicitur, quia "avis" significat cogitationes ex veris scientificis; "et sicut columba e terra Assyriae" dicitur, quia "columba" significat bonum rationale ex spirituali, "Assyria" ipsum rationale; per "habitare facere super domibus suis" significantur interiora mentis formatae per vera ex bono, sic tuti ab infestatione a falsis mali. Apud *Esaiam*,

> "Erit in die illo excutiet Jehovah de spica fluvii usque ad fluvium Aegypti; et vos colligemini alteri unus, filii Israelis: erit porro, in die illo clangetur buccina magna, et venient pereuntes in terra Aschuris, et expulsi [1]e terra Aegypti, et incurvabunt se Jehovae in monte sanctitatis in Hierosolyma" (xxvii. 12, 13):

"in die illo" significat adventum Domini: "de spica fluvii

usque ad fluvium Aegypti," quam Jehovah excutiet, significat omne verum rationale et scientificum inserviturum spirituali; "spica" dicitur quia continens est frumenti, per quod significatur verum et bonum quod inservit spirituali homini pro nutritione: convocatio ad ecclesiam a Domino significatur per "In die illo clangetur buccina magna;" quod accessuri ad ecclesiam qui alioqui perituri essent per ratiocinia ex scientificis ad falsa confirmanda applicatis, significatur per "Venient pereuntes in terra Aschuris et expulsi [1]e terra Aegypti:" quod adoraturi Dominum, et ex illis fiet ecclesia, significatur per quod "incurvabunt se Jehovae in monte sanctitatis in Hierosolyma;" "mons sanctitatis" significat ecclesiam quoad bonum vitae, et "Hierosolyma" ecclesiam quoad verum doctrinae: dicuntur quidem haec de filiis Israelis, qui captivi facti in Assyria et in Aegypto; sed per "filios Israelis," ibi et quoque alibi, intelliguntur gentes, a quibus ecclesia; et per "captivitatem eorum" in Assyria et in Aegypto significatur captivitas spiritualis, quae homini est ex falsis religionis. Apud *Sachariam*,

> "Reducam eos e terra Aegypti, et ex Assyria congregabo eos, et ad terram Gileadis et Libanum adducam illos....: transibit per mare angustiae, sed percutiet in mari fluctus,....et dejicietur superbia Aschuris, et baculus Aegypti recedet" (x. 10, 11);

etiam haec de restauratione ecclesiae a Domino: per "reducere e terra Aegypti," et "congregare ex Assyria," significantur similia quae mox supra apud *Esaiam*, quae explicata sunt; per "terram Gileadis" et per "Libanum" significantur bona et vera ecclesiae in naturali homine: per quod "transibit per mare angustiae, sed percutiet in mari fluctus, et dejicietur superbia Aschuris, et recedet baculus Aegypti," significatur quod dispergentur mala et falsa naturalis hominis, ac ratiocinia ex scientificis confirmantibus illa; "transire per mare angustiae" significat tentationes, "fluctus" significant falsa et mala, "superbia Aschuris" significat ratiocinia ex fastu propriae intelligentiae, ac "baculus Aegypti" scientificum confirmans. Apud *Ezechielem*,

> "A fine quadraginta annorum congregabo Aegyptum ex populis, quo dispersi fuerunt,....et reducam eos in terram Pathros, super terram negotiationis eorum, ut sint ibi regnum humile,....ut non exaltes te amplius super gentes; et diminuam eos ut non dominentur in gentibus" (xxix. 13–16):

per "Aegyptum" hic significatur ecclesia apud illos qui in morali vita ex naturali lumine sunt; tentationes quas illi subituri, ne naturalis homo dominetur super spiritualem, significatur per "quadraginta annos;" scientifica per quae confirmarunt falsa, significantur per "Aegyptum" quam Jehovah "congregabit ex populis quo dispersi fuerunt;" illustratio eorum per cognitiones veri, significatur per "Reducam eos super terram Pathros," quae "terra negotiationis eorum" vocatur ex cognitionibus quas sibi comparabunt, nam "negotiari" significat comparare et communicare cognitiones: ne scientifica naturalis hominis se efferant, et in elatione malefaciant veris et bonis ecclesiae et dominentur super illa, significatur per quod "erunt regnum humile, ut non exaltes te amplius super gentes, et diminuam eos ut non dominentur super gentes;" per "gentes" in priori loco significantur vera ecclesiae, et per "gentes" in posteriori loco, bona ejus. Apud *Sachariam*,

> "Omnis residuus ex omnibus gentibus venientibus contra Hierosolymam ascendent de anno in annum ad adorandum Regem Jehovam Zebaoth, et ad feriandum festum Tabernaculorum;...qui non ascenderit,....non super eos erit pluvia; et si familia Aegypti non ascenderit, nec venerit, neque cum illis, erit plaga qua percutiet Jehovah gentes" (xiv. 16–18):

haec quoque de adventu Domini et de instauratione ecclesiae ab Ipso: per "Regem Jehovam Zebaoth," quem adoraturi, intelligitur Dominus; per "festum Tabernaculorum" significatur implantatio boni per vera; quod non influxus veri et boni a Domino sit illis qui non ad ecclesiam Ipsius accedunt, significatur per "Qui non ascenderit, non super eos erit pluvia;" qui in naturali lumine ex solis scientificis sunt, et non apud illos implantari bonum per vera potest, quod in omnis generis malis et falsis erunt, significatur per "Si familia Aegypti non ascenderit, erit plaga qua percutiet Jehovah gentes." Apud *Esaiam*,

> "Ego Jehovah Deus tuus, Sanctus Israelis, Salvator tuus, dedi expiationem tui Aegyptum, Cusch et Sebam loco tui,....dabo hominem loco tui, et populum pro anima tua" (xliii. 3, 4):

haec quoque de Domino, et de redemptione illorum qui agnoscunt Ipsum, et ex affectione recipiunt vera ab Ipso; redemptio significatur per "expiationem," perque "loco tui" et "pro anima tua;" affectio naturalis sciendi vera ex

affectione spirituali, significatur per "Aegyptum, Cusch et Sebam;" intelligentia eorum inde, significatur per "hominem," et ecclesia ex illis per "populum."

[*f.*] Quoniam per "Aegyptum" significatur naturalis homo, et omnis intelligentia spiritualis hominis finitur et fundatur in naturali homine, inque ejus cognitionibus et scientificis, quare homo absque illis non est intelligens et sapiens, et ne quidem rationalis, nam spiritualis homo unum aget cum naturali homine sicut causa cum effectu, et unum agit per correspondentias, inde est quod antiquis temporibus, quando ecclesia repraesentativa etiam in Aegypto fuit,

> Rex Aegypti seu Pharao dictus sit "filius sapientum," et "filius regum antiquitatis" (*Esai.* xix. 11);
> Ac Aegyptus, "angularis lapis tribuum" (vers. 13);

per "tribus" enim significantur omnia vera et bona ecclesiae in complexu, et per "angularem lapidem" significatur fundamentum eorum. Ideo quoque dicitur de Salomone, per quem repraesentatus est Dominus quoad regnum caeleste et quoad regnum spirituale,

> Quod sapientia illius fuerit "prae sapientia omnium filiorum orientis, et prae omni sapientia Aegyptiorum" (1 *Reg.* v. 10 [*B. A.* iv. 30]):

per "filios orientis" intelliguntur omnes qui eo tempore in cognitionibus veri et boni fuerunt, et per illas sapientes facti sunt; ac per "Aegyptios" intelliguntur omnes qui eruditi ex scientiis, imprimis ex scientia correspondentiarum, et inde in intelligentia. Quare etiam scientiae Aegyptiorum vocantur "recondita auri et argenti," et "desiderabilia," apud *Danielem*,

> Rex septentrionis "mittet manus suas in terras, nec terra Aegypti erit in evasionem, si quidem dominabitur in recondita auri et argenti, et in omnia desiderabilia Aegypti" (xi. 42, 43).

Ideo quoque mandatum est filiis Israelis, cum exirent ex Aegypto,

> Ut mutuo peterent ab Aegyptiis vasa auri et vasa argenti et vestes, quae sic eripuerunt Aegypto (*Exod.* xii. 35, 36):

per "vasa auri et argenti" et per "vestes" significantur scientiae et cognitiones veri et boni, quae ereptae Aegypto, quia illas applicuerunt ad confirmanda mala et falsa, et

verterunt illas in idololatrica et magica; quapropter cum Aegyptii illis deprivati sunt, et sic facti mere naturales, brevi post submersi sunt in mari Suph: per quae repraesentabatur sors illorum qui scientiis abutuntur ad confirmanda mala et falsa; deprivantur enim omni cognitione veri et boni post mortem; et cum illis deprivati sunt, conjiciuntur in infernum, quod etiam repraesentatum est per submersionem Aegyptiorum in mari Suph. Quia per "Aegyptum" significatur scientia, ex qua homini intelligentia, ideo ubi agitur de Tyro, dicitur

> Quod byssus ex acupictura ex Aegypto fuerit expansio, quae esset ei in signum (*Ezech.* [1]xxvii. 7):

per "Tyrum" significantur cognitiones veri, et per "byssum ex acupictura ex Aegypto" significatur scientificum ex vero spirituali; "acupictura" est scientificum, et "byssus" est verum spirituale: "expansio" et "signum" significant manifestationem, nam vera spiritualia per scientias manifestantur, apparent enim per illas ad visum et ad perceptionem naturalis hominis. Quoniam omnia scientifica quae inserviunt spirituali homini ad confirmationem veritatum, sunt a Domino, nempe omnis applicatio eorum ad confirmanda vera et bona caeli et ecclesiae, ideo

> Josephus in Aegyptum delatus est, et ibi factus est totius terrae dominator (*Gen.* xli.);

per "Josephum" enim in supremo sensu intelligitur Dominus quoad Divinum spirituale, et inde quoque verum doctrinae, quod fundatur super scientificis naturalis hominis (ut supra, n. 448, dictum est): et quia naturalis homo seu naturale hominis subordinatum erit spirituali, ut inservire possit confirmandis et exsequendis spiritualis hominis arbitriis, ideo Josephus propter repraesentationem illius dominii factus est dominator Aegypti, et sub illius auspicio fuit in Aegypto annona seu frumentum in abundantia, usque ut ex eo nutrirentur regiones vicinae, ac ipsa terra Canaan. Quoniam Salomo repraesentavit Dominum quoad utrumque regnum tam caeleste quam spirituale, et omnes qui ab utroque illo regno sunt, per cognitiones veri et boni ac per scientifica illas confirmantia, in intelligentia et sapientia sunt, ideo

> Salomo "accepit filiam Pharaonis in uxorem, et adduxit illam in urbem Davidis" (1 *Reg.* iii. 1);
> Et quoque postea aedificavit filiae Pharaonis domum juxta porticum (1 *Reg.* vii. 8):

per quae etiam repraesentatum est quod scientia, super qua fundatur omnis intelligentia et sapientia, per "Aegyptum" in bono sensu significetur. Et quia unicuique homini ecclesiae est spirituale, rationale et naturale, ideo Salomo aedificavit tres domos, Domum Dei seu Templum pro spirituali, Domum silvae Libani pro rationali (nam "cedrus" et inde "Libanus" significat rationale), ac Domum filiae Pharaonis pro naturali; haec arcana non apparent in sensu historico Verbi, sed usque in spirituali ejus sensu recondita latent.

[*g.*] Hactenus de significatione "Aegypti" in bono sensu actum est; nunc sequitur ut quoque de significatione "Aegypti" in sensu malo seu opposito agatur: in hoc sensu "Aegyptus" significat naturalem hominem separatum a spirituali, seu verum scientificum separatum a bono spirituali, quod in se est falsum; seu, quod idem, fidem separatam a charitate, quae in se non est fides. Homo enim nascitur naturalis, et primum haurit scientifica ex magistro et parente, tum ex lectione librorum, et simul ex vita in mundo; et nisi homo fit spiritualis, hoc est, e novo nascitur, tunc scientifica quae hausit, applicat ad confirmandum naturalis hominis appetitus et voluptates, verbo ejus amores, qui omnes sunt contra Divinum ordinem; et hic naturalis homo est qui significatur per "Aegyptum" in sensu opposito, ut constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Ezechielem*,

> "Quoniam" Pharao "elatus est altitudine, et dedit fastigium..inter implexa, et elatum est cor ejus in altitudine sua, dabo eum in manum fortis gentium;....juxta impietatem ejus rejeci eum; quare exscindent eum alieni, violenti gentium, et dejicient eum, super montibus et vallibus ciderunt rami ejus;....unde descenderunt ex umbra ejus omnes populi terrae, et deseruerunt eum; super ruina ejus habitabunt omnis avis caelorum, et super ramis ejus erunt omnis fera agri:....omnes tradentur morti, ad terram inferiorem in medio filiorum hominis ad descendentes in foveam. In die illo, quo descensurus est in infernum,...obtegam super eo abyssum, et inhibebo flumina ejus, ut occludantur aquae magnae, et atrabo super eo Libanum, et omnes arbores agri super eo languescent. Cui similis factus es sic in gloria et in magnitudine inter arbores Edenis? cum descendere factus fueris cum arboribus Edenis in terram inferiorem, in medio praeputiatorum cubueris cum confossis gladio: hic est Pharao et omnis multitudo ejus" (xxxi. 10–18):

per "Pharaonem" simile significatur quod per "Aegyptum," nempe, naturalis homo quoad scientiam et inde intelligentiam: fastus propriae intelligentiae ex scientia intelligitur per quod "elatus sit altitudine, et dederit fastigium inter implexa," et quod "elatum sit cor ejus altitudine sua;" per "implexa" significantur scientifica naturalis hominis: quod scientifica applicata sint confirmandis cupiditatibus mali et falsi, significatur per "Dabo eum in manum fortis gentium;" "fortis gentium" significat falsum mali: quod falsa mali destruent eum, significatur per "Exscindent eum alieni, violenti gentium dejicient eum:" quod omnia vera scientifica et rationalia dispersa sint per mala et falsa, significatur per "Super montibus et vallibus ceciderunt rami ejus:" quod omnia vera ecclesiae abacta sint, significatur per "Descenderunt ex umbra ejus omnes populi terrae, et deseruerunt eum:" quod loco eorum successerint cogitationes et affectiones falsi, significatur per quod "super ruina ejus habitabunt omnis avis caelorum, et super ramis ejus erunt omnis fera agri;" quod omnia damnata sint et infernalia, significatur per quod "omnes tradentur morti, ad terram inferiorem in medio filiorum hominis ad descendentes in foveam;" "filii hominis" sunt qui in propria intelligentia, et "fovea" est ubi illi qui in falsis doctrinae; inhibitio ne aliqua vera scientifica et rationalia intrent, significatur per "Obtegam super eo abyssum, et inhibebo flumina ejus; quod nec vera spiritualia, significatur per "ut occludantur aquae magnae;" quod non illi rationale, significatur per "Atrabo super eo Libanum;" quod nec illi aliquae cognitiones veri quae ecclesiae, significatur per quod "omnes arbores agri super eo languescent;" quod illi non amplius aliquis intellectus veri, nec aliqua perceptio cognitionum boni, propter fastum propriae intelligentiae, significatur per "Cui similis factus es in gloria et in magnitudine inter arbores Edenis?" quia cognitiones boni per applicationes ad mala prorsus perversae sunt, significatur per "cum descendere factus fueris cum arboribus Edenis in terram inferiorem;" "arbores Edenis" sunt cognitiones boni ex Verbo, quas naturalis homo pervertit et falsificavit: quod inter illos in inferno erunt qui per fidem separatam a vita charitatis omne verum apud se exstinxerunt, significatur per "cum in medio praepu-

tiatorum cubueris inter confossos gladio;" per "confossos gladio" intelliguntur in Verbo qui vera apud se per falsa exstinxerunt: quod illa omnia dicta sint de naturali homine deprivato luce a spirituali homine, significatur per "Hic est Pharao et omnis multitudo ejus;" "Pharao" est naturalis homo, et "multitudo ejus" est omne scientificum ibi. Apud eundem,

> "Fili hominis, propheta et dic,....Ejulate, heu diem;....dies nubis, tempus gentium erit, quo veniet gladius in Aegyptum,....et accipient multitudinem ejus, et evertentur fundamenta ejus,....et cadent suffulcientes Aegyptum, et descendet superbia roboris ejus, a turri Sevene gladio cadent in illa....; tunc devastabuntur in medio terrarum devastatarum, et urbes ejus in medio urbium desolatarum erunt; ut cognoscant quod Ego sim Jehovah, cum dederim ignem in Aegyptum, ut frangantur omnes auxiliatores ejus;....et faciam cessare multitudinem Aegypti per manum Nebuchadnezaris regis Babelis, [1]illius et populi ejus cum illo, violenti gentium, qui adducentur ad perdendum terram, et evaginabunt gladium suum contra Aegyptum, ut impleant terram confosso: tunc dabo fluvios aridam, et vendam terram in manum malorum, et vastabo terram et plenitudinem ejus per manum alienorum;....princeps e terra Aegypti non erit amplius;....dabo ignem in Aegyptum, et dispergam Aegyptum inter gentes, et disjiciam eos in terras" (xxx. 1 ad fin.):

haec summatim ex eo capite desumpta sunt; est lamentatio super vastatione ecclesiae per falsa faventia malis quae ex naturali homine; nam ex illo separato a spirituali scaturiunt omnia mala et inde falsa, quae ecclesiae vera et bona pervertunt et destruunt: lamentatio super vastatione illa significatur per "Ejulate, heu diem, dies nubis, tempus gentium erit;" "dies nubis" est status ecclesiae ex non intellectis veris, proinde ex falsis, "tempus gentium" est status ecclesiae ex malis; quod falsum destruet totum naturalem hominem, et omnia quae ibi, per applicationem ad mala, significatur per "quod veniet gladius in Aegyptum, et accipient multitudinem ejus, et evertentur fundamenta ejus;" quod non confirmationes et corroborationes veri per scientifica naturalis hominis, significatur per "Cadent suffulcientes Aegyptum, et descendet superbia roboris ejus;" quod falsa destruent intellectum veri, significatur per "A turri Sevene gladio cadent in illa;" quod omnia ecclesiae ac omnia doctrinae ecclesiae peritura sint, significatur per "Tunc devastabuntur in medio terrarum devastatarum, et urbes ejus in medio urbium desolatarum;" cupiditates malae ex naturali homine significantur per

"ignem" quem Jehovah dabit in Aegyptum; ut non amplius ex naturali homine confirmationes veri sint, significatur per "ut frangantur omnes auxiliatores ejus;" quod cupiditates amoris sui et inde falsitates devastabunt, significatur per "manum Nebuchadnezaris regis Babelis, [1]illius et populi ejus;" quod sic devastabitur ecclesia per falsa mali vim illatura bonis charitatis et veris fidei, significatur per quod "violenti gentium adducentur ad perdendum terram, et evaginabunt gladium suum contra Aegyptum, ut impleant terram confosso;" quod sic non intelligatur verum, significatur per "Dabo fluvios aridam;" quia loco boni malum et loco veri falsum in ecclesia, significatur per "Vendam terram in manum malorum, et vastabo terram et plenitudinem ejus per manum alienorum;" quod non aliquod verum quod caput, et inde non aliquod verum vitae a Domino significatur per quod "princeps e terra Aegypti non erit amplius;" quod non nisi quam mala ex amore sui [2]occupatura sint naturalem hominem, significatur per "Dabo ignem in Aegyptum, et dispergam Aegyptum inter gentes;" quod inde dissipatio omnium ecclesiae, significatur per "Disjiciam eos in terras." Apud *Esaiam*,

> "Propheticum bestiarum meridiei: in terra angustiae et angoris; leo juvenis et leo vetus prae illis, vipera et prester volans, portant super humero asinorum opes suas, et super dorso camelorum thesauros suos, ad populum non proderunt, et Aegyptus vanitas et inanitas, auxiliabuntur" (xxx. 6, 7):

per "bestias meridiei" significantur cupiditates quae ex naturali homine sunt, exstinguentes lucem quae homini ecclesiae erit ex Verbo; per "terram angustiae et angoris" significatur ecclesia ubi non erit bonum charitatis nec verum fidei; per "leonem juvenem et leonem veterem" qui prae illis, significatur potentia falsi destruentis verum et bonum ecclesiae; per "viperam et presterem volantem" significatur sensuale astute et callide ratiocinans: per "Portant super humero asinorum opes suas, et super dorso camelorum thesauros suos," significantur scientifica sensualis et naturalis hominis, ex quibus concludunt omnia; "opes" et "thesauri" sunt cognitiones veri et boni ex Verbo, hic autem scientifica falsa quia ex propria intelligentia; "asini" sunt quae sensualis hominis, et "cameli"

quae naturalis: per "Aegyptum" quae "vanitas et inanitas," significatur utrumque tam sensuale quam naturale, quae in se spectata absque bono et absque veris sunt. Apud eundem,

> "Vae descendentibus in Aegyptum pro auxilio, et super equis innituntur, et confidunt super curru quod multus, et super equitibus quod validi sint valde: sed non respiciunt ad Sanctum Israelis, et Jehovam non quaerunt;....nam Aegyptus homo et non deus, et equi ejus caro et non spiritus" (xxxi. 1, 3):

per haec describitur status illorum qui ex se ipsis, ita ex propria intelligentia, in illis quae caeli et ecclesiae sunt, volunt sapere, et non ex Domino; et quia tales mere [1]naturales sunt, et ideo ex fallaciis sensuum et ex scientificis male applicatis omnia desumunt, pervertunt et falsificant vera et bona ecclesiae, quare de illis dicitur, "Vae descendentibus in Aegyptum pro auxilio, et non respiciunt ad Sanctum Israelis, et Jehovam non quaerunt:" imaginaria quae ex fallaciis sensuum, significantur per "equos Aegypti" quibus innituntur; falsa doctrinae confirmata ex scientificis in multa copia, [2]significantur per "Confidunt super curru quod multus;" ac ratiocinia inde quibus impugnant vera significantur per "equites" quibus confidunt quod validi valde; quod naturalis homo non intelligat Divina ex se, significatur per quod "Aegyptus homo et non deus;" quod intelligentia sit ex proprio in quo non vita, significatur per quod "equi ejus sint caro et non spiritus;" "equi Aegypti" sunt imaginaria quae in se mortua quia fallaciae, "caro" est proprium hominis, ac "spiritus" est vita a Domino.

[*h.*] Apud *Jeremiam*,

> "Contra Aegyptum, contra exercitum Pharaonis..regis Aegypti, qui fuit apud fluvium Euphratem..., quem percussit Nebuchadnezar rex Babelis:....Quis hic sicut flumen ascendit, cujus aquae sicut flumina commoventur? Aegyptus sicut flumen ascendit, et sicut flumina commoventur aquae; dicit enim, Ascendam, obtegam terram, perdam urbem et habitantes in ea: ascendite equi, et insanite currus, et exite fortes;....comedet gladius et saturabitur, et inebriabitur sanguine eorum:....ascende Gilead, et sume balsamum, virgo filia Aegypti; in vanum multiplicasti medicamenta, sanatio non tibi" (xlvi. 2, 7–9[, 11]; et porro 14–26):

quod hic per "Aegyptum" etiam significetur naturalis homo cum ejus scientificis separatus a spirituali, quod fit per fastum propriae intelligentiae, quae per ratiocinia ex

scientificis destruit vera et bona ecclesiae, ex singulis his in sensu spirituali visis patet: per "exercitum" enim "regis Aegypti, qui fuit apud flumen Euphratem," significantur scientifica false applicata, et ex illis ratiocinia; "quem percussit Nebuchadnezar rex Babelis" significat interitum ejus per fastum propriae intelligentiae; "Quis hic sicut flumen ascendit, cujus aquae sicut flumina commoventur?" significat propriam intelligentiam, et ejus falsa destruere conantia vera ecclesiae; "Aegyptus sicut flumen ascendit, et sicut flumina commoventur aquae," significat naturalem hominem ex se seu ex proprio contra vera ecclesiae ratiocinantem; "dixit enim, Ascendam, obtegam terram, perdam urbem et habitantes in ea," significat conatum et desiderium perdendi ecclesiam, et doctrinae ejus vera et bona; "Ascendite equi, et insanite currus, et exite fortes," significat per imaginaria quae ex fallaciis, et per falsa doctrinae confirmata ex scientificis, ex quibus sibi apparent validi; "comedet gladius, et saturabitur, et inebriabitur a sanguine eorum," significat destructionem totalem naturalis hominis per falsa et per falsificationes veri; "Ascende Gilead, et sume balsamum filia Aegypti," significat vera sensus litterae Verbi, et inde ratiocinationem et patrocinationem; per "Gilead" enim significatur ratiocinatio ex sensu litterae Verbi, per quam confirmantur falsa, nam Gilead erat non procul ab Euphrate, et inde erat cera, opobalsamum et stacte, et facta est hereditas filiis Menassis et dimidiae tribui Gadis

(*Gen.* xxxi. 21; cap. xxxvii. 25: *Num.* xxxii. 29: *Jos.* xiii. 25);

unde per "Gileadem," praeter alia, significantur ratiocinia ex sensu litterae Verbi, per "balsamum" significatur applicatio et inde falsi confirmatio, et per "filiam Aegypti" affectio falsi quae tali ecclesiae: "in vanum multiplicasti medicamenta, sanatio non tibi," significat quod talia in quacunque copia nihil opis ferant, quoniam sic ipsa vera falsificantur. Apud *Mosen*,

"Persecuti sunt Aegyptii filios Israelis, et venerunt post illos, omnes equi Pharaonis, currus ejus, et equites ejus in medium maris:.... sed Jehovah prospicens ad castra Aegyptiorum,....perturbavit" illa,.."removit rotam curruum ejus,....et reversae sunt aquae, et operuerunt currus et equites cum universo exercitu Pharaonis" (*Exod.* xiv. [23, 24,] 25–28; cap. xv. 19, 21):

[11]per "equos Pharaonis" significantur imaginaria quia fallaciae, quae sunt scientifica ex intellectuali perverso applicata ad confirmandum falsa, per "currus ejus" doctrinalia falsi, et per "equites" ratiocinia inde; per "rotam curruum" significatur facultas ratiocinandi. (Sed haec in *Arcanis Caelestibus*, n. 8208–8219, 8332–8335, 8343, explicata sunt.) Quoniam per "equos Aegypti" talia significantur, ideo praescriptum est per *Mosen*,

> Si populus velit regem, ponetur rex super illos, quem elegerit Jehovah Deus e medio filiorum Israelis, non ponetur vir alienigena qui non frater tuus, "modo non multiplicet sibi equos, nec reducat populum in Aegyptum ut multiplicet equos; Jehovah enim dixit vobis, Non addetis reverti in via hac amplius; nec multiplicabit sibi uxores, ut non recedat cor ejus, nec argentum et aurum multiplicabit sibi nimis" (*Deutr.* xvii. 15–17):

quid per haec, quae praescripta sunt regi, significantur, nemo videre potest nisi sciat quid in sensu spirituali significatur per "regem," per "filios Israelis," per "Aegyptum" et "equos ejus," tum per "uxores," et per "argentum et aurum:" per "regem" significatur verum ex bono, [per "filios Israelis" ecclesia ex illis qui in veris ex bono sunt,] per "Aegyptum" naturalis homo, per "equos ejus" scientifica, per "uxores" affectiones veri et boni, ac per "argentum et aurum" vera et bona ecclesiae, et in opposito sensu falsa et mala ejus: et quia per "regem" significatur verum ex bono, et per "filios Israelis" ecclesia ex illis qui in veris ex bono sunt, ideo dicitur, quod "si populus velit, ponetur rex super illos quem elegerit Jehovah Deus e medio filiorum Israelis, non ponetur vir alienigena qui non frater tuus;" per "virum alienigenam qui non frater" significatur religiosum non concordans, tum falsum in quo non bonum; et quia per "Aegyptum" significatur naturalis homo, et per "equos" scientifica falsa quae imaginaria, ideo dicitur, "modo non multiplicet sibi equos, nec reducat populum in Aegyptum ut multiplicet equos;" quia per "uxores" significantur affectiones veri et boni, quae affectiones mali et falsi fiunt quando plures uxores uni viro sunt, ideo dicitur, "nec multiplicet sibi uxores, ut non recedat cor ejus;" et quia per "argentum et aurum" significantur vera et bona ecclesiae, hic autem falsa et mala, quando spectantur solum a naturali homine, ideo dicitur, "nec argentum et aurum multiplicabit sibi nimis." Sed propius

ad rem, per illa verba praescriptum est ne verum dominetur super bonum, quod fit quando naturalis homo dominatur super spiritualem ; ne hoc fiat, significatur per "ne reduceret populum in Aegyptum, et inde multiplicaret equos," tum etiam "ne plures uxores duceret ;" nam per "uxorem et maritum" significatur affectio boni correspondens affectioni veri, quae correspondentia datur in conjugio viri cum una uxore, non autem cum pluribus. Similia amplius praescripta sunt in Jure Regis (1 *Sam.* viii. 10–18). Quia Salomo non modo comparavit sibi equos ex Aegypto, sed etiam multiplicavit uxores, ut et argentum et aurum congessit, ideo idololatra factus est, ac regnum post ejus mortem divisum est. Apud *Esaiam*,

> "Propheticum de Aegypto : Jehovah equitans super levi nube, et venit [in] Aegyptum ; unde commovebuntur idola Aegypti coram Ipso, et cor [1]Aegyptii liquefiet in medio ejus ;....concludam Aegyptum in manum domini duri, et rex vehemens dominabitur in eos. ... Tunc deficient aquae in mari, et fluvius exsiccabitur et exarescet, et recedent flumina, et...exsiccabuntur fluvii Aegypti, calamus et ulva marcescent :....ideo lugebunt piscatores, et tristes erunt omnes projicientes in flumen hamum, et expandentes rete super facies aquarum languescent : erubescent etiam facientes linum sericorum, et textores aulaeorum. ....Quomodo dicitis ad Pharaonem, Filius sapientum ego, filius regum antiquitatis : ubi nunc sapientes tui ? ut indicent, age tibi, et cognoscant quid consuluit Jehovah..super Aegyptum : stulti facti sunt principes Zoanis, ablati sunt principes Noph, et seduxerunt Aegyptum angularem lapidem tribuum ejus ; ....non erit Aegypto opus quod faciat caput et caudam, [2]ramus et juncus" (xix. 1–17) :

quod per "Aegyptum" significetur naturale hominis separatum a spirituali ejus, etiam ex his in sensu spirituali spectatis constare potest ; et homo fit mere naturalis quando in vita sua non spectat ad Dominum, sed ad semet et ad mundum ; inde ei fastus propriae intelligentiae, qui communis est eruditis, et apud illos pervertit rationale, et occludit mentem spiritualem. Ut sciatur quod naturalis homo per "Aegyptum," propria intelligentia per "flumen ejus," et falsa per "aquas fluminis Aegypti," significentur, velim in serie explicare illa quae ex capite illo summatim huc allata sunt : "Jehovah equitans super levi nube, et venit in Aegyptum," significat visitationem naturalis hominis ex Divino Vero naturali spirituali, visitatio enim est inquisitio qualis homo est, et inquisitio fit per Divinum Verum ; "levis nubes" significat Divinum Verum naturale spirituale, ex quo

apparet qualis est homo quoad suum naturale: "unde commovebuntur idola Aegypti coram Ipso, et cor [1]Aegyptii liquefiet in medio ejus," significat congeriem et turbam falsorum in naturali homine, ex quibus cultus, et ejus terrorem propter visitationem: "Concludam Aegyptum in manum domini duri, et rex vehemens dominabitur in eos," significat quod ibi regnet malum falsi et falsum mali; "dominus durus" est malum falsi, et "rex vehemens" est falsum mali: "tunc deficient aquae in mari, et fluvius exsiccabitur et exarescet," significat non esse aliqua vera in naturali homine, et inde non aliquam intelligentiam: "et recedent flumina, et exsiccabuntur fluvii Aegypti," significat quod se a veris ad falsa vertet; unde intelligentia, quia absque veris ex luce spiritualis hominis, erit mortua: "calamus et ulva marcescent" significat quod evanitura omnis perceptio veri et boni ex sensu litterae Verbi, quae alioqui est sensuali homini: "ideo lugebunt piscatores, et tristes erunt omnes projicientes in flumen hamum, et expandentes rete super facies aquarum languescent," significat quod docentes et erudientes frustra allaborent per vera ex Verbo reformare naturalem hominem; "piscatores" et "expandentes rete super facies aquarum" significant docentes et erudientes naturales homines ex Verbo, in specie ex sensu litterae ejus: "piscis" significat cognitiones inde, "tristes esse" et "languescere" significat allaborare: "erubescent etiam facientes linum sericorum, et textores aulaeorum," significat illos qui vera spiritualia naturaliter docent; "linum sericorum" est verum spirituale, "aulaea" sunt vera naturalia ex origine spirituali, ac "facere" et "texere" illa est docere: "quomodo dicitis ad Pharaonem, Filius sapientum ego, filius regum antiquitatis; ubi nunc sapientes tui?" significat quod sapientia et intelligentia naturalis hominis ex spirituali perierit; naturalis enim homo formatus est ut intelligentiam et sapientiam recipiat ex spirituali homine, quod fit quando uterque homo unum agit sicut causa et effectus: "stulti facti sunt principes Zoanis, ablati sunt principes Noph," significat quod vera sapientiae et intelligentiae ex spirituali luce in naturali homine versa sint in falsa insaniae; Zoan et Noph erant in terra Aegypti, et significabant illustrationem naturalis hominis ex luce spirituali: "et seduxerunt Aegyptum angularem lapidem

tribuum" significat quod perversus sit naturalis homo, in quo tamen fundantur omnia vera et bona ecclesiae: "non erit Aegypto opus, quod faciat caput et caudam, [r]ramus et juncus," significat quod illis non amplius intelligentia nec scientia veri, proinde non verum spirituale nec verum naturale.

[*i.*] Apud *Ezechielem*,

> "Fili hominis, pone facies tuas contra Pharaonem regem Aegypti, et propheta contra illum, et contra Aegyptum totam; loquere et dic, Sic dixit Dominus Jehovih, Ecce Ego contra te, Pharao rex Aegypti, cete magne, qui cubat in medio fluviorum suorum, qui dixit, Meus fluvius.., et ego feci me; propterea dabo hamos in maxillas tuas, et adhaerere faciam piscem fluviorum tuorum squamis tuis,....et derelinquam te in deserto, te et omnem piscem fluviorum tuorum, super facies agri cades, non colligeris, neque congregaberis, ferae terrae et avi caeli dedi te in cibum; ut cognoscant omnes habitatores Aegypti quod Ego Jehovah; propterea quod illi fuerint baculus arundinis domui Israelis; quando tenuerunt te manu, confractus es, et perfodisti illis omnem humerum; et quando innixi sunt tibi, fractus es, et stare fecisti..omnes lumbos. ....Ecce Ego adducens contra te gladium, et exscindam ex te hominem et bestiam, ut fiat terra Aegypti solitudo et vastitas,....propterea quod dixit, Fluvius meus, et ego feci; ideo Ego contra te, et contra fluvios tuos, et dabo terram Aegypti in vastitates...a turri Sevene usque ad terminum Cusch,....et urbes ejus....erunt solitudo quadraginta annos" (xxix. 1–12):

per haec verba etiam describitur naturalis homo deprivatus omni vero et bono per fastum ex scientia et inde ex propria intelligentia: quoniam per "Pharaonem regem Aegypti" significatur scientia naturalis hominis et inde propria intelligentia, ideo dicitur, "Ecce Ego contra te, Pharao rex Aegypti, cete magne, qui cubat in medio fluviorum suorum;" per "cetum magnum" significatur scientificum naturalis hominis in communi, hic scientificum falsum, et per "fluvium" significatur propria intelligentia: qui dicit, "Meus est fluvius, et ego feci me," significat quod ex me intelligentia, et non ex Domino; ita verba illa involvunt fastum propriae intelligentiae: "propterea dabo hamum in maxillas tuas" significat falsiloquium propter quod castigabitur: "et adhaerere faciam piscem fluviorum tuorum squamis tuis" significat scientifica falsa infimae sortis quae ex fallaciis sensuum; "pisces" sunt scientifica, "squamae" sunt fallaciae sensuum, quae sunt scientifica infimae sortis: "et derelinquam te in deserto, te et omnem piscem fluviorum tuorum," significat exutum veris cum

omnibus scientificis ex quibus intelligentia: "super facies agri cades, non colligeris neque congregaberis," significat religiosum absque omni cohaerentia et restitutione: "ferae terrae et avi caeli dedi te in cibum" significat consumendum ab affectionibus et cogitationibus falsi; "ut cognoscant omnes habitatores Aegypti quod Ego Jehovah," significat ut sciant et credant quod omne verum et bonum etiam in naturali homine sint a Domino: "propterea quod illi fuerint baculus arundinis domui Israelis" significat fiduciam super scientificis sensualis hominis quae sunt fallaciae apud homines ecclesiae; (quod "baculus arundinis" illam fiduciam significet, videatur supra, n. 627[*b*];) "quando tenuerunt te manu confractus es, et perfodisti illis omnem humerum," significat quod per fidem eorum omnis potentia veri pereat; et quando innixi sunt tibi, fractus es, et stare fecisti omnes lumbos," significat quod per fiduciam super illis pereat facultas recipiendi bonum amoris: "ecce adducam contra te gladium, et exscindam ex te hominem et bestiam," significat quod falsum destruet omnem intelligentiam veri et affectionem boni in naturali homine; "ut fiat terra Aegypti solitudo et vastitas," significat quod inde naturalis homo sit absque omni vero et absque omni bono; "propterea quod dixit, Fluvius meus, et ego feci," significat propter fastum propriae intelligentiae: "et dabo terram Aegypti in vastitatem a turri Sevene usque ad terminum Cusch," significat destructionem ecclesiae a primis ad ultima in naturali homine: "urbes ejus erunt solitudo quadraginta annis" significat doctrinalia ex meris falsis usque dum non aliquod verum residuum sit; "quadraginta anni" significant integram periodum vastationis ecclesiae, et quoque integram durationem tentationum. In *Libro Secundo Regum*,

"Si confisus es tibi super baculo arundinis contusae super Aegypto, super quo si nititur vir, intrat in manum ejus, et perforat illam: sic Pharao rex Aegypti omnibus confidentibus in illo" (xviii. 21):

per "baculum arundinis," ac per "niti super illo," similia quae mox supra significantur. Inde etiam Aegyptus vocatur apud *Davidem*,

Fera arundinis, congregatio fortium, quae dispergit populos (Ps. lxviii. 31 [*B. A.* 30]):

per "feram arundinis" significatur affectio seu cupiditas falsi quod ex scientificis sensualis hominis, quae sunt fallaciae; quae "congregatio fortium" vocantur quia fortiter persuadent; et quia dispergunt vera ecclesiae, dicitur "Dispersit populos." Apud *Hoscheam*,

"Erit Ephraim sicut columba stulta, non cor: Aegyptum vocarunt, Assyriam abiverunt:....vae illis quia divagati sunt a Me, devastatio illis quia praevaricati sunt contra Me:....cadent gladio principes eorum, ex indignatione linguae eorum; haec subsannatio eorum in terra Aegypti" (vii. 11, 13, 16):

agitur ibi de superbia Israelis, per quam significatur fastus propriae intelligentiae in talibus quae sunt ecclesiae: quod per "Aegyptum" significetur naturalis homo et scientia ejus, constat ex eo, quod per "Ephraimum," de quo apud hunc prophetam multum agitur, significetur intellectuale ecclesiae et verum doctrinae ejus in naturali; (quod id per "Ephraim" significetur, videatur supra, n. 440;) quare per "Erit Ephraim columba stulta, non cor," significatur quod nunc non intellectuale quia non verum, nec affectio veri et boni; per quod "Aegyptum vocaverint et Assyriam abiverint," significatur quod fiderint scientificis naturalis hominis et inde ratiocinationibus, quae fallunt: "Vae illis quia divagati sunt a Me" significat aversionem a veris quae ex Verbo; "devastatio illis quia praevaricati sunt contra Me," significat deprivationem omnis veri propter recessionem; "cadent gladio principes eorum" significat quod primaria vera destruentur per falsa; "ex indignatione linguae eorum; haec subsannatio eorum in terra Aegypti," significat vituperationem doctrinae ex naturali homine, et hujus contemptum. Apud eundem,

"Israel,....scortatus sub Deo tuo,....non habitabunt in terra Jehovae, et revertetur Ephraim [in] Aegyptum, et in Assyria immundum comedent:....ecce abiverunt prae devastatione; Aegyptus congregabit eos, Moph sepeliet eos, desiderabile argento eorum carduus possidebit ea; spina in tentoriis eorum" (ix. 1, 3, 6):

agitur in toto illo capite de intellectu Verbi deperdito, qui hic est "Ephraim:" "Israel scortatus sub Deo tuo" significat falsificatum verum Verbi; "non habitabunt in terra Jehovae" significat non illis vitam boni qualis in caelo; "et revertetur Ephraim in Aegyptum" significat intellectum veri deperditum, unde naturales facti sunt; "et in Assyria immundum comedent" significat rationale

scatens falsis mali: "ecce abiverunt prae devastatione" significat aversionem a Domino per falsificationem veri; "Aegyptus congregabit eos" significat quod mere naturales facti sint; "Moph sepeliet eos" significat mortem spiritualem per applicationem veritatum sensus litterae Verbi ad falsa mali; "desiderabile argento eorum" significat cognitiones veri; "carduus possidebit ea" significat quod malum pervertet illas; "spina in tentoriis eorum" significat falsum mali in cultu. Apud eundem,

"Israel non revertetur ad Aegyptum, Assyrius hic rex [1]eorum" (xi. 5):

"Israel non revertetur [ad] Aegyptum" significat quod homo ecclesiae spiritualis factus non fiet naturalis; "Assyrius hic rex eorum" significat quod tunc ratiocinia ex falsis dominatura sint. Homo ecclesiae a spirituali fit naturalis quando fidem separat a charitate, hoc est, credit Verbum et non vivit secundum praecepta ibi, tum quando arrogat sibi intelligentiam et non illam tribuit Domino; inde fastus ex quo homo fit naturalis: homo enim primum est naturalis, postea fit rationalis, et demum spiritualis; quando homo est naturalis tunc est in Aegypto, quando fit rationalis tunc est in Assyria, et cum fit spiritualis tunc est in terra Canaane, ita in ecclesia. Apud eundem,

"Ephraim pascens ventum, et persequitur eurum, omni die mendacium et vastationem multiplicat; et foedus cum Assyrio pangunt, et oleum in Aegyptum defertur" (xii. 2 [*B. A.* 1]):

per "Ephraim" significatur ecclesia in qua intellectus veri deperditus est; per "pascere ventum" significatur imbuere falsum; per "eurum," quem persequitur, significatur exsiccatio et dissipatio veri; per quod "oleum deferatur in Aegyptum" significatur quod bonum amoris per scientifica naturalis hominis pervertatur. (Sed haec amplius supra, n. 419[*e*], explicata sunt.)

[*j.*] Apud *Esaiam*,

"Vae filiis refractariis...faciendo consilium sed non a Me, et fundendo fusile sed non a spiritu meo, ut addant peccatum super peccatum: qui abeunt ad descendendum [in] Aegyptum, sed os meum non interrogarunt;....et ad confidendum in umbra Aegypti; ideo fiet.. robur Pharaonis in pudorem, et fiducia in umbra Aegypti in ignominiam" (xxx. 1–3):

"vae refractariis" significat lamentationem de damnatione illorum qui se avertunt; "faciendo consilium sed non a

Me" significat cogitationes et conclusiones de rebus caeli a se et non a Domino; "et fundendo fusile sed non a spiritu meo" significat cultum ex infernali falso et non a Divino Vero; "qui abeunt ad descendendum [in] Aegyptum, sed os meum non interrogarunt," significat ex proprio naturalis hominis et non ex Verbo; "et ad confidendum in umbra Aegypti" significat ne fidant et fidem habeant talibus quae naturalis homo, qui in nulla luce caeli est, suggerit: "ideo fiet robur Pharaonis in pudorem, et fiducia in umbra Aegypti in ignominiam," significat nullam facultatem resistendi malis ex propria intelligentia, nec ex scientia naturalis hominis; "pudor" et "ignominia" significant statum illorum quando propter mala viles habentur. Apud *Jeremiam*,

> "Deseruisti Jehovam Deum tuum, quo tempore duxit te in viam;..quid tibi cum via Aegypti, ut bibas aquas Schichoris? et quid tibi cum via Assyriae, ut bibas aquas fluvii?....quid abis strenue ad mutandum viam tuam? etiam ab Aegypto pudefies, sicut pudefactus es ab Assyria" (ii. 17, 18, 36):

haec quoque de homine ecclesiae qui per falsa doctrinae et inde mala vitae fit externus et mere naturalis; "Deseruisti Jehovam quo tempore duxit te in viam" significat aversionem ne reformetur a Domino per vera ducentia; "quid tibi cum via Aegypti, ut bibas aquas Schichoris?" significat instructionem solum a naturali homine, unde mere falsa; "quid tibi cum via Assyriae, ut bibas aquas fluvii?" significat ratiocinationes inde, unde falsa fidei; "quid abis strenue ad mutandum viam?" significat renitentiam fortem ne reformetur ut fiat spiritualis; "etiam ab Aegypto pudefies sicut pudefacta es ab Assyria" significat statum perversum et vilem duci a naturali homine et a ratiociniis inde, quia sic a falsis et malis quae ex proprio. In *Threnis*,

> "Hereditas nostra aversa est ad alienos, domus nostrae ad alienigenas; ....aquas nostras pro argento bibimus; ligna nostra pro pretio veniunt;....Aegypto dedimus manum, Assyriae ut satiemur pane; ....servi dominantur in nos, nec liberans e manu illorum" (v. 2, 4, 6, 8):

"hereditas nostra aversa est ad alienos" significat ecclesiae vera conversa in falsa; "domus nostrae ad alienigenas" significat ecclesiae bona versa in mala; "aquas

nostras pro argento bibimus" significat instructionem a nobismet ipsis, unde mere falsa; "ligna nostra pro pretio veniunt" significat instructionem a nobismet ipsis, unde mere mala; quoniam homo gratis seu "absque argento et pretio" a Domino instruitur et reformatur (*Esai.* lv. 1), ideo "pro argento" bibere et "pro pretio" ligna comparare et calefieri, significat a nobis ipsis; et quia a nobis ipsis instrui est a naturali homine et ejus scientificis et inde conclusis, ideo dicitur, "Aegypto dedimus manum, Assyriae ut satiemur pane;" per "Aegyptum" significatur naturalis homo unde falsa, per "Assyriam" naturalis homo ex falsis ratiocinans, unde mala: et quia illa quae naturalis hominis sunt respective servitia sunt, nam naturalis homo factus est ut inserviat spirituali, ideo quando ille dominatur super spiritualem tunc servi dominantur; hoc intelligitur per quod "servi dominentur in nos, nec liberans e manu illorum."

[*k.*] Apud *Jeremiam*,

> "Si dicitis vos, Non habitabimus in terra hac,....dicendo, Non, sed [in] terram Aegypti veniemus, ubi non videbimus bellum, et vocem buccinae non audiemus, et panem non esuriemus, et ibi habitabimus:....sed si vos posueritis facies vestras ad veniendum Aegyptum; ac veneritis ad peregrinandum ibi, erit gladius, a quo vos timetis vobis, ibi prehendet vos in terra Aegypti, [et fames de qua vos solliciti estis, ibi adhaerebit post vos in Aegypto,] et ibi moriemini; et erunt omnes viri qui posuerunt facies ad veniendum Aegyptum, ad peregrinandum ibi, morientur gladio, fame et peste, non erit illis residuus aut evadens,....et eritis in maledictionem, in stuporem et in execrationem, et in opprobrium, neque videbitis amplius locum hunc" (xlii. 13–18, seq.):

in historicis Verbi, et quoque in propheticis ejus, saepius legitur quod populus Israeliticus flagraverit desiderio "redeundi in Aegyptum," et quod hoc illis interdictum fuerit, et ne id facerent denuntiatae sint illis plagae et poenae; sed nemo hactenus novit causam. Causa erat quia filii Israelis repraesentaturi erant ecclesiam a primo ejus ortu ad finem; et ecclesia primum formatur apud hominem per scientias et cognitiones in naturali homine, qui illis primum excolitur; nam quisque homo nascitur naturalis; quare ille primum excolendus ob finem ut quoque ultimo inserviat intelligentiae et sapientiae hominis pro basi: deinde per scientias et cognitiones, quae naturali homini implantatae sunt, formatur intellectuale, ut homo fiat rationalis:

ut autem a rationali fiat spiritualis, omnino tentationes subiturus est, per illas enim domatur rationale, ne evocet e naturali talia quae favent concupiscentiis, et quae destruunt illud; demum cum homo per illam viam rationalis factus est, tunc fit spiritualis, nam rationale est medium inter spirituale et naturale, quare spirituale influit in rationale et per id in naturale: verbo, homo primum memoriam locupletabit scientiis, postea per illas excoletur intellectus ejus, et demum voluntas; memoria est naturalis hominis, intellectus est rationalis, ac voluntas est spiritualis; haec via est reformationis et regenerationis hominis. Propter hanc causam filii Israelis primum perducti sunt in Aegyptum, postea in desertum ut tentationes subirent, et demum in terram Canaanem; nam illi ecclesiam, ut dictum est, a primo ortu ad ultimum finem repraesentaturi erant. Per commorationem et peregrinationem eorum in Aegypto repraesentata est instructio naturalis hominis; per errores quadraginta annorum in deserto repraesentatae sunt tentationes, per quas rationalis homo formatur; et per terram Canaanem, in quam demum introducti sunt, repraesentata est ecclesia, quae in se spectata est spiritualis. Sed illi qui non volunt reformari ac regenerari, subsistunt in prima via, et permanent naturales; quapropter filii Israelis, quia non voluerunt, toties cupiverunt "redire in Aegyptum," de qua illorum cupiditate saepius in *Exodo* legitur; erant enim naturales, et aegre fieri potuerunt spirituales, at usque repraesentare debuerunt illa quae spiritualis ecclesiae sunt; inde est quod perducti sint in Aegyptum, et postea in desertum, et demum in terram Canaanem, per quae repraesentabatur ortus, progressus, et demum instauratio, ecclesiae apud hominem. Ex his nunc constare potest unde est quod tam severe interdictum fuerit filiis Israelis "redire in Aegyptum;" nam per id repraesentavissent quod a spirituali homine facti sint naturales; et quando spiritualis homo fit naturalis tunc non amplius aliqua vera videt et bona percipit, sed cadit in falsa et mala omnis generis. Sed ad explicationem ipsorum verborum:—"Si dicitis vos, Non habitabimus in terra hac, dicendo, Non, sed [in] terram Aegypti veniemus," significat aversionem pro statu spirituali, in quo sunt illi qui ab ecclesia, et desiderium ad statum naturalem

et ad illa quae naturalis hominis sunt; "ubi non videbimus bellum, et vocem buccinae [non] audiemus, et panem non esuriemus," significat tunc non infestationem a malis et falsis, atque tunc non tentationes; "bellum" significat infestationem et pugnam a falsis et malis, ac "panem non esurire" significat non desiderare bonum, quod fit illis qui in falsis et malis sunt, proinde illis qui mere naturales sunt; mala et falsa non infestant illos, quia in illis sunt, et non sciunt aliquid de veris et bonis; "et ibi habitabimus" significat vitam naturalem; "sed si vos posueritis facies vestras ad veniendum Aegyptum, et veneritis ad peregrinandum ibi," significat si ex amore desiderent vitam naturalem; "erit gladius, a quo vos timetis vobis, ibi prehendet vos in terra Aegypti," significat falsa destruentia vera; "et fames de qua vos solliciti estis, ibi adhaerebit post vos in Aegypto," significat defectum cognitionum veri et boni; "et ibi moriemini" significat inde desolationem ecclesiae ac damnationem; "et omnes viri qui posuerunt facies suas ad veniendum in Aegyptum, ad peregrinandum ibi, morientur gladio, fame et peste," significat similia quae prius ("pestis" significat vastationem omnis boni et veri); "nec erit illis residuus aut evadens" significat quod prorsus nihil veri et boni supererit; "et eritis in maledictionem, in stuporem, in execrationem et in opprobrium," significat damnationis omnia; "neque videbitis amplius locum hunc" significat quod non aliquid ecclesiae erit apud illos amplius.

[*l.*] Apud *Ezechielem*,

"Duae mulieres filiae unius matris fuerunt, quae scortatae sunt in Aegypto;....nomina earum Ohola major natu,...quae Samaria..., et Oholiba...quae Hierosolyma. Ohola scortata est sub Me, et amavit..Assyrios propinquos,....et dedit scortationes suas super delectum filiorum Aschuris omnium,....attamen scortationes suas ex Aegypto non deseruit, nam cum ea concubuit in adolescentia sua;....ideo tradidi eam in manum amasiorum ejus,...filiorum Aschuris...; illi revelarunt nuditatem ejus, filios ejus et filias ejus ceperunt, et ipsam gladio tandem occiderunt. ....Vidit soror ejus Oholiba, et corrupit amorem suum plus quam illa, et scortationes suas supra scortationes sororis suae, filios Aschuris adamavit;.... addidit enim ad scortationes suas, quando enim vidit viros pictos super pariete, imagines Chaldaeorum pictas minio,....quibus omnibus species ducum, similitudinem filiorum Babelis, Chaldaeorum; ....et venerunt ad eam filii Babelis ad concubitum amorum, et polluerunt eam per scortationem suam;....multiplicavit scortationes suas dum recordata est dierum adolescentiae suae, quibus scortata est in terra Aegypti, adamavit supra pellices eorum, eo

quod caro asinorum caro eorum, et effluvium equorum effluvium eorum; ita commendasti scelus adolescentiae tuae, cum ornasti ex Aegypto mammas tuas....: quamobrem, Oholiba,....excitabo amasios tuos contra te,....filios Babelis et omnes Chaldaeos,.... et omnes Assyrios cum illis;....filios tuos et filias tuas capient, et posteritas tua consumetur per ignem, exuent tibi vestes tuas, et sument vasa ornatus tui: ita cessare faciam facinus tuum a te, et scortationem tuam e terra Aegypti, ut non tollas oculos tuos ad illos, et Aegypti non recorderis amplius;....ebrietate et tristitia impleberis, calice devastationis et desolationis" (xxiii. 2–33, et porro ad finem):

ut sciatur quod per "Aegyptum" significetur naturalis homo, hic separatus a spirituali, et per "Aschurem" rationale, hic ratiocinatio ex illis quae naturalis hominis sunt, velim etiam summatim illa explicare: "Duae mulieres filiae unius matris fuerunt, quae scortatae in Aegypto," significat falsificationes veri et boni; et quia filii Jacobi mere naturales homines fuerunt, idololatrica Aegyptiorum imbuerunt, per quod significatur quod falsificaverint omnia vera ecclesiae: "nomina earum Ohola major natu, quae Samaria, et Oholiba, quae Hierosolyma," significat utramque ecclesiam spiritualem et caelestem, quas repraesentaverunt posteri Jacobi; Israelitae qui in Samaria ecclesiam spiritualem, et Judaei in Hierosolyma ecclesiam caelestem, utraque ex eadem matre, quae est Divinum Verum: "Ohola scortata est sub Me" significat falsificationem Divini Veri quod in Verbo: "et amavit Assyrios propinquos, et dedit scortationes suas supra delectum filiorum Aschuris omnium," significat confirmationes per multa ratiocinia: "attamen scortationes suas ex Aegypto non deseruit, nam cum ea concubuit in adolescentia sua," significat quod usque prosecuti sint idololatrica: "ideo tradidi eam in manum amasiorum ejus filiorum Aschuris" significat ratiocinia confirmantia idololatrica; "illi revelarunt nuditatem ejus, filios ejus et filias ejus ceperunt, et ipsam gladio tandem occiderunt," significat deprivationem omnis veri et boni, et inde exstinctionem ecclesiae apud illos; "nuditas" est deprivatio, "filii et filiae" sunt vera et bona, et "[1]Ohola" est ecclesia: "vidit soror ejus Oholiba, et corrupit amorem suum plus quam illa, et scortationes suas supra scortationes sororis suae," significat devastationem ecclesiae caelestis, quam gens Judaica, quae in Hierosolyma, repraesentavit; quae "corrupisse amorem [plus]

quam ejus soror" dicitur, cum perverterit et adulteraverit bona Verbi et inde doctrinae; nam plus peccat qui corrumpit seu pervertit bona ecclesiae quam qui vera ejus: "filios Aschuris adamavit" significat per ratiocinationes contra vera et bona: "addidit super scortationes suas, cum vidisset viros pictos super pariete, imagines Chaldaeorum pictos minio," significat phantasias ex fallaciis sensuum, quae sunt sensualis hominis, et exinde argumentationes, unde falsificationes: "quibus omnibus species ducum, similitudinem filiorum Babelis, Chaldaeorum," significat apparentiam sicut veritatum praecipuarum, quae reliquis praeferendae: "et venerunt ad eam filii Babelis, et polluerunt eam per scortationem suam," significat conjunctionem cum falsis mali ex amore sui: "multiplicavit scortationes suas, dum recordata est dierum adolescentiae suae, quibus scortata est in terra Aegypti," significat quod confirmaverit idololatrica sua, et falsa mali, quae ex naturali homine imbuerat, et sic falsificata sua auxerit: "adamavit supra pellices eorum, eo quod caro asinorum caro eorum, et effluvium equorum effluvium eorum," significat cupiditates amoris erga illa, quia ex proprio voluntario eorum, et inde ex proprio intellectuali; "caro asinorum" est proprium voluntarium, et "effluvium equorum" est proprium intellectuale inde, quae pervertunt omnia: "ita commendasti scelus adolescentiae tuae, cum ornasti [ex] Aegypto mammas tuas," significat amorem falsi implantatum a prima aetate, et ex illa delectationem: "quamobrem, Oholiba, excitabo amasios tuos contra te, filios Babelis et omnes Chaldaeos, et Assyrios cum illis," significat destructionem ecclesiae per mala ex amore sui, et per falsa ex fastu propriae intelligentiae, quibus internecinum odium inest contra bona et vera doctrinae: "filios tuos et filias tuas capient" significat vera et bona ecclesiae quae destruent: "et posteritas tua consumetur per ignem" significat quod reliqua inde peritura sint per amores terrestres: "exuent tibi vestes tuas, et sument vasa ornatus tui," significat quod deprivabunt omni intelligentia et scientia, quae ecclesiae decus; "ita cessare faciam facinus tuum a te, et scortationem tuam e terra Aegypti," significat quod sic falsificari vera non possint: "ut non tollas oculos tuos ad illos, et Aegypti non recorderis amplius,"

significat dum non amplius est aliquis intellectus veri, nec scientia veri: "ebrietate et tristitia impleberis" significat insaniam in spiritualibus et aversationem: "calice devastationis et desolationis" significat falsa mali quae prorsus devastant et desolant omnia bona et vera ecclesiae. Apud eundem,

> "Scortata es cum filiis Aegypti, vicinis tuis magnis carne, et multiplicasti scortationem tuam,....et scortata es cum filiis Aschuris, et satietas tibi nulla;....et multiplicasti scortationem tuam usque ad terram negotiationis tuae Chaldaeam, sed neque tunc satiata es" (xvi. 26, 28, 29):

haec de abominationibus Hierosolymae, per quam significatur ecclesia quoad doctrinam; et per "scortationes" significantur falsificationes veri doctrinae ac Verbi: "quare scortata es cum filiis Aegypti, vicinis tuis magnis carne," significat falsificationes a naturali homine, ubi sunt omnia mala et falsa; "caro" significat proprium hominis quod residet in naturali homine, et in se non est nisi quam malum et inde falsum: "et scortata es cum filiis Aschuris" significat falsificationes per ratiocinationes: "et satietas tibi nulla" significat cupiditatem falsificandi vera absque fine: "et multiplicasti scortationem tuam usque ad terram negotiationis tuae Chaldaeam" significat falsificationes ex sensuali homine, ubi merc fallaciae, ex quibus homo prorsus rejicit et negat et quoque blasphemat vera; "terra negotiationis" significat unde omnia falsa comparantur, et sensuale est scaturigo omnium malorum et inde falsorum; homo etiam nascitur primum sensualis, dein fit naturalis, tum rationalis, et tandem spiritualis, et qui falsificat vera ecclesiae fit iterum naturalis et tandem sensualis: "sed neque hoc satiata es" significat cupiditatem destruendi vera ecclesiae immensam.

[*m*.] Apud *Joelem*,

> "Aegyptus in vastitatem erit, et Edom in desertum vastitatis, propter violentiam filiorum Jehudae, quorum fuderunt sanguinem innocentem in terra sua" (iv. [*B. A.* iii.] 19):

"Aegyptus in vastitatem erit" significat quod naturalis homo absque veris, et inde in meris falsis erit; "et Edom in desertum vastitatis" significat quod naturalis homo absque bonis et inde in meris malis erit; "propter violentiam filiorum Jehudae, quorum fuderunt sanguinem innocentem," significat quia vim intulerunt veris et bonis

Verbi, quae perverterunt. Similia involvunt bella inter filios Israelis et Aegyptios, tum bella inter filios Israelis et Assyrios, ut et inter Assyrios et Aegyptios

(Ut 2 *Reg.* xxiii. 29 ad fin.; cap. xxiv.: *Esai.* x. 3–5);

et in *Libro Primo Regum*,

> Quod sub rege Rechabeamo ascenderit rex Aegypti contra Hierosolymam, et sumpserit thesauros Domus Jehovae, et thesauros domus regis, et quod sumpserit scuta quae fecerat Salomo, et plura alia (xiv. 25, 26);

nam in omnibus historicis Verbi, aeque ac in propheticis ejus, est sensus spiritualis; omnia enim historica Verbi sunt repraesentativa spiritualium et caelestium quae caeli et ecclesiae, et verba ibi sunt significativa: per id quod "rex Aegypti sumpserit thesauros domus Jehovae et domus regis," et plura, repraesentabatur devastatio ecclesiae quoad cognitiones boni et veri a scientificis false applicatis quae in naturali homine. Qualis est naturalis homo quando subordinatus spirituali, et qualis est quando separatus ab illo, plene describitur in *Exodo*, in sensu interno ibi: qualis est naturalis homo quando subordinatus et sic conjunctus spirituali, describitur ibi ubi agitur de Josepho, et de filiis Israelis a Josepho illuc vocatis, et habitantibus in terra Goschen, quae fuit optima terrarum Aegyptum; ubi agitur de Josepho, describitur dominium Domini super naturalem hominem, nam per "Josephum" in sensu spirituali intelligitur Dominus, et per "Aegyptum" naturalis homo, perque "filios Israelis" spiritualis homo. At postea describitur naturalis homo qualis est cum separatus a spirituali, per Pharaonem, quod filios Israelis graviter servire fecerit; et dein vastatio ejus quoad omnia vera et bona ecclesiae describitur per miracula, quae erant totidem plagae, ibi facta, et demum interitus per submersionem Pharaonis et omnis exercitus ejus in Mari Suph. Miracula, per quae in sensu spirituali describitur vastatio naturalis hominis separati a spirituali, erant sequentia:

> Quod baculus Aharonis conversus sit in serpentem: quod aquae in flumine conversae sint in sanguinem, ita ut moreretur piscis, et feteret flumen (*Exod.* vii.):
>
> Quod ex fluviis et stagnis productae sint ranae super terram Aegypti: quod pulvis terrae versus sit in pediculos: quod colluvies volatilium noxiorum immissa sit in domum Pharaonis, servorum ejus, et in omnem terram Aegypti (*Exod.* viii.):

Quod ulcus efflorescens pustulis factum sit super hominem et super bestiam: quod pluvia grandinis gravis commixtae igni depluerit super Aegyptum (*Exod.* ix.):
Quod locusta immissa sit super terram, quae comedit herbam et omnem fructum arboris: quod caligo tenebrarum facta sit in omni terra Aegypti (*Exod.* x.):
Quod omnia primogenita in terra Aegypti mortua sint (*Exod.* xi.):
Demum quod Aegyptii, postquam filii Israelis mutuo petierint ab illis, et sic surripuerint illis vasa auri et argenti, ac vestes [(*Exod.* xii. 35, 36)], (per quae significantur cognitiones boni et veri,) submersi sint in Mari Suph [(*Exod.* xiv. 28)] (per quod significatur infernum).

Per omnia illa describitur quomodo vastatur naturalis homo, quod fit quando a se rejicit omnia vera et bona ecclesiae, et imbuit falsa et mala, usque dum amplius non aliquod verum et bonum ecclesiae residuum est. (Sed illa omnia ample quoad sensum spiritualem in *Arcanis Caelestibus* quae super *Exodo*, explicata videantur.) Inde constare potest quid significatur

Per "plagas et morbos Aegypti" (*Deutr.* vii. 15; cap. xxviii. 60);
Quid per "submergi flumine Aegypti" (*Amos* viii. 8; cap. ix. [1]5):

et unde est quod Aegyptus dicatur

"Terra servitutis" (*Mich.* vi. 4);
Tum "terra Chami" (*Psalm.* [2]cv. 23);
Ac "fornax ferri" (*Deutr.* iv. 20; 1 *Reg.* viii. [3]51).

Haec de Aegypto; ex quibus manifeste patet quod "Aegyptus" significet naturalem hominem in utroque sensu.

655[*a*]. ***"Ubi et Dominus noster crucifixus est."***—Quod significet *a quibus, nempe malis et inde falsis oriundis ex amore infernali, rejectus et condemnatus sit*, constat ex eo, quod ipsa mala et inde falsa oriunda ex amore infernali Dominum rejiciant et condemnent: illa mala et inde falsa significantur per "Sodomam et Aegyptum;" quare dicitur de urbe Hierosolyma, quod vocetur ita spiritualiter, nam "vocari spiritualiter" significat ipsum malum et inde falsum. Sunt inferna distincta in duo regna, opposita duobus regnis in caelis: regnum oppositum regno caelesti est a tergo, et illi qui ibi sunt vocantur genii; id regnum est quod in Verbo intelligitur per "diabolum:" regnum autem oppositum regno spirituali est antrorsum, et illi qui ibi sunt vocantur mali spiritus; id regnum est quod in Verbo intelligitur per "satanam." Haec inferna, seu

haec duo regna in quae inferna distincta sunt, intelliguntur per "Sodomam" et "Aegyptum." Sive dicas mala et inde falsa, sive dicas illa inferna, idem est, quoniam omnia mala et inde falsa ab illis ascendunt. Quod "Judaei, qui Hierosolymae, crucifixerint Dominum," significat quod mala et inde falsa quae amaverunt crucifixerint Ipsum; nam omnia quae memorantur in Verbo de passione Domini repraesentabant statum perversum ecclesiae apud illam gentem; tametsi enim sanctum habuerunt Verbum, attamen per traditiones perverterunt omnia ibi, usque dum non amplius aliquod Divinum Bonum et Verum apud illos residuum fuerit; et cum Divinum Bonum et Verum, quae sunt in Verbo, non residuum est, tunc mala et falsa ex amore infernali loco illorum succedunt, et illa sunt quae crucifigunt Dominum. (Quod talia per passionem Domini significentur, videatur supra, n. 83, 195[c], 627[c]. Quod Dominus dicatur "occisus" significet quod rejectus et negatus, etiam supra, n. 328. Et quod Judaei tales fuerint, supra, n. 122, 433[e], 619[a]; et in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 248.) Quoniam hic dicitur, "ubi Dominus crucifixus est," dicetur quid apud Judaeos significabat "crucifixio" seu "suspensio super ligno." Erant binae poenae mortis apud illos, crucifixio et lapidatio; et per "crucifixionem" significabatur condemnatio et maledictio propter destructionem boni in ecclesia, et per "lapidationem" significabatur condemnatio et maledictio propter destructionem veri in ecclesia. Quod "crucifixio" significaverit condemnationem et maledictionem propter destructionem boni in ecclesia, erat causa quia "lignum," super quo suspendebantur, significabat bonum, ac in opposito sensu malum, utrumque voluntatis; et quod "lapidatio" significaverit condemnationem et maledictionem propter destructionem veri in ecclesia, erat causa quia "lapis," quo fiebat lapidatio, significabat verum, et in opposito sensu falsum, utrumque intellectus: omnia enim quae apud gentem Israeliticam et Judaicam instituta fuerunt, erant repraesentativa et inde significativa. (Quod "lignum" significet bonum, ac in opposito sensu malum, et quod "lapis" significet verum, ac in opposito sensu falsum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 643, 3720, 8354.) Sed quia hactenus ignotum fuit unde Judaeis et Israelitis poena crucis et poena lapidationis fuit, et tamen interest ut sciatur, velim etiam confirmationes ex Verbo adducere, ut sciatur quod binae illae poenae etiam repraesentativae fuerint. Quod

"suspensio super ligno" seu "crucifixio" indicta fuerit propter destructionem boni in ecclesia, et quod sic repraesentaverit malum ex amore infernali, ex quo condemnatio et maledictio, constare potest a sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Si fuerit filius contumax et rebellis, non obediens voci patris et matris,....lapidabunt eum omnes viri urbis lapidibus ut moriatur. ....Et si fuerit in viro crimen et judicium mortis et occisionis, suspendes eum super ligno; non pernoctabit cadaver ejus super ligno, sed sepeliendo sepelies eum in die eodem; nam maledictio Dei suspensus, et non polluas terram tuam" (*Deutr.* xxi. [18,] 20–23):

per "non obedire voci patris et matris" in sensu spirituali significatur vivere contra praecepta et vera ecclesiae; quare poena lapidationis ei fuit: "viri urbis" qui lapidabunt eum, significant illos qui in doctrina ecclesiae sunt; "urbs" significat doctrinam: "si fuerit in viro crimen, judicium mortis, suspendes eum ligno," significat si malum fecerit contra bonum Verbi et ecclesiae, id quia crimen mortis erat, suspenderetur super ligno, nam "lignum" in Verbo significat bonum, et in opposito sensu malum: "non pernoctabit cadaver ejus super ligno, sed sepelies eum die eodem," significat ne [esset] repraesentativum damnationis aeternae: "ne polluas terram tuam" significat quod foret scandalo ecclesiae. In *Threnis*,

> "Cutes nostrae sicut clibanus denigratae sunt propter procellas famis, mulieres in Zione compresserunt, virgines in urbibus Jehudae; principes manu eorum suspensi sunt, facies senum non honoratae; juvenes ad molendum abduxerunt, et pueri in ligno corruunt" (v. 10–13):

per "Zionem" intelligitur ecclesia caelestis, quae in bono amoris in Dominum est, quam ecclesiam gens Judaica repraesentabat; per "virgines in urbibus Jehudae" significantur affectiones veri ex bono amoris; quod vera ex bono perierint per falsa ex malo, significatur per quod "principes manu eorum suspensi sint;" per "facies senum," quae non honoratae, significantur bona sapientiae; per "juvenes," qui adducti ad molendum, significantur vera ex bono, et per "molere" significatur comparare falsa et confirmare illa ex Verbo; per "pueros" qui "ligno corruunt" significantur bona nascentia pereuntia per mala. Quoniam per "pistorem" significatur bonum amoris simile

quod per "panem," et per "pincernam" verum doctrinae simile quod per "vinum," ideo

> Pistor propter crimen contra regem Pharaonem suspensus est (*Gen.* xl. 19–22; cap. xli. 13).

(Quae in *Arcanis Caelestibus*, n. 5139–5169, explicata videantur.) Quia per "Moabum" intelliguntur illi qui adulterant bona ecclesiae, et quia per "Baalpeorem" significatur adulteratio boni, inde factum est

> Quod omnia capita populi suspensi sint coram sole, quia populus scortatus est cum filiabus Moabi, et incurvavit se diis earum, et adjunxit se Baalpeori (*Num.* xxv. 1–4):

per "scortari cum filiabus Moabi" significatur adulterare bona ecclesiae, et per "suspendi coram sole" significatur condemnatio et maledictio propter destructum bonum ecclesiae. Quia per "Ajam" significabantur cognitiones boni, et in opposito sensu confirmationes mali, ideo

> Rex Ajae suspensus est super ligno, ac postea projectus ad ostium portae urbis, et ipsa urbs combusta est (*Jos.* viii. 26–29).

Et quia per quinque "reges Emorraeorum" significabantur mala et inde falsa destruentia bona et vera ecclesiae, ideo

> Illi reges a Joschua suspensi sunt, et postea projecti in speluncam Makkeda (*Jos.* x. 26, 27).

per "speluncam Makkeda" significatur dirum falsum ex malo.

[*b*.] Per "suspendi ligno," seu "crucifigi," significatur poena mali destruentis bonum ecclesiae, etiam apud *Matthaeum*,

> "Jesus dixit, Mitto ad vos prophetas, sapientes, et scribas; ex iis occidetis, crucifigetis, et flagellabitis in synagogis, et persequemini ab urbe in urbem" (xxiii. 34):

omnia quae Dominus locutus est, ex Divino locutus est; sed Divina ex quibus locutus est, secundum correspondentias, in naturalis cogitationis ideas et inde voces, quales hic et alibi apud *Evangelistas* sunt, ceciderunt; et quia est spiritualis sensus omnium verborum, ideo per "prophetas, sapientes, et scribas" in eo sensu non illi intelliguntur, sed pro illis verum et bonum doctrinae et Verbi; spiritualis enim cogitatio et inde loquela, qualis est angelis,

est absque idea personae; inde per "prophetam" significatur verum doctrinae, per "sapientes" bonum doctrinae, et per "scribas" Verbum ex quo doctrina; inde sequitur quod "occidere" se referat ad verum doctrinae ecclesiae quod est "propheta," "crucifigere" se referat ad bonum doctrinae quod est "sapiens," ac "flagellare" se referat ad Verbum quod est "scriba;" et quod sic "occidere" significet exstinguere, "crucifigere" destruere, ac "flagellare" pervertere: quod ab uno falso doctrinae aberrent in aliud, significatur per "persequi illos ab urbe in urbem;" "urbs" significat doctrinam: hic sensus spiritualis illorum verborum est. Apud eundem,

> Jesus dixit discipulis quod Hierosolymae pateretur, et quod Filius hominis traderetur principibus sacerdotibus et scribis, "et condemnabunt Ipsum,....tradent Ipsum gentibus, ad illudendum, ad flagellandum et crucifigendum, et tertia die resurget" (xx. 18, 19; *Marc.* x. 32–34):

sensus spiritualis horum verborum est, quod Divinum Verum in ecclesia, ubi mere falsa doctrinae et mala vitae regnant, blasphemabitur, verum ejus pervertetur, et bonum ejus destruetur: "Filius hominis" significat Divinum Verum, quod est Verbum; et "Hierosolyma" significat ecclesiam, ubi mere falsa et mala regnant: per "principes sacerdotes et scribas" significantur adulterationes boni et falsificationes veri, utraeque ex amore infernali: per "condemnare Ipsum et tradere gentibus" significatur Divinum Verum ac Divinum Bonum adjudicare inferno, ac tradere malis et falsis quae inde; "gentes" significant mala quae ab inferno sunt et destruunt bona ecclesiae: "ad illudendum, flagellandum et crucifigendum" significat blasphemationem, falsificationem et perversionem veri ac adulterationem et destructionem boni ecclesiae et Verbi (ut supra); "et tertia die resurget" significat glorificationem Humani Domini plenariam. Ex his constare potest quid in sensu spirituali significatur per crucifixionem Domini, tum quid per varias illusiones tunc, ut quod "corona ex spinis capiti Ipsius imposita fuerit," quod "Ipsum calamo percusserint," quodque "in facies Ipsius exspuerint," praeter plura quae apud *Evangelistas* memorantur; quod nempe gens Judaica Ipsum Divinum Verum et Bonum, quod erat Dominus, tam nefarie tractaverit; passus enim est Dominus

in Se repraesentari statum nefandum ecclesiae istius. Hoc quoque significatur per id,

Quod portaverit iniquitates eorum (*Esai.* liii. 11);

nam commune fuit, ut propheta susciperet in se repraesentationem nefandorum ecclesiae; sicut quod Esaias propheta jussus sit ire nudus et discalceatus tres annos, repraesentationis causa quod ecclesia absque bono et vero esset (*Esai.* xx. 3, 4): quod propheta Ezechiel ligatus funibus obsideret laterem, cui insculpta fuit Hierosolyma, ac ederet placentam hordeorum factam cum excrementis bovis, repraesentationis causa quod verum et bonum ecclesiae a falsis ita obsessum, et a malis ita conspurcatum esset (*Ezech.* iv. 1–13): quod Hoscheas propheta jussus sit accipere scortum sibi in mulierem, ac liberos scortationum, ad repraesentandum qualis tunc ecclesia fuit (*Hosch.* i. 1–11): praeter similia alibi. Quod hoc fuerit "portare iniquitates domus Israelis," seu ecclesiae, aperte dicitur (*Ezech.* cap. iv. 5, 6). Ex his constare potest quod omnia quae de passione Domini memorantur, fuerint repraesentativa status ecclesiae tunc apud gentem Judaicam. Haec de poena "suspensionis super ligno" seu "crucifixionis." Quod altera poena, quae fuit "lapidatio," significaverit condemnationem et maledictionem propter destructum verum ecclesiae, non hujus loci est ex Verbo confirmare, sed usque constare potest ex locis e Verbo ubi "lapidatio" memoratur:

Ut *Exod.* xxi. 28–33: *Levit.* xxiv. 10–17, 23: *Num.* xv. 32–37: *Deutr.* xiii. 11 [*B. A.* 10]; cap. xvii. 5–7; cap. xxii. 20, 21, 24: *Ezech.* xvi. 39–41; cap. xxiii. 45–47: *Matth.* xxiii. 37: *Luc.* xiii. 34; cap. xx. 6: *Joh.* viii. 7; cap. x. 31, 32: et alibi.

VERSUS 9, 10.

656. *"Et videbunt ex populis et tribubus et linguis et gentibus corpora illorum dies tres et dimidium; et corpora illorum non permittent poni in monumentis. Et habitantes super terra gaudebunt super illis et laetabuntur, et munera mittent invicem, quoniam illi duo prophetae cruciaverunt habitantes super terra."*

9. *"Et videbunt ex populis et tribubus et linguis et gentibus,"* significat *apud omnes qui in falsis et malis religionis, doctrinae et vitae sunt* [n. 657]; *"corpora illorum dies tres et dimidium,"* significat *plenariam exstinctionem Divini Veri ac Divini Boni* [n. 958]; *"et corpora illorum non permittent poni in monumentis,"* significat *rejectionem et damnationem illorum* [n. 659].

10. *"Et habitantes super terra gaudebunt super illis et laetabuntur,"* significat *jucunda amoris infernalis apud illos qui contra bona et vera ecclesiae* [n. 660]; *"et munera mittent invicem,"* significat *consociationem illorum* [n. 661]; *"quoniam illi duo prophetae cruciaverunt habitantes super terra,"* significat *anxietatem cordis ex illis in ecclesia devastata* [n. 662].

657. [*Vers.* 9.] *"Et videbunt ex populis et tribubus et linguis et gentibus."*—Quod significet *apud omnes qui in falsis et malis religionis, doctrinae et vitae sunt*, constat ex significatione "videre," quod sit scire, percipere et intelligere: ex significatione "populorum et tribuum," quod sint qui in falsis doctrinae et religionis; per "populos" in Verbo intelliguntur omnes qui in veris aut in falsis sunt, sive ab ecclesia sint sive extra ecclesiam ex aliqua religione (videatur n. 175[a], 331, 625); et per "tribus" in Verbo intelliguntur omnes qui in veris aut falsis doctrinae sunt, nam per "tribus" significantur omnia vera et falsa doctrinae (videatur supra, n. 330, 430, 431, 454); ex his constare potest quod "populi et tribus" significent omnes qui in veris aut falsis religionis et doctrinae sunt; hic qui in falsis, quia dicitur quod "illi videbunt corpora testium tres dies et dimidium, et non permittent illa poni in monumentis:" et ex significatione "linguarum et gentium," quod sint qui in malis doctrinae et vitae sunt; per "linguas" enim significantur bona aut mala doctrinae et inde religionis (videatur supra, n. 330, 455, 625); et per "gentes" significantur bona aut mala vitae (etiam supra, n. 175, 331, 625); ex quibus constare potest quod "linguae et gentes" significent omnes qui in bonis aut malis doctrinae et vitae sunt; hic qui in malis, nam de illis dicitur quod "visuri corpora testium super platea urbis magnae, nec permittent illa poni in monumentis."

658. *"Corpora illorum dies tres et dimidium."**—Quod significet *plenariam exstinctionem Divini Veri ac Divini Boni*, constat ex significatione "corporum," nempe "testium," quod sint qui apud se exstinxerunt omne Divinum Verum ac Divinum Bonum; per "binos" enim "testes," quos occiderunt, significantur bona amoris et charitatis ac vera doctrinae et fidei (videatur supra, n. 228, 635); inde per "corpora illorum," dum occisi, significatur quod illa exstincta

---

* [NOTA:—]3½:—1 *Reg.* xvii.; cap. viii.: *Luc.* iv. 25.

sint; at quia bonum amoris et charitatis ac verum doctrinae et fidei non exstingui possunt nisi quam apud illos qui in falsis doctrinae et in malis vitae sunt, ideo illi intelliguntur, quoniam alii non vident bona amoris et vera doctrinae exstincta: (unusquisque enim videt illa quae Domini sunt, et inde quae caeli et ecclesiae, secundum sui status quale, videt enim ex illo; quare non aliter videt quam qualis ille est: ut qui negat Dominum ac Divinum Ipsius in caelo et in ecclesia, ille non videt illa, quia ex negativo videt; quare is non videt testes vivos, sed "corpora" illorum sicut cadavera; hoc est, bona amoris et vera doctrinae ut nulla, proinde exstincta:) et ex significatione "dierum trium et dimidii," quod sit plenarium, hic exstinctio plenaria; quod "tria et dimidium" sint plenarium, est quia "tria" significant integram periodum seu durationem a principio ad finem; proinde ubi de ecclesia agitur, ut hic, "tria et dimidium" significant usque ad finem et simul ad novum principium ejus; quare sequitur quod "post tres dies et dimidium spiritus vitae a Deo intraverit in illos," et quod "steterint super pedibus suis," per quae significatur principium novae ecclesiae post finem veteris: nam omne bonum amoris et verum doctrinae in fine ecclesiae exstinctum est; at tunc quoque resuscitatur, quod fit apud illos apud quos nova ecclesia a Domino instauratur, quod etiam significatur per "spiritum vitae" qui intravit in illos. Quod "dies tres et dimidium" significent plenarium seu statum plenum, est quoque ex eo, quod ille numerus simile significet cum numero "septem," est enim dimidium ejus, ac per numerum dimidiatum, ut et per numerum duplicatum, simile significatur quod per numerum cujus dimidium aut duplum est; ac per numerum "septem" significatur omne, tum plenum et plenarium, et praedicatur de sancto caeli et ecclesiae, de qua illius numeri significatione videatur supra (n. 20, 24, 257, [1]300). Quod numeri majores et congregati ex minoribus simile significent cum simplicibus ex quibus per multiplicationem exsurgunt, videatur etiam supra (n. 430[a,b]); et quod "tria" significent integram periodum majorem aut minorem, a principio ad finem (supra, n. 532).

659[*a*]. *"Et* [*corpora illorum*] *non permittent poni in monumentis."*—Quod significet *rejectionem et damnationem illorum*, constat ex significatione "non poni in monumentis,"

seu "non sepeliri," quod sit damnatio aeterna; nam per "sepeliri" in Verbo significatur exsuscitatio in vitam et resurrectio; quoniam cum homo moritur et sepelitur, tunc exsuscitatur seu resurgit in vitam aeternam. Homo enim post mortem aeque vivit ac in mundo, sed corpus terrestre seu materiale, quod ei inserviverat pro usu in mundo naturali, deponit, et continuat vitam in corpore spirituali; quare sepelitio est modo rejectio quasi exuviarum quas in naturali mundo circumtulit. Quod "sepelitio" significet exsuscitationem in vitam aeternam seu resurrectionem, est quia angeli non sciunt quid mors hominis et quid sepelitio ejus, quoniam illis non est aliqua mors, proinde nec sepelitio, et usque spiritualiter omnia percipiunt; quare ubi "mors" hominis in Verbo nominatur, pro illa percipiunt transmigrationem ejus ab uno mundo in alterum; et ubi "sepelitio" nominatur, percipiunt resurrectionem ejus in vitam. Exinde sequitur quod "non sepeliri" significet non resurrectionem in vitam, sed in damnationem, per quam intelligitur mors spiritualis. Unusquisque quidem homo post excessum e mundo exsuscitatur et resurgit, sed quidam ad vitam, quidam ad damnationem; et quia "sepeliri" significat resurrectionem ad vitam, inde "non sepeliri" significat damnationem, sed hic ab illis qui rejiciunt bona amoris et vera doctrinae, quae per "binos testes" significantur; quare per "non poni in monumentis" seu "non sepeliri" non intelligitur damnatio, nisi solum in idea illorum qui talia condemnant. Quid itaque "sepulchra" in Verbo significant, tum quid "sepeliri" et "non sepeliri," constare potest ex sequentibus locis. Quod "sepulchra" significent immunda, proinde etiam infernalia, ex cadaveribus et ossibus quae inibi, constat ex pluribus locis in Verbo:—Ut apud *Esaiam*,

> "Populus qui ad iram provocant Me coram faciebus meis jugiter,.... qui suffiunt super lateribus, qui sedent in sepulchris, et in vastitatibus pernoctant, qui comedunt carnem suis" (lxv. 3, 4):

"provocare Jehovam ad iram coram faciebus Ipsius" significat peccare contra vera et bona Verbi, et recedere a cultu ibi mandato; "facies Jehovae" sunt illa quae in Verbo revelata sunt: "suffire super lateribus" significat cultum ex falsis doctrinae ("lateres" sunt falsa doctrinae,

ac "suffire" est cultus ex illis): "sedere in sepulchris" significat esse in amoribus spurcis: "pernoctare in vastitatibus" significat permanere et vivere in falsis ("vastitates" sunt ubi non vera): "comedere carnem suis" significat appropriare sibi mala infernalia. Apud *Mosen*,

> "Quisquis tetigerit super superficie agri confossum gladio, aut mortuum, aut os hominis, aut sepulchrum, immundus erit septem diebus," et postea purificabitur (*Num.* xix. 16, 18):

per "tangere" in Verbo significatur communicare; quare ne communicarentur falsa et mala, et sic appropriarentur, prohibitum fuit tangere immunda, hic "confossum gladio," "mortuum," "os hominis" et "sepulchrum;" quia per "confossum gladio" significatur qui perierat per falsa, et inde damnatus ad infernum, per "mortuum" qui perierat per mala, per "os hominis" significatur falsum infernale, et per "sepulchrum" malum infernale. Apud *Ezechielem*,

> "Plange super multitudine Aegypti, et descendere fac eam....cum descendentibus foveam;....in medio confossorum gladio cadent; ....ibi Aschur et tota congregatio ejus, circum eum sepulchra ejus, omnes confossi qui ceciderunt gladio, cui data sunt sepulchra in lateribus foveae, estque congregatio ejus circa sepulchrum ejus; ....Elam et omnis multitudo ejus circa sepulchrum ejus, omnes praeputiati confossi...gladio" (xxxii. 18, 20, 22–24):

per "multitudinem Aegypti" significantur scientifica naturalis hominis, quae mortua sunt, quia non descendunt et formantur ut effectus, conclusa et confirmationes ex veris spiritualis hominis; per "Aschurem" significantur ratiocinationes ex talibus scientificis: quare per "Plange super multitudine Aegypti, et descendere fac eam cum descendentibus in foveam," significatur dolor propter damnationem eorum qui in illis sunt; per "foveam" significatur infernum ubi talia scientifica mortua regnant, hoc est, scientifica separata a veris quia applicata ad confirmanda falsa doctrinae et mala vitae: per "confossos gladio" significantur hic ut supra illi qui damnati sunt ad inferna propter falsa: "ibi Aschur et tota congregatio ejus" significat ratiocinationes ex illis falsis: per "sepulchra" quae circum Aschurem et in lateribus foveae, ubi "Elam," et "omnes praeputiati confossi gladio," significantur inferna ubi illa falsa sunt, hoc est, illi qui in talibus falsis.

[*b.*] Sciendum est quod falsa et mala omnis generis

correspondeant immundis et tetris quae in naturali mundo sunt, diriora falsa et mala cadaverosis et quoque excrementitiis fetidis, mitiora falsa et mala paludinosis: inde est quod domicilia illorum in infernis qui in talibus falsis et malis sunt, appareant similia foveis et sepulchris; et si credere velitis, etiam tales genii et spiritus in sepulchris, latrinis et paludibus, quae in nostro mundo sunt, habitant, tametsi illi id nesciunt; causa est quia correspondent, et quae correspondent conjungunt: idem concludi potest ex eo, quod nihil jucundius sit nidore cadaveroso illis qui fuerunt ficarii et venefici, tum qui jucundum perceperunt in violandis feminis; et nihil jucundius est nidore excrementitio illis qui amore imperandi inescati fuerunt, tum qui jucundum in adulteriis, et non jucundum in conjugiis, ceperunt; ac nihil jucundius est nidore paludinoso tum urinoso illis qui se confirmaverunt in falsis, et affectionem veri apud se exstinxerunt: inde est quod inferna, in quibus illi sunt, appareant secundum jucunda correspondentia, quaedam sicut foveae, et quaedam sicut sepulchra. Ex his quoque patet unde erat,

> Quod obsessi a daemonibus fuerint in sepulchris, et inde egressi sint (*Matth.* viii. 28, seq.; *Marc.* v. 2, 3, 5; *Luc.* viii. 27);

nempe, quia illi obsessi, dum vixerunt in mundo, in falsis ex malo fuerunt, seu in cognitionibus ex Verbo, quas fecerunt mortuas per id quod illas applicuerunt confirmandis malis, tum etiam destruendis genuinis veris ecclesiae, imprimis veris de Domino, de Verbo, deque vita post mortem, quae cognitiones mortuae in Verbo vocantur "traditiones;" inde erat, quod obsessi a talibus, qui daemones facti sunt,

> In sepulchris fuerint, ac ipsi daemones postea in porcos ejecti, qui praecipitaverunt se in mare (*Matth.* [1]viii. 31–33):

quod "in porcos [2]injecti fuerint," erat causa quia, dum vixerunt in mundo, in sordida avaritia fuerunt, nam talis avaritia correspondet porcis, et inde significat illos; quod "in mare se praecipitaverint," erat causa quia "mare" ibi significat infernum. Apud *Davidem*,

> "Reputatus sum cum descendentibus in foveam, factus sum sicut vir non robur: inter mortuos, neglectus, sicut confossi cubantes in sepulchro, quorum non meministi amplius, quique e manu tua

excisi sunt; posuisti Me in fovea inferiorum, in tenebris, in profunditatibus. ....Num enarrabitur in sepulchro misericordia tua, veritas..in perditione?" (Ps. lxxxviii. 5–7, 12 [*B. A.* 4–6, 11]:)

agitur ibi de tentationibus; in sensu supremo de tentationibus Domini, quae describuntur quales fuerunt, quod nempe visus Sibi sicut in inferno inter damnatos; nam tentationes quas Dominus sustinuit fuerunt ita atroces et enormes: quare "Reputatus sum cum descendentibus [in] foveam" significat quod visus Sibi sicut in inferno ("fovea" est infernum); "factus sum sicut vir, non robur," significat quod tunc visus Sibi sicut absque potentia, nam tentationes immergunt hominem in falsa et mala, quibus nulla est potentia; "inter mortuos, neglectus," significat inter illos quibus nihil veri et boni, et propterea rejecti; "sicut confossi cubantes in sepulchro" significat sicut qui in falsis ex malo sunt; ("confossi" significant illos qui per falsa pereunt, et "sepulchrum" significat infernum, ex eo, quod illi qui in inferno, spiritualiter mortui [1]sint;) "quorum non meministi amplius, quique e manu tua excisi sunt," significat deprivatos omni vero et bono; "posuisti Me in fovea inferiorum" significat in locis inferni ubi tales; "in tenebris" significat sicut in falsis; "in profunditatibus" significat sicut in malis: sequitur nunc precatio ex dolore, ut a tentationibus liberetur; et inter causas etiam hoc, "Num enarrabitur in sepulchro misericordia tua, et veritas in perditione?" significat quod in inferno, ubi et unde mala et falsa, Divinum Bonum ac Divinum Verum non praedicari possint; "misericordia" est Divinum Bonum Divini Amoris, ac "veritas" est Divinum Verum Divinae Sapientiae, "sepulchrum" est infernum ubi et unde mala, et "perditio" est infernum ubi et unde falsa. Ex his etiam patet quod per "sepulchrum" intelligatur infernum, ex eo, quod illi qui in inferno sunt, spiritualiter mortui sint. Apud *Esaiam*,

"Ut daret impios sepulchro suo, et divites in mortibus suis" (liii. 9):

haec etiam de Domino, de quo in toto illo capite agitur; hic autem de victoria Ipsius super inferna: et per "impios" quos "daret sepulchro," intelliguntur mali qui dejicientur in infernum; hic "sepulchrum" manifeste pro inferno, quod "sepulchrum" vocatur ex spiritualiter mortuis qui ibi; et

per "divites" quos "daret in mortibus suis," intelliguntur qui ab ecclesia in falsis ex malo sunt, qui vocantur "divites" ex cognitionibus veri et boni quae illis sunt ex Verbo; falsa ex malo significantur per "mortes," quoniam illi qui in iis spiritualiter mortui sunt. Qui de Deo et proximo cogitant male et usque loquuntur bene, et qui de veris fidei et de bonis amoris cogitant insane et loquuntur sane, illi sunt interius sepulchra exterius dealbata, secundum haec Domini verba:

> "Vae vobis, Scribae et Pharisaei, hypocritae, quia similes vos facitis sepulchris dealbatis, quae foris quidem apparent pulchra, intus plena sunt ossibus mortuorum, et omni immunditie" (*Matth.* xxiii. 27, 29; *Luc.* xi. 47, 48);

et apud *Davidem*,

> "Non in ore cujusvis rectum, medium eorum perditiones; sepulchrum apertum guttur eorum, lingua sua blandiuntur" (Ps. v. 10 [*B. A.* 9]):

"in ore" significat exterius, "medium" interius; quod interius sit infernum, significatur per quod "guttur eorum sit sepulchrum apertum;" et quod exterius sit hypocriticum et sicut sanum, significatur per quod "linguae blandiantur." Ex his et ex aliis in Verbo locis, constare potest quid significatur per "sepulchrum."

[*c*.] Quando itaque agitur de illis qui in falsis ex malo sunt, tunc per "sepulchrum" illorum intelligitur infernum, ex quo et in quo id falsum; at vero ubi agitur de illis qui in veris ex bono sunt, tunc per "sepulchrum" intelligitur remotio et rejectio falsi ex malo, ac per "sepulturam" intelligitur exsuscitatio et resurrectio in vitam, tum quoque regeneratio; nam apud hominem qui in veris ex bono est, removetur falsum ex malo ac rejicitur in infernum; et ipse quoad interiora, quae sunt spiritus ejus, resurgit, ac vitam veri ex bono, quae est vita spiritualis, init: in hoc sensu intelligitur "sepultura" in sequentibus locis:—Apud *Johannem*,

> "Ne miremini, quoniam veniet hora in qua omnes qui in monumentis audient vocem Filii hominis, et exibunt: qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii" (v. 28, 29):

per haec non intelligitur quod illi qui in sepulchris seu in monumentis sunt, audituri sint vocem Domini et exituri;

quoniam omnes post mortem aeque vivunt homines sicut in mundo, cum sola differentia quod post mortem vivant in corpore spirituali, et non in materiali; quare per "exire e monumentis" significatur e corpore materiali, quod fit primum cum unoquovis statim post mortem, et postea dum ultimum judicium existit; nam tunc removentur exteriora, et aperiuntur interiora, apud omnes apud quos prius non factum est; illi apud quos interiora sunt caelestia, resurgunt in vitam; at illi apud quos interiora sunt infernalia, resurgunt in mortem; quod intelligitur per "Qui bona fecerunt, exibunt in resurrectionem vitae; qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii." Quod hoc sit "exire e monumentis" seu "e sepulchris," evidentius adhuc patet apud *Ezechielem*,

> "Ecce Ego aperturus sepulchra vestra, et ascendere faciam vos e sepulchris vestris, popule mi, et deducam vos super terram Israelis, ut cognoscatis quod Ego Jehovah, ac aperuero sepulchra vestra, et ascendere fecero vos e sepulchris vestris, popule mi, et dedero spiritum meum in vobis, ut vivatis, et collocavero vos super terra vestra" (xxxvii. [12,] 13, 14):

agitur ibi de "ossibus aridis" visis prophetae super faciebus vallis, super quae adducti apparuerunt nervi, ascendit caro, et obducta est cutis; et quae, postquam spiritus Dei in illa missus est, revixerunt et steterunt super pedibus: quod per "ossa illa" intelligatur tota domus Israelis, aperte dicitur his verbis,

> "Fili hominis, ossa haec tota domus Israelis sunt; ecce dicentes, Exaruerunt ossa nostra, et periit spes nostra, excisi sumus nobis" (vers. 11);

quae domus assimilata est ossibus aridis, quia in falsis et malis erant, quae non aliquam vitam habent, ex non correspondentia cum caelo quoad nervos, carnem et cutem; nam "ossa" significant vera in ultimo ordinis super quibus fundantur vera spiritualia, at "ossa arida" falsa ex malo: inde constare potest quod per "aperire sepulchra, et ascendere facere populum e sepulchris," significetur exsuscitare e falsis a malo, ita a mortuis, et indere vera ex bono, ita vitam, quae vita est "spiritus Dei" ex quo revixerunt; hoc itaque est "ascendere facere populum e sepulchris:" ecclesia, quae ex illis formabitur, significatur

per "terram Israelis," super quam deducentur, et super qua collocabuntur.

[*d.*] Memoratur apud *Matthaeum*,

> Quod post passionem Domini monumenta aperta sint, et multa corpora dormientium e monumentis suis ingressi sint in sanctam urbem, et apparuerint multis (xxvii. 52, 53):

quod "monumenta fuerint aperta," et quod "multa corpora dormientium apparuerint," simile significat quod supra apud *Ezechielem*, ubi dicitur quod "Jehovah aperturus sit sepulchra, et ascendere facturus eos e sepulchris," nempe regenerationem, et resurrectionem fidelium ad vitam; non quod ipsa illa corpora, quae in monumentis jacuerunt, resurrexerint, sed quod apparuerint, ut significaretur tam regeneratio quam resurrectio ad vitam a Domino. Praeterea per eadem illa verba intelliguntur illi qui in Verbo dicuntur "vincti in fovea," quos Dominus, postquam absolvit totum opus redemptionis, liberavit; nam multi fideles non salvari potuerunt antequam Dominus in mundum venerat, ac inferna subjugaverat; interea illi in locis quae vocantur "foveae," usque ad adventum Domini, detenti fuerunt, ac a Domino liberati statim post adventum Ipsius; hae foveae etiam repraesentabantur per "monumenta" quae aperiebantur, et illi qui ibi per "dormientes," qui post resurrectionem Domini, ut dicitur, "apparuerunt multis in sancta urbe;" "sancta urbs" erat Sion et Hierosolyma, sed per illas intelligitur caelum, quo sublati a Domino; nam utraque illa urbs potius erat profana quam sancta. Ex his constare potest quid per id miraculum et quid per illam apparentiam repraesentabatur et significabatur. Quoniam per "terram Canaanem" non modo significatur ecclesia sed etiam caelum, et per "sepulturam" resurrectio ad vitam, ideo

> Abraham emerat ab Ephrone agrum, in quo spelunca Machpelah quae coram Mamre (*Gen.* xxiii.);
> Et ibi Abraham, Isacus et Jacobus cum uxoribus eorum sepulti sunt (*Gen.* xxiii.; cap. xxv. 9, 10; cap. xxxv. 29; cap. xlix.; cap. l.).

Singula quae memorantur de spelunca illa, quod nempe fuerit "in agro Ephronis, quod coram Mamre," et plura, significabant resurrectionem ad vitam (quae videantur explicata in *Arcanis Caelestibus*). Quapropter etiam Josephus praecepit

> Quod ascendere facerent ossa illius in terram Canaanem (*Gen.* l. 24–26);
> Quod etiam factum est (*Exod.* xiii. 19; *Jos.* xxiv. 32);

et hoc ex causa quia "terra Canaan," ut dictum est, significabat Canaanem caelestem, quae est caelum. Propter repraesentationem resurrectionis in caelum per sepulturam, etiam

> David et reges post illum sepeliebantur in Sione (1 *Reg.* ii. 10; cap. xi. 43; cap. xiv. 17, 18; cap. xv. 8, 24; cap. xxii. 51 [*B. A.* 50]: 2 *Reg.* viii. 24; cap. xii. 22 [*B. A.* 21]; cap. xiv. 20; cap. xv. 7, 38; cap. xvi. 20):

causa erat quia "Sion" significabat ecclesiam caelestem et caelum ubi Dominus. Quod "sepultura" significet resurrectionem, etiam constare potest ex eo, quod de mortuis passim dicatur quod "collecti sint ad patres suos," et "ad populos suos:" "ad patres," in *Genesi*,

> Jehovah dixit ad Abrahamum, "Tu venies ad patres tuos in pace, et sepelieris in senio bono" ([1]xv. 15);

et in *Secundo Libro Regum*,

> Jehovah de Joschia rege Jehudae, "Ecce Ego colligens te ad patres tuos, et colligeris in sepulchrum tuum in pace" (xxii. 20):

et "ad populos," in *Genesi*,

> "Exspiravit et mortuus est Abraham in senectute bona, senex et satur, et collectus ad populos suos" (xxv. 8);

alibi,

> "Exspiravit et mortuus est Isacus, et collectus ad populos suos, senex et satur dierum" (xxxv. 29);

et alibi,

> "Jacobus....exspiravit, et collectus ad populos suos" (xlix. 33):

"ad patres" et "ad populos" est ad suos, hoc est, ad sui similes in altera vita; nam quisque post mortem venit ad similes, cum quibus in aeternum victurus. Non dici potest colligi ad patres et ad populos in sepulchro; nam etiam de Abrahamo dicitur, quod "colligeretur ad patres," et quod "collectus ad populos esset," cum mortuus, ac sepultus in novo monumento, ubi nondum aliquis ex patribus ejus aut ex populis ejus praeter Saram uxorem, antea fuit. Apud *Hiobum*,

> "Cognosces quod pax tabernaculum tuum,....et liberi tui sicut herba terrae; venies in senio ad sepulchrum, sicut ascendere acervi in tempore suo" (v. 24, 25[, 26]);

per "tabernaculum" in Verbo significatur sanctum cultus ac bonum amoris, quia cultus Divinus antiquissimis temporibus fiebat in tabernaculis, et quia cultus eorum erat ex bono amoris caelestis, ideo per "tabernaculum" etiam significatur id bonum; quoniam bono caelesti est genuina pax, ideo dicitur, "Cognosces quod pax tabernaculum tuum:" vera ex illo bono, et illorum incrementa, significantur per "liberos" qui "erunt sicut herba terrae;" nam "filii" et "liberi" significant vera ex bono, similiter "herba terrae:" quod postquam sapientia imbutus est, in caelum venturus sit, significatur per "Venies in senio in sepulchrum;" "senium" significat sapientiam, et "venire in sepulchrum" seu "sepeliri" resurrectionem; quae quia intelligitur, ideo dicitur, "sicut ascendere acervi in tempore suo." Ex his paucis constare potest quod "sepulchra," ex cadaveribus et ossibus inanimatis inibi, significent infernalia, at quod "sepelitio" significet rejectionem illorum, proinde etiam resurrectionem; nam dum homo materiale suum corpus rejicit seu exuit, tunc induit spirituale, cum quo resurgit: inde quoque est, quod ipsa mors hominis in sensu spirituali significet continuationem vitae ejus, tametsi in malo sensu damnationem, quae est mors spiritualis. Quoniam "sepelitio" quoad hominem significat resurrectionem, et quoque regenerationem, ideo "sepelitio" quoad Dominum significabat glorificationem Humani Ipsius; Dominus enim totum Humanum suum glorificavit, hoc est, Divinum fecit; quapropter cum illo glorificato, hoc est, Divino facto, tertio die resurrexit: hoc nisi factum fuisset, nemo hominum potuisset ad vitam resurgere; resurrectio enim ad vitam homini est unice ex Domino, et quidem ex eo quod univerit Divinum Humano suo; ex qua unione, quae proprie intelligitur per glorificationem, est homini salvatio: hoc quoque involvit

> Quod Dominus dixit de muliere quae super caput Ipsius effudit unguentum balsamicum, quod ad sepelitionem Ipsius id fecerit (*Matth.* xxvi. 7, 12; *Marc.* xiv. 8; *Joh.* xii. 7):

per "unctionem" enim significatur glorificatio illa, et quia ex eo homini est salus, ideo de muliere illa dicitur,

> "Amen dico vobis, ubicunque praedicabitur Evangelium hoc in toto mundo, perhibebitur etiam quod fecit haec in memoriam ejus" (*Matth.* [xxvi.] vers. 13).

Hoc quoque repraesentatum est per

> Quod vir qui conjectus est in sepulchrum Elisaei, cum tangeret ossa illius, revixerit (2 *Reg.* xiii. 20, 21):

per Elisaeum enim repraesentatus est Dominus quoad Divinum Verum, et hoc facit vitam caeli in quam homo exsuscitatur.

[*e.*] Quoniam "sepeliri" et "sepultura" significat tam resuscitationem in vitam quam regenerationem, ideo per "non sepeliri," et per "extrahi e monumentis," significatur non resurrectio ad caelum nec regeneratio, sed resurrectio ad infernum, proinde damnatio; ut in sequentibus locis:—Apud *Esaiam,*

> "Tu projectus es e sepulchro tuo sicut surculus abominabilis, vestimentum occisorum, confossorum gladio, qui descendunt ad lapides foveae, sicut cadaver conculcatum; non adunaberis cum iis in sepulchro, nam terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti, non nominabitur in aeternum semen malitiosorum" (xiv. 19, 20):

haec de rege Babelis, per quem significatur profanatio Divini Veri: quare, "Tu projectus es e sepulchro tuo" significat quod damnatus ad infernum: "sicut surculus abominabilis, vestimentum occisorum, confossorum gladio," significat falsificationem veri et profanationem ejus; "surculus abominabilis" est verum falsificatum; "vestimentum occisorum, confossorum gladio," est verum adulteratum et prorsus destructum per dira falsa: "qui descenderunt ad lapides foveae, sicut cadaver conculcatum," significat ad infernum ubi sunt falsa mali; "cadaver conculcatum" significat spiritum infernalem apud quem omne est spiritualiter mortuum ex prorsus destructo bono: "non adunaberis cum iis in sepulchro," significat non consociationem cum illis qui resurrexerunt ad vitam; nam "in sepulchro esse," seu "sepultus esse," significat illam resurrectionem; ac vicissim, "projectus e sepulchro," damnationem: "terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti," significat quod ecclesiam et illos qui in veris ex bono ibi, per falsa mali destruxerit: "non nominabitur in aeternum semen malitiosorum" significat dissociationem et separationem aeternam. Apud *Jeremiam,*

> "Jehovah dixit super filiis et super filiabus qui nascuntur in loco hoc, et super matribus eorum quae parient eos, et super patribus eorum qui generabunt eos in terra hac; mortibus aegris morientur, ita

ut non plangantur, neque sepeliantur, in stercus super faciebus terrae erunt, aut gladio aut fame consumentur, ut sit cadaver eorum in cibum avibus caelorum et bestiae terrae" (xvi. 3, 4):

haec de ecclesia vastata quoad omne bonum et verum: per "filios et filias" ac per "matres et patres" in sensu spirituali non intelliguntur filii et filiae, matres et patres, sed ecclesiae vera et bona tam exteriora quam interiora; "filii et filiae" sunt vera et bona exteriora; "matres et patres" sunt vera et bona interiora, quae "matres et patres" vocantur quia gignunt et producunt exteriora: quod "mortibus aegris morientur, ita ut non plangantur neque sepeliantur," significat condemnationem ad infernum propter dira falsa: "in stercus super faciebus terrae erunt" significat spurcum infernale, quod est malum conspurcans bonum et verum ecclesiae: "gladio aut fame consumi" significat destrui a falsis et malis: "ut sit cadaver in cibum avibus caelorum et bestiae terrae" significat consumptum ac ulterius consumendum a cupiditatibus amoris falsi et mali. Apud eundem,

"Venit tumultus usque ad finem terrae, quia lis Jehovae contra gentes; judicium intrabit cum omni carne, impios tradet gladio;....erunt confossi Jehovae in die illo a fine terrae usque ad finem terrae, non plangentur, non colligentur, neque sepelientur; in stercus super faciebus terrae erunt" (xxv. [1]31, 33):

per haec describitur devastatio ecclesiae in fine ejus, quando ultimum judicium: "tumultus usque ad finem terrae, quia lis Jehovae contra gentes," significat consternationem omnium qui ab ecclesia, dum visitantur et deteguntur mala illorum; "terra" est ecclesia, "gentes" sunt qui in malis, et abstracte mala, ac "lis Jehovae" contra illa est visitatio et detectio: "judicium intrabit cum omni carne" significat judicium universale quod in fine ecclesiae existit: "impios tradet gladio" significat quod infideles perituri sint per sua falsa: "erunt confossi Jehovae in die illo a fine terrae usque ad finem terrae" significat illos qui pereunt per falsa omnis generis; "confossi Jehovae" sunt qui pereunt per falsa; "a fine terrae ad finem ejus" significat a primis ad ultima ecclesiae, ita falsa omnis generis: "non plangentur, neque colligentur, neque sepelientur," significat quod non amplius aliqua restauratio et salvatio, sed condemnatio; "planctus" significabat dolo-

rem propter statum hominis talem, et "non planctus" significabat non dolorem quia homo talis ut nulla restauratio: "in stercus super faciebus terrae erunt" significat mere falsum et malum, absque aliqua receptione vitae e caelo; nam homo si non per vera fidei et bona charitatis recipit vitam, est mere mortuus, nam est in meris falsis mali et in malis falsi, quae sunt "cadaver et stercus super faciebus terrae." Apud eundem,

> "Contra prophetas qui prophetant" mendacium in nomine Jehovae:.... "Populus, quibus illi prophetantes, erunt abjecti in plateis Hierosolymae, propter famem et gladium; nec sepeliens iis; ipsi, uxores eorum, et filii eorum et filiae eorum" (xiv. [15,] 16):

"non sepeliri" etiam hic pro non resurgere in vitam, sed in damnationem. (Reliqua videantur supra, n. 652[d], explicata.) Apud eundem,

> "In tempore illo, extrahent ossa regum Jehudae, et ossa principum ejus, et ossa sacerdotum, et ossa prophetarum, et ossa habitatorum Hierosolymae e sepulchris eorum, et expandent ea soli et lunae et omni exercitui caelorum quae adamaverunt, et quibus serviverunt, et post quae iverunt, et quae quaesiverunt, et quibus se incurvaverunt; non colligentur, neque sepelientur, in stercus super faciebus terrae erunt" (viii. 1, 2):

per "extrahere ossa e sepulchris" significatur dissociare a populis, hoc est, ejicere e communione cum illis qui in caelo foris inter damnatos, ut fit quando mali intrant societates bonorum, ac postea detecti ejiciuntur; nam de sepelitis dicitur, quod "collecti sint ad populos suos," ut supra de Abrahamo, Isaco et Jacobo; unde "extrahi e sepulchris" est ex illis ejici: omnes qui ab ecclesia, tum omnia ecclesiae, significantur per "reges, principes, sacerdotes, prophetas et habitatores Hierosolymae;" per "reges" ipsa vera ecclesiae in toto complexu, per "principes" principalia vera, per "sacerdotes" bona doctrinae, per "prophetas" vera doctrinae, per "habitatores Hierosolymae" omnia ecclesiae inde pendentia; hic per "ossa illorum," quae extrahenda, significantur falsa et mala, quae nihil commune habent cum veris et bonis: "expandere illa soli, lunae et omni exercitui caelorum," significat tradere illa amoribus diabolicis, et inde malis et falsis quae ab inferno; nam "sol" significat amorem in utroque sensu, "luna" fidem in utroque sensu derivatam ab amore illo, et "exercitus caelorum" falsa et mala omnis generis; hic itaque "expandere ossa

illis" est prorsus tradere illis, ut non sint nisi amores et cupiditates mali et falsi: "quae adamaverunt, quibus serviverunt, post quae iverunt, quae quaesiverunt, et quibus se incurvaverunt," significant affectionem et propensionem ad illa exteriorem et interiorem, et inde cultum: "non colligentur, neque sepelientur," significat quod nusquam redituri ad societates quae sunt caeli, sed quod mansuri apud illos qui in inferno: "in stercus super faciebus terrae erunt" significat tale mortuum et immundum quod ejicitur et conculcatur.

[*f*.] Ex his constare potest quid significatur per

> Quod a Joschia rege ossa extracta sint e sepulchris, et combusta super altari (2 *Reg*. xxiii. 16);
> Quod Isabelem comederent canes in agro, nec sepeliens (2 *Reg*. ix. 10);
> Quod Jojakimus, filius [1]Joschiae regis Jehudae, sepultura asini sepeliretur, trahendo et projiciendo procul ultra portas Hierosolymae (*Jerem*. xxii. 19).

Simile significatur per "sepeliri in Thopheth," et "in valle Hinnomi," apud *Jeremiam*,

> "Ecce dies venientes,...quibus non dicetur amplius Thopheth, aut vallis filii Hinnomi, sed vallis occisionis; et sepelient in Thopheto, ideo quod non locus; et erit cadaver populi hujus in cibum avi caelorum, et bestiae terrae, nec abigens terrendo" (vii. 32, 33);

et apud eundem,

> "Frangam populum hunc et urbem hanc, sicut frangitur vas figuli, quod non potest reparari amplius, et in Thopheth sepelient, quia non locus ad sepeliendum,....et dabo urbem hanc sicut Thopheth" (xix. 11, 12):

"Thopheth" et "vallis Hinnomi" significabant inferna, "Thopheth" infernum a tergo, quod vocatur "diabolus," et "vallis Hinnomi" infernum a facie, quod vocatur "satanas," quoniam in urbe Hierosolyma et extra illam omnes loci correspondebant locis in mundo spirituali: nam in hoc habitationes sunt secundum Divinum ordinem; in medio sunt qui in maxima luce seu sapientia, in terminis qui in minima, ad orientem et occidentem qui in amore, ad meridiem et septentrionem qui in intelligentia; talis ordinatio est universi caeli, talis etiam in unaquavis societate ibi, talis in unaquavis urbe ibi, et similis etiam in unaquavis domo; et hoc ideo, quia formae minores in caelis sunt omnes ad instar formae maximae; et quoniam "Hierosolyma" significabat caelum et ecclesiam quoad doc-

trinam, inde etiam loca ibi ad plagas, et ad distantias a Templo et a Sione, repraesentabant: ex eo, quia Thopheth et vallis Hinnomi essent loci immundissimi et nefarie idololatrici, repraesentabant et inde significabant inferna: ex his patet quid significat "sepeliri in Thopheth et in valle Hinnomi."

660. [*Vers.* 10.] ***"Et habitantes super terra gaudebunt super illis et laetabuntur."***—Quod significet *jucunda ex amore infernali apud illos qui contra bona et vera ecclesiae*, constat ex significatione "habitantium super terra," quod sint qui in ecclesia; hic qui in malis et inde falsis ibi, ita qui contra bona et vera ejus: et ex significatione "gaudere et laetari," quod hic sit jucundum amoris infernalis; omne enim gaudium et omnis laetitia est amoris, quisque enim gaudet et laetatur quando favetur ejus amori, et quando assequitur et obtinet quod amat; verbo, omne gaudium hominis procedit ex amore ejus, et omnis tristitia et dolor animi ex oppugnatione amoris. Quod dicatur "gaudere et laetari," est propter conjugium boni et veri; "gaudium" enim praedicatur de bono quia de amore, est enim proprie cordis et voluntatis, et "laetitia" praedicatur de vero quia de ejus amore, est enim proprie animi et ejus cogitationis; quare dicitur "gaudium cordis" et "laetitia animi:" sunt enim ubivis in Verbo binae expressiones, quarum una se refert ad bonum et altera ad verum, et hoc quia conjunctio boni et veri facit et caelum et ecclesiam; inde tam caelum quam ecclesia comparatur conjugio, ex eo, quod Dominus dicatur Sponsus et Maritus, et caelum ac ecclesia sponsa et uxor; quapropter omnis qui non in illo conjugio est, non est angelus caeli, nec est homo ecclesiae: causa etiam est, quia bonum apud neminem datur nisi formatum per vera, nec verum apud aliquem datur nisi quod vivit ex bono; omne enim verum est forma boni, et omne bonum est esse veri; et quia unum absque altero non datur, sequitur quod conjugium boni et veri necessario esse debeat apud hominem ecclesiae sicut apud angelum caeli: omnis etiam intelligentia et sapientia est ex illo conjugio; nam ex illo nascuntur jugiter vera et bona, ex quibus formatur intellectus et voluntas. Haec dicta sunt ut sciatur cur dicitur "gaudere et laetari," quod nempe quia "gaudere" dicitur de bono ac de ejus amore

seu affectione, et "laetari" de vero ac de ejus amore seu affectione; ut quoque pluries alibi in Verbo, ut in his locis:—

"Laetabuntur caeli, et gaudebit terra" (*Psalm.* xcvi. 11);
"Gaudeant et laetentur in Te omnes quaerentes Te" (Ps. xl. 17 [*B. A.* 16]; Ps. lxx. 5 [*B. A.* 4]);
"Justi laetabuntur et exultabunt coram Deo, et gaudebunt in laetitia" (Ps. lxviii. 4 [*B. A.* 3]);
"Ut gaudeamus omnibus diebus nostris, laetifica nos juxta dies, afflixisti nos" (Ps. xc. 14, 15);
"Laetamini in Hierosolyma, et exultate in ea, omnes amantes illam; gaudete cum ea gaudium, omnes lugentes super ea" (*Esai.* lxvi. 10);
"Gaude et laetare, filia Edomi" (*Thren.* iv. 21);
"Ecce gaudium et laetitia occidere bovem" (*Esai.* xxii. 13);
"Gaudium et laetitia assequentur, fugient tristitia et gemitus" (*Esai.* xxxv. 10; cap. li. 11);
"Gaudium et laetitia invenietur in" Zione, "confessio et vox cantus" (*Esai.* li. 3);
"Audire [1]facies me gaudium et laetitiam" (*Psalm.* li. 10 [*B. A.* 8]);
"Excisum est e domo Dei nostri laetitia et gaudium" (*Joel* i. 16);
"Jejunium decimi erit domui Jehudae in gaudium et in laetitiam" (*Sach.* viii. 19);
"Vox gaudii et vox laetitiae, et vox sponsi et vox sponsae" (*Jerem.* vii. 34; cap. xxv. 10; cap. xxxiii. 11).

Loco "gaudii" etiam dicitur "exultatio," quia "exultatio" similiter ac "gaudium" dicitur de bono, quia de amore, de corde et de voluntate; ut in sequentibus locis:—

"Exultabit Jacob, laetabitur Israel" (*Psalm.* xiv. 7; Ps. liii. 7 [*B. A.* 6]);
"Exulto et laetor in benignitate tua" (Ps. xxxi. [2]8 [*B. A.* 7]);
"Laetamini in Jehovah, et exultate justi" (Ps. xxxii. 11);
"Laetabitur mons Zionis, et exultabunt filiae Jehudae" (Ps. xlviii. 12 [*B. A.* 11]);
"Laetentur omnes confidentes in Te, et exultent in Te amantes nomen tuum" (Ps. v. 12 [*B. A.* 11]);
"Hic dies quem fecit Jehovah, exultemus et laetemur in eo" (Ps. cxviii. 24);
"Exultemus et laetemur in salute Ipsius" (*Esai.* xxv. 9);
"Laetamini et exultate in aeternum super iis quae creo" (*Esai.* [3]lxv. 18);
"Exulta et laetare, quod magnificaverit Jehovah faciendo" (*Joel* ii. 21);
"Filii Zionis, exultate et laetamini in Jehovah Deo vestro" (*Joel* ii. 23; *Hab.* [4]iii. 18);
"Laetare et exulta ex omni corde, filia Hierosolymae" (*Zeph.* iii. 14);
"Ablata est laetitia et exultatio de Carmele" (*Esai.* xvi. 10; *Jerem.* xlviii. 33);
Dixit angelus ad Zachariam, "Erit tibi laetitia et exultatio, et multi super nativitate ejus gaudebunt" (*Luc.* i. 14):

in omnibus his locis "exultatio" significat jucundum ex amore et affectione boni, ac "laetitia" amoenum ex amore et affectione veri.

661. *"Et munera mittent invicem."*—Quod significet *consociationem eorum*, constat ex significatione "mittere munera," quod sit consociari ex amore et ex amicitia per benevolentiam, nam munera ex ea affectione et ex eo animo consociant tam probos quam improbos; hic illos qui contra bona amoris et vera doctrinae sunt, quae significantur per "binos testes occisos et projectos in plateam urbis magnae, quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus." Sciendum est quod improbis et impiis nihil jucundius sit quam destruere bona amoris et vera doctrinae ubicunque sunt, et malefacere illis apud quos sunt: ardent enim odio contra illa; inde est quod ab inferno, ubi tales sunt, jugiter exspiret odium internecinum contra caelestem amorem et spiritualem fidem, proinde contra caelum, et imprimis contra Ipsum Dominum; et quoties permittitur malefacere, in sui cordis jucundo sunt: talis ferina natura est illis qui in inferno sunt; hoc itaque intelligitur per quod "gaudeant super illis et laetentur." Improbi etiam ineunt amicitias et consociantur ad damnum inferendum probis; jucundum odii, quod est amoris eorum, consociat, et tunc apparent sicut corde amici forent, cum tamen sunt hostes; hoc itaque est quod significatur per quod "munera mittant invicem." Quoniam munera captant animos et consociant, ideo antiquis temporibus solenne fuit munera dare sacerdoti et prophetae, tum principi et regi, cum illos adirent (1 *Sam.* ix. 7, 8); et quoque statutum fuit

> Quod non vacui (hoc est, absque munere) comparerent coram Jehovah, sed in festis quisque secundum benedictionem suam munus adferret (*Exod.* xxiii. 15; cap. xxxiv. 20: *Deutr.* xvi. 16, 17);

et ideo

> Sapientes ex orientalibus attulerunt Domino recens nato munera, aurum, thus et myrrham (*Matth.* ii. 11),

secundum praedictionem apud *Davidem* (Ps. lxxii. 10); et ideo quoque,

> Oblationes super altari, quae erant sacrificia, et quoque minchae et libamina, vocabantur munera (*Esai.* xviii. [1]7; cap. lvii. 6; cap. lxvi. 20: *Zeph.* iii. 10: *Matth.* v. 23, 24: et alibi);

et hoc quia munera externa significabant munera interna seu spiritualia, quae nempe procedunt ex corde, et quae inde sunt affectionis et fidei; et quia per haec fit con-

junctio, ideo per "munera" in spirituali sensu significatur conjunctio quando de Deo, et consociatio quando de hominibus.

662. ***"Quoniam duo illi prophetae cruciaverunt habitantes super terra."***—Quod significet *anxietatem cordis ex illis in ecclesia devastata*, constat ex significatione "duorum testium," qui hic vocantur "duo prophetae," quod sint bona et vera doctrinae; ex significatione "cruciare," quod sit anxietas cordis; et ex significatione "habitantium super terra," quod sint qui vivunt in ecclesia, hic in ecclesia devastata: inde per illa verba significatur anxietas cordis ex bonis amoris et veris doctrinae illis qui ab ecclesia devastata; agitur enim hic de fine ecclesiae, quando amores sui et mundi, ac illorum concupiscentiae, et concupiscentiarum mala et falsa regnant; tunc bona amoris et vera doctrinae cruciant homines, nam interius seu corde odio habent illa, utcunque ore confiteri illa possunt; et quod odio habetur, hoc dum intratur, interius cruciat: at talis homo ecclesiae, quamdiu in mundo vivit, nescit quod tanto odio habeat illa duo, et quod interius crucietur ab illis, ex causa quia nescit statum interioris suae cogitationis et affectionis, sed solum statum exterioris cogitationis et affectionis quae immediate cadit in loquelam; at cum in mundum spiritualem venit, exterior ejus cogitatio et affectio sopitur, ac interior aperitur, et tunc sentit repugnantiam ex odio contra bona amoris et vera doctrinae, in tantum ut non sustineat audire illa: quapropter cum talis homo intrat aliquam societatem angelicam, ubi spiritualis amor et fides regnat, tunc vehementer cruciatur, quod signum est interioris repugnantiae ex odio contra illa: ex his constare potest quid significatur per quod "duo illi prophetae cruciaverint habitantes super terra:" per "habitantes super terra" intelliguntur qui in bono sunt quoad vitam in ecclesia; hic qui in malo, nam hos bona amoris et vera doctrinae interius cruciant. Quod "habitare" significet vivere, proinde vitam, constare potest ex locis in Verbo, ubi "habitare" dicitur

(Ut *Esai.* ix. 1 [*B. A.* 2]; cap. xiii. 20; cap. xxxvii. 16: *Jerem.* ii. 6, 15; cap. li. 13: *Dan.* ii. 22; cap. iv. 9: *Ezech.* xxxi. 6: *Hosch.* ix. 2, 3: *Psalm.* xxiii. 6; Ps. xxvii. 4; Ps. lxxx. 2 [*B. A.* 1]; Ps. ci. 7: *Zeph.* iii. 6: et alibi).

VERSUS 11, 12.

663. *"Et post tres dies et dimidium spiritus vitae ex Deo intravit in illos, et steterunt super pedibus suis; et timor magnus cecidit super videntes illos. Et audiverunt vocem magnam e caelo dicentem illis, Ascendite huc; et ascenderunt in caelum in nube, et viderunt illos inimici illorum."*

11. ***"Et post tres dies et dimidium,"*** significat *quando completum, ita finis ecclesiae veteris et incohamentum ecclesiae novae* [n. 664]; ***"spiritus vitae ex Deo intravit in illos,"*** significat *illustrationem et receptionem influxus Divini Veri a Domino apud quosdam ad novam ecclesiam incohandam* [n. 665]; ***"et steterunt super pedibus suis,"*** significat *vitam novam qualis est homini ecclesiae regenerato* [n. 666]; ***"et timor magnus cecidit super videntes illos,"*** significat *statum anxietatis apud illos qui non receperunt et agnoverunt* [n. 667].

12. ***"Et audiverunt vocem magnam e caelo dicentem illis,"*** significat *Divinam Domini providentiam* [n. 668]; ***"Ascendite huc,"*** significat *separationem et inde tutelam* [n. 669]; ***"et ascenderunt in caelum in nube,"*** significat *separationem quoad interna, et eorum tutationem* [n. 670]; ***"et viderunt illos inimici illorum,"*** significat *cognitionem et agnitionem apud illos qui interius contra bona et vera Verbi et ecclesiae sunt* [n. 671].

664. [*Vers.* 11.] ***"Et post tres dies et dimidium."***—Quod significet *quando completum, ita finis ecclesiae veteris et incohamentum ecclesiae novae*, constat ex significatione "dierum trium et dimidii," quod sint plenum seu completum ad finem ecclesiae veteris, quando incohamentum ecclesiae novae (de qua supra, n. 658). Quod dicatur "post dies tres et dimidium," est quia "dies" in Verbo significant status, hic statum ecclesiae ultimum; omnia enim tempora, sicut "horae," "dies," "septimanae," "menses," "anni," "saecula," in Verbo significant status, sicut hic statum ecclesiae ultimum, quando non amplius aliquod bonum amoris et verum fidei superest. Quoniam per "dies" significantur status, et in primo capite *Geneseos* agitur de instauratione Ecclesiae Antiquissimae, et instauratio fit successive ab uno statu ad alterum, ideo ibi dicitur

> Quod "facta sit vespera et mane dies primus," "secundus," "tertius," "quartus," "quintus," "sextus," usque ad "septimum," quando completum (*Gen.* i. 5, 8, 13, 19, 23, 31);

et per "dies" ibi non intelliguntur dies, sed successivi status regenerationis hominum tunc, et inde instaurationis ecclesiae apud illos. Ita quoque alibi in Verbo.

665. ***"Spiritus vitae a Deo intravit in illos."***—Quod significet *illustrationem et receptionem Divini Veri a Domino apud quosdam, ad novam ecclesiam incohandam*, constat a

significatione "spiritus vitae a Deo," quod sit Divinum Verum procedens a Domino (de qua sequitur); et ex significatione "intrare in illos," nempe in "testes" occisos et projectos, quod sit illustratio et receptio influxus, nempe Divini Veri, quod per "spiritum vitae" significatur; quod sit apud quosdam, ad novam ecclesiam instaurandam, patet a versu sequente, ubi dicitur quod "ascenderint in caelum in nube," ita apud quosdam; nam per "binos testes" significantur bona amoris et vera doctrinae, ac intelliguntur ii apud quos illa sunt, omnes enim illi sunt testes. Quando finis ecclesiae instat, tunc providetur a Domino ut nova ecclesia succedat; nam mundus absque ecclesia, in qua Verbum est et in qua Dominus notus, non subsistere potest: absque Verbo enim, et inde cognitione et agnitione Domini, caelum non potest conjungi humano generi, proinde nec Divinum a Domino procedens cum nova vita influere; et absque conjunctione cum caelo, et per id cum Domino, homo non foret homo, sed bestia; inde est quod semper a Domino nova ecclesia provideatur, quando vetus finitur: quod incohatio ecclesiae novae solum intelligatur, et nondum ejus instauratio, dicetur causa in sequentis versus explicatione. Quod per "spiritum vitae a Deo," seu per "spiritum Dei," ac per "spiritum sanctum," intelligatur Divinum procedens a Domino, quod vocatur Divinum Verum, ex quo omnis sapientia et intelligentia, supra (n. 24, 183, 318) dictum et ostensum est: hoc Divinum procedens est quod illustrat hominem, et quod influit apud illum, cum reformatur et regeneratur, ita quando incohat et instauratur ecclesia apud illum, ut manifeste constare potest a locis e Verbo supra (n. 183) allatis; et quoque ab hoc apud *Ezechielem*,

> Jehovah "dixit ad me, Propheta super spiritu, et propheta, fili hominis, et dic ad ventum, Sic dixit Dominus Jehovih, A quatuor ventis veni, spiritus, et inspira in occisos hos, ut vivant: et cum prophetavi,...intravit in eos spiritus, et revixerunt, et steterunt super pedibus suis, exercitus magnus valde admodum" (xxxvii. 9, 10):

agitur ibi de "ossibus aridis" visis prophetae super faciebus vallis, per quae significatur domus Israelis, ut manifeste dicitur versu 11 ibi; et per "domum Israelis" significatur ecclesia; quae domus seu ecclesia comparatur ibi "ossibus aridis," quia illi non bonum amoris et verum doctrinae;

instauratio novae ecclesiae per inspirationem novae vitae, seu per regenerationem, describitur per "nervos," "carnem" et "cutem," quibus induta et circumducta sunt ossa, et imprimis per "spiritum" qui intravit in illos, ex quo vixerunt; per "spiritum" in illis etiam ibi significatur receptio influxus Divini Veri, et inde vita spiritualis: quod propheta diceret ad ventum, "A quatuor ventis veni, spiritus," est quia per "quatuor ventos" significantur quatuor plagae in mundo spirituali, et per "quatuor plagas" ibi significantur bona amoris et vera doctrinae in omni complexu (de qua earum significatione videatur supra, n. 417, 418, 419[d,e], 422; et in opere *De Caelo et Inferno*, n. 141–[1]150).

666. ***"Et steterunt super pedibus suis."***—Quod significet *vitam novam, qualis est homini ecclesiae regenerato*, constat ex significatione "stare," quod sit esse et vivere, et quoque sustinere (de qua supra, n. 414); et ex significatione "pedum," quod sint naturale, quod est ultimum ordinis Divini, et basis cui priora seu superiora innituntur, et super qua subsistunt (de qua etiam supra, n. 69, 600[a], 606); inde per "steterunt super pedibus" significatur vita in pleno quia in ultimo; quod significetur vita nova, est quia "testes," de quibus agitur, "occisi sunt et revixerunt:" quod talis vita hic per "stare super pedibus" intelligatur, qualis est homini ecclesiae regenerato, est quia haec dicta sunt de "duobus testibus," per quos intelliguntur omnes qui in bonis amoris per vera doctrinae sunt, qui sunt qui regenerati; tum quia cum naturale, quod per "pedes" significatur, regeneratum est, totus homo vitam, qualis est regenerato, habet, secundum Domini verba apud *Johannem*,

> "Dixit Jesus ad" Petrum, "Qui lotus est, non opus habet, nisi ut quoad pedes lavetur, et mundus est totus" (xiii. 10):

per "lavari" significatur purificari a malis et falsis, quod est regenerari; quare "Qui lotus est" significat qui purificatus, hoc est, regeneratus est quoad spirituale, quod est bonum amoris et verum doctrinae, quae primum memoria et intellectu recipienda, hoc est, scienda et agnoscenda; "non opus habet nisi quoad pedes lavetur" significat quod naturalis seu externus homo tunc purificandus seu regenerandus sit, quod fit per vitam secundum prae-

cepta amoris et fidei, hoc est, secundum bona et vera doctrinae ex Verbo; quod dum fit, ipse homo purificatur seu regeneratur; nam vivere secundum bona et vera doctrinae ex Verbo, est velle illa et inde facere illa, quod idem est cum affici illis et amare illa; quod enim fit voluntatis hoc fit affectionis et amoris, proinde fit ipsius hominis; nam voluntas est ipse homo, quia homo est suus amor et sua affectio: quare dicitur quod tunc "totus homo mundus sit." Ex his patet unde est quod "stare super pedibus" sit vita qualis est regenerato: inde est quod ubi agitur de "ossibus aridis" visis prophetae super faciebus vallis, postquam induta fuerunt nervis, carne et cute, dicatur,

> "Cum prophetavi"...de spiritu, "intravit in eos spiritus, et revixerunt, et steterunt super pedibus suis" (*Ezech.* xxxvii. 10):

per "stare super pedibus" etiam hic significatur vita nova qualis est regenerato; nam per "ossa arida," quibus assimilatur domus Israelis, significatur status ecclesiae apud illos, quod esset absque bonis amoris et veris doctrinae; et per "induitiones nervorum, carnis et cutis" significatur regeneratio; et per "spiritum," qui intravit, nova vita per influxum et receptionem Divini Veri; quare tunc dicitur quod "revixerint et steterint super pedibus suis." Simile significatur per "stare super pedibus" alibi apud eundem Prophetam,

> Vox loquens ad me dixit, "Fili hominis, sta super pedes tuos, ut loquar ad te; tunc venit in me spiritus, cum locutus est ad me, et statuit me super pedes meos, et audivi loquentem ad me" (*Ezech.* ii. 1, 2);

et alibi,

> "Cecidi super facies meas; sed venit in me spiritus, et erexit me super pedes meos" (*Ezech.* iii. 23, 24):

haec facta sunt quia ipsa vita, dum in pleno est, significatur per "stare super pedibus," et tunc illa in pleno est quando naturale ex spirituali vivit: ultimum enim vitae hominis est in naturali ejus; hoc ultimum est sicut basis interioribus et superioribus ejus, nam haec desinunt in ultimum, et ibi subsistunt; quapropter nisi vita in ultimo sit, vita non est plena, ita nec perfecta: et praeterea, interiora seu superiora omnia coexistunt in ultimo, ut in suo simultaneo; inde quale est ultimum talia sunt inte-

riora seu superiora, haec enim se accommodant ultimo, quia recipit illa. Simile per "stare super pedibus" significatur apud *Davidem*,

> "Stare fecisti in latitudine pedes meos" (Ps. xxxi. 9 [*B. A.* 8]):

per "latitudinem" significatur verum doctrinae ex Verbo; quare "stare facere in latitudine pedes meos" significat facere ut vivat secundum Divina vera. Et alibi apud eundem,

> "Fecit ascendere me e fovea devastationis, e caeno luti, et constituit super petra pedes meos" (Ps. xl. 3 [*B. A.* 2]):

per "foveam devastationis" significatur falsum doctrinae, et per "caenum luti" malum vitae; et per "constituere super petra pedes" simile significatur quod supra per "stare facere in latitudine pedes," quoniam per "petram" significatur verum doctrinae ex Verbo, et in supremo sensu Dominus quoad Divinum Verum. Inde pâtet quid in sensu spirituali significatur per

> "Non sinet" Jehovah "vacillare pedem [1]meum" (Ps. [2]cxxi. 3):

nempe quod non sinet naturale aberrare a veris; nam quantum naturale aberrat, tantum etiam interiora, quae sunt intellectus et voluntatis, aberrant.

667. ***"Et timor magnus cecidit super videntes illos."***—Quod significet *statum anxietatis apud illos qui non receperunt et agnoverunt*, constat ex significatione "timoris magni," quod sit status anxietatis; per "timorem" enim in Verbo significantur variae mutationes status interiorum hominis, hic itaque status anxietatis; et ex significatione "super videntes illos," quod sit apud illos qui non sustinuerunt praesentiam testium, et ideo occiderunt et projecerunt illos; quibus ideo quod viderent illos vivos dolor animi et anxietas cordis; proinde apud illos qui bonum amoris et verum doctrinae non receperunt et agnoverunt. Describitur hic status illorum qui contra bona amoris et vera doctrinae sunt, quando finis ecclesiae veteris est et principium novae; illi tunc in anxietatem veniunt ex praesentia illorum qui amorem et fidem in Dominum recipiunt, ex quibus nova ecclesia; sed hoc fit in mundo spirituali, non autem in mundo naturali; in mundo enim spirituali est

communicatio affectionum; et affectio spiritualis, quae est amoris et fidei in Dominum, quae nunc incohat apud quosdam, incutit talem anxietatem apud malos. Hoc itaque intelligitur per quod "timor magnus ceciderit super videntes illos."

668. [*Vers.* 12.] ***"Et audiverunt vocem magnam ex caelo dicentem illis."***—Quod significet *Divinam Domini providentiam*, constat ex significatione "vocis magnae ex caelo," quod sit Divina Domini providentia; per "vocem e caelo" significatur omne quod procedit a Domino, quod in genere vocatur Divinum Verum, et apud nos in mundo Verbum; ita in specie omne praeceptum et mandatum quod in Verbo; hoc dicitur "vox e caelo," quia ex Domino per caelum descenderat, et continue descendit apud illos qui Verbum ex affectione veri spirituali legunt: quod sit Divina Domini providentia quae hic per "vocem e caelo" significatur, est quia agitur de statu caeli et ecclesiae in fine ejus, quando providetur a Domino ne festina mutatio damnum inferat illis qui separandi sunt, quorum plures in caelum venturi sunt, et plures in infernum conjiciendi; inde est quod sequatur quod bini testes ex mandato "ascenderint in caelum in nube, et viderint illos inimici illorum," et hoc ob causam ut separarentur, ne successiva rerum progressio secundum ordinem per praesentiam eorum apud malos, et inde communicationem (de qua supra), perturbaretur. Sed hoc arcanum non paucis describi potest; in nunc vero sequentibus, quantum fieri potest, elucidabitur.

669. ***"Ascendite huc."***—Quod significet *separationem et inde tutelam*, constat ex significatione "ascendere in caelum," cum de "testibus," per quos significantur bona amoris et vera doctrinae, quod sit separari ab illis apud quos bona amoris et vera doctrinae non sunt, ita separari a malis; et quia causa separationis est, ne illa, nempe bonum amoris et verum doctrinae, laedantur a malis, inde per "Ascendite huc" etiam significatur tutela; nam si illa communicarentur malis, reciperentur ab illis exterius, sed laederent illa interius negando et subsannando: inde eveniret quod mali conjungerentur cum simplicibus probis, qui interiora illorum, quod sint mala, percipere nequeunt; et simplices probi ultimum caelum constituunt; ideo nisi separarentur, potuisset damnum inferri illis qui in eo caelo

sunt per conjunctionem cum externis illorum (sed de hac re videantur plura in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 70). Hoc involvit quod mandatum sit duobus testibus ut "ascenderent in caelum," et quoque quod per id significetur tutela.

670. ***"Et ascenderunt in caelum in nube."***—Quod significet *separationem quoad interna, et eorum tutationem*, constat ex significatione "ascendere in caelum," cum de binis testibus, quod sit separatio a malis, qui nempe in falsis doctrinae ex malis vitae sunt, et quoque tutela (de qua in mox praecedente articulo, n. 669); et ex significatione "nubis," quod sit ultimum Divini Veri seu externum Verbi, quod vocatur sensus litterae ejus (de qua supra, n. 36, 594); hoc externum est in quo etiam plures mali sunt, nam omnes qui malam vitam agunt, tametsi in externis sunt, usque cogitant in se contra vera et bona Verbi, doctrinae et ecclesiae; causa est quia in amore mali sunt ex vita, et amor trahit interiora mentis, ita spiritus ejus cogitationes, in suas partes; quapropter illi, dum sibi solis relicti cogitant, prorsus negant illa quae ore coram mundo confitentur; hoc externum, quod etiam datur apud impios et malos, est quod hic intelligitur per "nubem:" quare quod "ascenderint in caelum in nube" significat separationem quoad interna, non autem quoad externa: quod intelligatur separatio quoad interna et non quoad externa, est quia interna binorum testium erant spiritualia et caelestia, at interna malorum infernalia et diabolica; ac interna spiritualia et caelestia actualiter sunt in caelo, quare dicitur quod "illuc ascenderint," ob causam ut a malis separarentur quoad interna, ne illa laederentur. Ut sciatur quid "ascensus testium," occisorum et rursus viventium, "in caelum," in specie involvit, paucis dicetur. In fine ecclesiae, quando non fides quia non charitas, tunc interiora Verbi manifestantur, quae inservitura sunt novae ecclesiae pro doctrina et vita: hoc factum est ab Ipso Domino quando finis Ecclesiae Judaicae instabat; Ipse tunc Dominus in mundum venit, et interiora Verbi aperuit, imprimis de Se Ipso, de amore in Ipsum, de amore erga proximum, et de fide in Ipsum, quae prius recondita latuerunt in interioribus Verbi, quia in repraesentativis ejus, et inde in singulis ecclesiae et cultus; illa itaque vera, quae Dominus retexit, erant vera interiora et in se spiritualia, quae postea inserviverunt ec-

clesiae novae pro doctrina et vita, ut modo dictum est: sed usque illa non statim recepta fuerunt, nisi post insignem temporis tractum, ut ex historia ecclesiastica notum est; causa erat, quia non recipi potuerunt antequam omnia in mundo spirituali in ordinem redacta sunt; nam mundus spiritualis conjunctus est mundo naturali apud homines; quare nisi ille mundus primum in ordinem redactus fuisset, bona amoris et vera doctrinae ab hominibus in mundo naturali non intelligi nec percipi potuerunt; haec causa fuit quod tantum temporis intercesserit antequam Christiana Ecclesia in orbe Europaeo universaliter instaurata fuit; omnes enim effectus, qui existunt in mundo naturali, trahunt suas origines ex causis in mundo spirituali, imprimis qui res ecclesiae concernunt. Haec dicta sunt ut sciatur quid in specie significatur per quod mandatum sit binis testibus ut "ascenderent in caelum," nempe ut bona amoris et vera doctrinae, ultimo tempore ecclesiae manifestata, non laederentur a malis. Simile factum est quando Antiquissima Ecclesia, quae fuit ante diluvium, ad finem suum pervenit; tunc repraesentativa caelestium, quae fuerunt apud antiquissimos, in unum collecta sunt ab illis qui Chanochus vocati sunt, ac reservata ad usum novae ecclesiae post diluvium; quae ecclesia repraesentativa dicta fuit, quia ejus leges et statuta, et in genere cultus, constabant ex repraesentativis, seu ex talibus in naturali mundo quae correspondebant spiritualibus in mundo spirituali; cum his similiter factum est, nempe quod separata sint a malis per assumptionem in caelum, et sic tutata, et hoc usque dum vetus ecclesia ad suum ultimum pervenit, et quando nova ecclesia instauranda erat: hoc describitur per haec verba in *Genesi*,

> "Et ambulavit Chanoch cum Deo, et non amplius, quia sumpsit illum Deus" (v. 24):

quod talia per "Chanochum," per ejus "ambulationem coram Deo," et "assumptionem a Deo," in sensu spirituali intelligantur, videatur in *Arcanis Caelestibus* (n. 518-523), ubi illa explicata sunt. Similiter hodie factum est: Ecclesia haec, quae Christiana vocatur, hodie ad finem suum pervenit; quapropter nunc arcana caeli et ecclesiae a Domino revelata sunt, inservitura novae ecclesiae, quae

per "Novam Hierosolymam" in *Apocalypsi* intelligitur, pro doctrina vitae et fidei; haec etiam doctrina assumpta est in caelum, ne ante instaurationem novae ecclesiae laedatur a malis: hoc itaque est quod significatur per haec de binis testibus, quod "ascenderint in caelum;" et quoque per verba sequentis capitis, ubi agitur de "muliere paritura puerum," coram qua stetit draco,

> Quod puer raptus sit ad Deum, et ad thronum Ipsius (*Apoc.* xii. 5):

quid in specie per "mulierem" et per "puerum" ibi intelligitur, in explicatione super caput sequens dicetur. Ex his nunc constare potest, quale arcanum involvunt haec de binis testibus, quod ex mandato "ascenderint in caelum in nube."

671. ***"Et viderunt illos inimici illorum."***—Quod significet *cognitionem et agnitionem apud illos qui interius contra bona et vera Verbi et ecclesiae sunt*, constat ex significatione "videre," quod sit intelligere, proinde cognoscere et agnoscere (de qua supra, n. 11, 37, 260[*a*], 354, 529); et ex significatione "inimicorum," quod sint qui contra bona amoris et vera doctrinae sunt, proinde qui in malis et in falsis; hi per "inimicos" et "hostes" in Verbo in spirituali ejus sensu intelliguntur: inde patet quod per "Viderunt illos inimici illorum" significetur cognitio et agnitio apud illos qui contra "binos testes," qui sunt bona amoris et vera doctrinae, sunt. Arcanum quod haec involvunt est hoc: per "inimicos" hic intelliguntur illi qui interius contra bona amoris et vera doctrinae sunt, sed usque non exterius; ore enim agunt amicos, sed corde inimicos; quare coram mundo profitentur illa, sed in spiritu, in quo sunt quando soli apud se meditantur, negant illa: hi itaque sunt "inimici" qui "vident;" nam cum in cogitatione naturali corporea sunt, in qua sunt quoties in societate cum aliis, tunc vident, hoc est, cognoscunt et agnoscunt illa; sed cum in cogitatione spirituali naturali sunt, in qua sunt quoties soli sunt, et cogitant de rebus fidei, tunc non agnoscunt. Inde est quod dicatur quod "bini illi testes ascenderint in caelum in nube;" per "nubem" enim significatur externum Verbi, ecclesiae et cultus, quod vident et ex quo vident; quod "nubes" ibi significet illud externum, videatur in mox superiori articulo. In Verbo permultis in locis nominantur

"hostes" et "inimici," et ibi per illos intelliguntur mala et falsa, per "hostes" mala, et per "inimicos" falsa; Verbum enim in sinu suo est spirituale; quare non alia per "hostes" et "inimicos" in eo sensu possunt intelligi quam hostes et inimici spirituales. Quod ita sit, constare potest ex his locis:—Apud *Davidem*,

> "Jehovah, quantum multiplicati sunt hostes mei; multi insurgentes contra me,..dicentes de anima mea, Non salus illi in Deo" (Ps. iii. [2,] 3 [*B. A.* 1, 2]);

apud eundem,

> "Mirabilem fac misericordiam tuam, Salvator confidentium, ab insurgentibus contra me, per dextram tuam custodi me....ab impiis qui [vastant me, hostibus meis qui] contra animam meam, circumdant me" (Ps. xvii. 7, 8[, 9]);

apud eundem,

> "Ne tradas me in desiderium hostium meorum, quia surrexerunt contra me testes mendacii, qui efflant violentiam, ne crederem videre bonum..in terra vitae" (Ps. xxvii. 12, 13):

apud eundem,

> "Libera me ab hostibus meis, Deus mi, ab insurgentibus contra me, exalta me, libera me ab operatoribus iniquitatis,....ecce insidiantur animae meae" (Ps. lix. 2, 3[, 4] [*B. A.* 1–3]);

apud *Esaiam*,

> "Impius...in terra rectitudinum perverse agit; sed Jehovah, exaltata est manus tua,....ignis inimicos tuos comedet" (xxvi. 10, 11);

praeter ubique alibi in Verbo Prophetico, ubi nominantur "hostes" et "inimici," et quoque in Verbo Historico, ubi agitur de "hostibus," "bellis" et "pugnis:" nam sicut "bellum" significat bellum spirituale, quod est inter vera et falsa, et inde "arma belli," sicut "hastae," "arcus," "sagittae" et "gladii," significant talia quae sunt belli spiritualis, ita quoque "hostes" et "inimici." (Quod "bella" in Verbo talia significent, tum "arma belli," sicut "arcus," "sagittae" et "gladii," in praecedentibus passim ostensum est.)

VERSUS 13.

672. *"Et in illa hora factus est terrae motus magnus, et decima pars urbis cecidit, et occisa sunt in terrae motu nomina hominum millia septem; et reliqui territi facti sunt, et dederunt gloriam Deo caeli."*

13. *"Et in illa hora,"* significat *dum ille status* [n. 673]; *"factus est terrae motus magnus,"* significat *mutationem status interiorum insignem apud illos qui ab ecclesia* [n. 674]; *"et decima pars urbis cecidit,"* significat *quod nulla vera doctrinae amplius existerent apud illos qui*

remanserunt [n. 675]; ***"et occisa sunt in terrae motu nomina hominum millia septem,"*** significat *quod in status mutatione illa apud illos etiam perirent omnia vera boni, et sic omnia caeli et ecclesiae* [n. 676]; ***"et reliqui territi facti sunt,"*** significat *commotionem animi et conversionem illorum qui aliquantum spirituales fuerunt* [n. 677]; ***"et dederunt gloriam Deo caeli,"*** significat *quod illi agnoverint et coluerint Dominum* [n. 678].

673. [*Vers.* 13.] ***"Et in illa hora."***—Quod significet *dum ille status*, constat ex significatione "horae," quod sit status; hic itaque ille status quando "bini testes ascenderunt in caelum, ac viderunt illos inimici illorum." Quod "hora" significet statum, est quia in Verbo "tempora," et quae temporis sunt, sicut "horae," "dies," "septimanae," "menses," "anni," "saecula," et praeterea "mane," "meridies," "vespera," "nox," tum "ver," "aestas," "autumnus" et "hiems," [1]significant status vitae. (Quod talia significentur per "tempora," illustratum et ostensum est in opere *De Caelo et Inferno*, n. 162–169, ubi De Tempore in Caelo actum est; ut et supra, n. 571, 610, 664; et quod "hora" significet durationem quamcunque status, minorem et majorem, ita tempus et statum, supra, n. 194; et quod numerus adjectus determinet statum quoad ejus quale, n. 488.)

674. ***"Factus est terrae motus magnus."***—Quod significet *mutationem status interiorum insignem apud illos qui ab ecclesia*, constat ex significatione "terrae motus magni," quod sit mutatio status ecclesiae insignis; per "terram" enim significatur ecclesia, per "motum" mutatio status, et per "magnum" insigne. (Quod "terrae motus" in Verbo significet mutationem status ecclesiae, videatur supra, n. 400, 499.) Quod mutatio status quoad vera et bona ecclesiae exstiterit ex causis quae continentur in versu praecedente, patet; ita ex causa quod "bini testes occisi et redivivi ex mandato ascenderint in caelum in nube, et viderint illos inimici illorum;" inde constare potest quod causa fuerit separatio bonorum a malis, ut in articulis superioribus, ubi "ascensus binorum testium" explicatus est, ostensum est. Sed haec ad intellectum non sisti possunt, nisi prius dicatur quomodo se res in mundo spirituali habet; nam quae in hoc versu dicuntur, nempe, quod "terrae motus magnus factus sit," quod "decima pars urbis deciderit," et quod "nomina hominum millia septem in terrae motu occisa sint," tum quod "reliqui territi facti sint, et dederint gloriam Deo caeli," fiunt et quoque facta sunt cum ultimum judicium instabat, sed in mundo spirituali, non autem in mundo naturali: cum enim ibi separandi sunt boni a malis, ac boni tutandi ne a

malis laedantur, tunc e societatibus ibi auferuntur boni et relinquuntur mali, secundum Domini verba apud *Matthaeum*,

> "Duo erunt in agro, unus assumetur, alter derelinquetur: duae molentes..., una assumetur, altera derelinquetur" (xxiv. 40, 41);

(quae videantur explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 4334, 4335;) et cum boni ablati sunt, tunc in societatibus in quibus boni et mali simul fuerunt, fit insignis mutatio quoad illa quae ecclesiae sunt. Sed causa illius mutationis ulterius detegetur. In mundo spirituali est communicatio omnium affectionum, et quandoque cogitationum; et intra quamcunque societatem est communicatio communis, se extendens e medio ejus quaquaversum usque ad fines, paene sicut lux e medio ad peripherias: variationes et mutationes affectionum oriundarum ex communicatione et ejus extensione, existunt ex influxu affectionum ex aliis societatibus, quae vel supra sunt, vel ad latera, tum ex novis advenis qui intrant societatem, et quoque ex eo quod pauci aut multi eximantur e societate. Societates super quas ultimum judicium exstitit, constiterunt tam ex bonis quam ex malis, sed ex talibus malis qui interius contra bona amoris et vera doctrinae fuerunt, non autem exterius; exterius enim potuerunt rectum et justum agere, ac pium et verum loqui, non propter ipsum rectum, justum, pium et verum, sed ex habitu in mundo, propter famam, gloriam, honorem, lucrum, varia jucunda amorum naturalium, tum propter leges et earum poenas; inde hi, tametsi interius mali, usque potuerunt simul esse cum illis qui non modo exterius sed etiam interius boni fuerunt. Quando itaque boni separararentur ab illis qui in externa forma solum boni apparuerunt, tunc bonum externum evanuit, et malum internum apparuit; nam in externo illo bono tenebantur per communicationem cum illis intrà eandem societatem qui non modo exterius sed etiam interius boni erant, ut supra dictum est; quare cum bonum externum malis ablatum est, aperta sunt interiora eorum, quae mere malis et [1]foedis scatuerunt; inde patuit quales in se essent. Haec itaque sunt quae in specie intelliguntur per quod "bini testes ex mandato ascenderint in caelum in nube, et quod viderint illos inimici eorum;" et nunc quod "in illa hora factus sit

terrae motus magnus," hoc est, quod cum ille status esset, facta sit insignis mutatio quoad illa quae ecclesiae sunt.

675[*a*]. ***"Et decima pars urbis cecidit."***—Quod significet *quod nulla vera doctrinae amplius existerent apud illos qui remanserunt*, constat ex significatione "decem," quod sint omnes et omnia, tum multi et multa, et quod "decima pars" sit omne et multum (de qua in sequentibus); ex significatione "urbis," quod sit doctrina, et quoque verum doctrinae, nam doctrina, ut sit doctrina ecclesiae, consistit ex veris e Verbo; (quod "urbs" significet doctrinam, videatur supra, n. 223;) et ex significatione "cadere," quod sit disparari, proinde non existere; nam disparari, et non existere, praedicatur de veris doctrinae, cum "cadere" de "urbe:" quaelibet enim res vocem analogam et suam, secundum correspondentiam subjecti in sensu naturali et subjecti in sensu spirituali, sortitur; et subjectum in sensu naturali est urbs, ac subjectum in sensu spirituali est verum doctrinae. Quod nulla vera existerent apud illos qui remanserunt, consequitur ex illis quae in praecedente articulo dicta sunt; nempe, quum e societate, in qua simul fuerunt boni et mali, adempti et in caelum ablati sunt boni, quod tunc apud malos nulla amplius vera doctrinae remanserint, ex causa quia ablata est communicatio cum bonis, ex qua illi quoad externum potuerunt sicut in veris esse, et inde de veris ex doctrina loqui: nam in mundo spirituali est communicatio affectionum et inde cogitationum; et ex communicatione illa, tenetur unus ab altero, ita omnes in eadem societate mutuo in simili affectione, proinde in simili bono, ita quoque mali a bonis; sed tales mali, qui in externa forma potuerunt sistere apparentiam sanctitatis, pietatis, intelligentiae, zeli pro ecclesia et ejus doctrina, tum in vita apparentiam sicut forent justi et sinceri ex corde, tametsi interius in se nihil tale possiderent; hi mali sunt, apud quos nulla amplius vera doctrinae existerent postquam boni ablati sunt, qui intelliguntur per "duos testes," qui ex mandato in caelum ascenderunt. Sciendum est quod in mundo spirituali plures societates a talibus formatae fuerint, et quod illae simul sumptae intelligantur per "prius caelum" quod transivit (*Apoc.* cap. xxi. 1). (De quibus societatibus, seu de quo caelo, plura in opusculo *De Ultimo Judicio* memorata sunt.) In illis societatibus fuerunt tales

mali quales descripti sunt, et simul cum illis boni; et quamdiu in una societate fuerunt conjuncti, tunc mali quoad externa apparuerunt sicut boni; at cum separati sunt, tunc bonum externum, quod modo fuit bonum simulatum et hypocriticum, apud illos disparatum est, et patuerunt illorum interiora, quae erant infernalia, scatentia meris malis et inde falsis. Talis separatio, et talis inde status, est itaque ille status qui hic describitur; nam hic nunc agitur de ultimo tempore ecclesiae, quando universale exstitit in mundo spirituali paulo ante ultimum judicium: judicium instat. Quod "decem" significent omnes et omnia, tum multos et multa, constare potest a locis in Verbo, ubi ille numerus occurrit:—Ut apud *Mosen*,

> Jehovah "[1]praecepit vobis foedus suum, quod pepigit vobis ad faciendum, decem verba, quae scripsit super duabus tabulis lapidum" (*Deutr.* iv. 13);

et alibi,

> "Scripsit Jehovah super tabulis juxta scripturam priorem decem verba, quae locutus erat..ad vos in monte e medio ignis" (*Deutr.* x. 4):

quod "decem verba" seu "decem praecepta" fuerint, ex quibus decalogus, erat quia per "decem" significantur omnia, et inde per "decem verba" intelligitur Lex in toto complexu. Quoniam "decem" significant omnes, ideo

> Dominus comparavit regnum caelorum decem virginibus habentibus lampadas ad exeundum in occursum sponsi, quarum quinque essent prudentes, et quinque stultae (*Matth.* xxv. 1, 2, seq.):

per "decem virgines," quibus assimilatur regnum caelorum, significantur omnes qui ab ecclesia, "decem" enim significant omnes, ac "virgines" ecclesiam; per "quinque" autem significantur aliqui seu aliqua pars, ex qua aliqui erant prudentes et aliqui stulti; simile significatur per numerum "quinque" in Verbo: per "lampadas" significantur cognitiones veri et boni, hic ex Verbo, tum vera doctrinae et fidei; per "oleum" significatur bonum amoris et charitatis; per "sponsum" intelligitur Dominus, ac per "nuptias" intelligitur caelum et ecclesia, quae "nuptiae" dicuntur ex conjugio boni et veri: et quia ubi id conjugium non est, ibi nec est caelum et ecclesia, ideo "stulti" appellantur, qui sciunt vera fidei et non habent

bonum amoris, ac "prudentes" qui habent; nam, ut dictum est, "lampades" ibi sunt vera fidei, et "oleum" est bonum amoris. Quod "virgines" [1]significent ecclesiam, est quia "virgo" et "filia" in Verbo significat affectionem boni et veri, et ecclesia ex illa affectione est ecclesia; inde est quod plurimis in locis dicatur "virgo" et "filia [2]Zionis," "virgo" aut "filia Hierosolymae," "virgo" aut "filia Israelis" et "Jehudae;" et per illas ubivis intelligitur ecclesia. Quia per "decem" significantur omnes, ut et multi, ideo

> Dominus de homine nobili profecto in regionem longinquam dixit, quod vocaverit decem servos suos, et dederit illis decem minas ut negotiarentur; et postquam negotiati sunt, unus dixit quod mina ejus lucrata sit decem minas, cui dixit, Potestatem habebis super decem urbes; et secundus dixit, Mina tua fecit quinque minas, cui dixit, Tu esto super quinque urbes; et de tertio, qui posuit minam in sudario, et non negotiatus est, dixit, Tollite ab illo minam, et date ei qui decem minas habet (*Luc.* xix. 12–14, 16–20, 24):

quod numeri "decem" et "quinque" etiam hic adhibeantur, est causa quia "decem" significant omnes et omnia, ac "quinque" aliquos et aliquid: per "decem servos" quos homo nobilis profectus in regionem longinquam ad se vocavit, intelliguntur omnes qui in mundo, in specie qui ab ecclesia; nam per "hominem nobilem" intelligitur Dominus, et per "profectionem in regionem longinquam" intelligitur Ipsius abitus e mundo, et tunc quasi absentia: per "decem minas" quas decem servis dedit ad negotiandum, significantur omnes cognitiones veri et boni ex Verbo, cum facultate percipiendi illas; nam "mina," quae fuit argentum et pecunia, significat cognitiones veri et facultatem percipiendi, et "negotiari" significat comparare sibi per illas intelligentiam et sapientiam: illi qui sibi comparant multam, intelliguntur per "servum qui ex mina lucratus est decem minas;" et illi qui sibi comparant aliquam, intelliguntur per illum "qui ex mina lucratus est quinque minas:" per "urbes" ibi, quae datae illis, significantur vera doctrinae, et per "possidere illas" significatur intelligentia et sapientia, et inde vita et felicitas: inde patet quid significatur per "decem urbes" et per "quinque urbes:" quia illi qui nihil intelligentiae sibi comparant, sunt sicut "virgines stultae," (de quibus mox supra,) qui solum vera possident memoria et non vita, hi deprivantur illis post excessum

ex hoc mundo; at qui vera possident tam memoria quam vita, illi in se locupletant intelligentiam in aeternum; ideo dicitur quod "tollerent minam ab illo qui nihil per minam lucratus est, et daret illam ei qui decem minas habet." Similis res est cum illis

> Quibus data sunt talenta, uni quinque, alteri duo, et tertio unum; quorum primus ex quinque talentis lucratus est alia quinque, et alter ex duobus lucratus est alia duo; et tertius reposuit illud in terra; de quo Dominus dixit, Tollite ab illo qui non negotiatus et lucratus est, et date habenti decem talenta, quia habenti omni dabitur ut abundet, et ab eo qui non habet, etiam quod habet auferetur (*Matth.* xxv. 14-30):

per "quinque" et per "decem" etiam hic significantur aliquid et multum; ita quod primus ex aliquibus cognitionibus veri et boni comparaverit sibi multam sapientiam: quod auferetur ab illo qui nihil intelligentiae sibi comparavit, et daretur illi qui multum, est quia homo post mortem, cum fit spiritus, secum fert omnia et singula quae ex Verbo et ex doctrina ecclesiae hauserat; sed illi qui nihil intelligentiae per illa sibi comparaverunt, sunt interius mali, et ideo veris et bonis caeli et ecclesiae, quae memoria tenus solum possederunt, abutuntur ad dominandum, et ad malum faciendum simplicibus bonis qui in ultimo caelo; ea causa est quod vera et bona ista illis auferantur, et dentur illis qui multa habent, quoniam hi non illis abutuntur, sed ex illis usum faciunt. Quod illi qui in mundo per cognitiones veri et boni ex Verbo non sibi comparant intelligentiam spiritualem, mali sint, constat ex eo, quod omnes in mala omnis generis nascantur, et quod illa non removeantur nisi quam per Divina vera ex Verbo; nempe per illorum applicationem ad usus, et sic receptionem in vita: quare illis, qui lucrati sunt, dicitur,

> Servi boni et fideles, quia super parva eratis fideles, super multa vos constituam; ingredimini in gaudium Domini tui (vers. 21, 23):

et ad illum qui nihil lucratus est,

> "Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores, ibi erit planctus et stridor dentium" (vers. 30).

[**b.**] Quoniam "decem" significant omne et multum, ideo ille numerus etiam alibi dicitur a Domino, ubi omne et multum intelligendum est, sicut

De muliere habente drachmas decem, "Si perderet unam, nonne accenderet candelam, et verreret domum, et quaereret sollicite dum invenerit?" (*Luc.* xv. 8:)

per "decem" hic significatur multum; quod dicatur "mulier," quodque illa "accenderet candelam, et verreret domum," est propter sensum spiritualem in singulis Verbi; in hoc sensu per "mulierem" significatur ecclesia quoad affectionem veri, ita quoque affectio veri quae est ecclesiae; per "drachmam" verum; per "perdere drachmam" unum ex veris seu ex cognitionibus veri; per "accendere candelam" inquisitio in se ex affectione; et per "verrere domum" significatur percurrere totam mentem, et lustrare ibi singula, ubi se recondit; hic sensus est spiritualis illorum verborum. Simile quod per "decem," etiam significatur per "centum," nempe multum; ideo similis parabola dicitur

De centum ovibus, si una perderetur (*Matth.* xviii. 12, 13; *Luc.* xv. [1]3–7).

Per "decem" significatur omne et multum etiam in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Domus multae in devastationem erunt, magnae et pulchrae, ut non sit habitator; nam decem jugera vineae facient bathum" (v. 9, 10):

haec de desolatione veri apud illos qui ab ecclesia; per "domus multas quae erunt in devastationem" significantur homines ecclesiae, in specie illi quoad vera ex bono; per "magnas et pulchras," nempe domus, significatur affectio boni et intelligentia veri, nam "magnum" praedicatur de bono et ejus affectione, et "pulchrum" de vero et ejus intelligentia: per quod "decem jugera vineae facient bathum" significatur quod in omnibus ecclesiae apud hominem vix aliquod verum ex bono, per "bathum" enim simile significatur quod per "vinum," nempe verum ex bono; quare per "decem jugera vineae" significantur omnia ecclesiae apud hominem. Apud *Mosen*,

Si iveritis mecum in adversum, "frangam..baculum panis, ut coquant decem mulieres panem vestrum in furno uno, et referam panem vestrum in pondere" (*Levit.* xxvi. [23,] 26):

per "frangere baculum panis" significatur deprivare spirituali cibo, et inde spirituali nutritione; per "panem" enim intelligitur omne quod nutrit animam, in specie bonum

amoris: quare per quod "coquent decem mulieres panem in furno uno" significatur quod in omnibus ecclesiae apud hominem tam parum boni et veri sit ut vix aliquid; per "decem mulieres" significantur omnia ecclesiae, per "panem" significatur bonum et verum quae animam nutriunt, et per "furnum" significatur ubi cibus spiritualis praeparatur, ita homo apud quem: per "referre panem pondere" significatur defectus et penuria talium quae spiritualiter nutriunt. Apud *Sachariam*,

> "Venient populi multi et gentes numerosae ad quaerendum Jehovam Zebaoth in Hierosolyma, et ad deprecandum facies Jehovae:.... in diebus illis apprehendent decem viri ex omnibus linguis gentium, alam viri Jehudaei, dicendo, Ibimus vobiscum, quia audivimus Deum vobiscum" (viii. 22, 23):

haec dicta sunt de convocatione et accessione gentium ad ecclesiam a Domino; et per "decem viros ex omnibus linguis" significantur omnes ex quacunque religione, qui nempe "veniunt ad quaerendum Jehovam Zebaoth in Hierosolyma," hoc est, qui accedere ad ecclesiam et confiteri Dominum volunt; quare "decem viri" sunt omnes illi, et "linguae gentium" sunt religiosa: sed haec cum reliquis videantur supra (n. 433[*d*]) explicata, ubi ostensum quod per "Hierosolymam" non intelligatur Hierosolyma, nec per "Judaeum" aliquis Judaeus. Apud *Amosum*,

> "Dixit Jehovah,... Superbiam Jacobi et palatia ejus odi; inde concludam urbem et plenitudinem ejus;... si relicti fuerint decem viri in domo una, morientur" (vi. 8, 9):

per "superbiam Jacobi," et per "palatia ejus," quae Jehovah odit, significatur amor et fides falsi apud illos qui ab ecclesia; per "superbiam" amor falsi, et per "palatia" ipsa falsa, quae "palatia" dicuntur quia sunt superbi, et quia falsa eorum in externa forma exornata sunt, ut appareant magnifica, tametsi sunt vilissima, sicut casae plenae quisquiliis et immunditiis: per "concludere urbem et plenitudinem ejus" significatur damnare doctrinam quia plena et obsessa falsis mali; "urbs" est doctrina, et "plenitudo" sunt falsa mali: quare per "Si relicti fuerint decem viri in domo una, morientur," significatur quod peritura sint omnia vera boni apud unumquemvis; "decem viri" sunt omnia vera, "domus" est homo quoad bonum, et "mori" est perire. Apud *Sachariam*,

Propheta vidit volumen volans; "longitudo ejus viginti ulnae, et latitudo ejus decem ulnae:....haec maledictio exiens super facies totius terrae" (v. 2, 3):

quod "volumen volans," per quod significatur "maledictio exiens super facies totius terrae," fuerit longitudine viginti ulnarum, et latitudine decem, est quia per "viginti" et per "decem" significatur omne, ibi omne bonum mutatum in malum, et omne verum in falsum; "viginti" praedicantur de bono et de omni ejus, ac "decem" de vero ac de omni ejus; "longitudo" etiam significat bonum, et "latitudo" verum (videatur supra, [n. 355[e], 627[a], 629[a]; tum in opere *De Caelo et Inferno*,] n. 197). Quia "decem" significant omnia et multa, ideo per "decem vicibus" significatur toties quoties, ac semper, in sequentibus locis:—Apud *Danielem*,

"Non inventus est de omnibus sicut Daniel, Chanania, Mischael et [1]Asariah;....omne verbum sapientiae intelligentiae, quod quaesivit ex iis rex, deprehendit eos decem vicibus supra omnes astrologos et divinatores, qui in omni regno ejus" (i. 19, 20);

apud *Mosen*,

"Omnes viri, qui viderunt gloriam meam et signa mea quae feci in Aegypto, et in deserto, et tentarunt Me his decem vicibus,....non videbunt" terram (*Num.* xiv. 21–23);

et per *Hiobum*,

"Decem vicibus ignominia affecistis me, non erubescitis, obfirmatis vos" (xix. 3):

per "decem vicibus" in his locis significatur cunctis vicibus, seu semper, ac toties quoties. Apud *Danielem* et in *Apocalypsi* tribuuntur bestiae cornua, quibusdam decem, quibusdam septem, et quibusdam tria; et per "cornua" bestiarum illarum significatur potentia falsi contra verum ac mali contra bonum, et per "decem cornua" summa potentia:—Apud *Danielem*,

"Bestia quarta," ascendens e mari, "habebat decem cornua:....quod ad cornua decem, ex eodem regno decem reges surgent" ([2]vii. 7, 20, 24):

per "decem cornua bestiae" ibi significatur summa potentia falsi contra verum; per "decem reges" significantur falsa in omni complexu; et per "regnum" significatur ecclesia illa perversa. In *Apocalypsi*,

"Draco...hababat capita septem, et cornua decem, et super capitibus diademata septem" (xii. 3);

alibi,

> Bestia ex mari ascendens "habebat capita septem, et cornua decem, et super cornibus suis decem diademata" (xiii. 1);

et alibi,

> "Mulier sedens super bestia coccinea, plena nominibus blasphemiae, habebat capita septem et cornua decem:....decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt; potestatem tamen tanquam reges unam horam recipient cum bestia" (xvii. 3, 7, 12):

quid singula ibi in specie significant, infra in explicationibus videbitur.

[c.] Quoniam "decem" significant omnes et omnia, sequitur quod "decima pars" significet omne; exinde "decimae" ac "decimationes" traxerunt suam originem, et significabant quod omne sanctum et benedictum esset, quando decima pars de area et torculari, seu de frumento et vino data esset Levitis; similiter pro Levitis, quando decima pars iterum decimaretur et daretur Aharoni. De his ita in Verbo:

> "Decimando decimabis omnem proventum seminis tui, quod educitur in agrum quotannis" (*Deutr.* xiv. 22);

et porro,

> Loquere ad Levitas, quod illis carentur decimae in hereditatem, et quod tollerent de illis sublationem Jehovae decimas de decimis, et hoc ex frumento de area, et ex impletione de torculari, ac decimas de decimis darent Aharoni sacerdoti (*Num.* xviii. 24–28).

Quod "decimae" significarent benedictionem in omnibus, ita quod omne sanctum et benedictum esset, constat apud *Malachiam*,

> "Adducite omnes decimas ad domum thesauri, ut sit cibus in domo mea; tunc probate Me in hoc,....annon aperturus sim vobis fenestras caeli, et effusurus sim vobis benedictionem, quousque non suffecerit?" (iii. 10:)

per "aperire fenestras, et effundere benedictionem," significatur Divinum influens ex quo intelligentia ac vita aeterna, simile quod per "pluviam" supra (n. 644), quod etiam proprie intelligitur per "benedictionem," et hoc futurum si "decimas adducerent;" quare per illas significatur quod omne sic benedictum esset. Ut omnia benedicta essent quae Abrahamus de hostibus suis sumpsit, dicitur,

> Quod dederit Malchizedecho, qui rex in Schalem, et simul sacerdos Deo altissimo erat, decimas de omnibus (*Gen.* xiv. 18, 19):

similiter spospondit et vovit Jacob,

> Si reverteretur in pace ad domum patris sui, quod omne quod Jehovah dederit ei, decimando decimaturus esset (*Gen.* xxviii. 21, 22).

Ex his locis, praeter ex aliis, constare potest quid in Verbo significatur per "decem" et per "partem decimam." Quod "decem" significent omnia, ducit causam ex ipso caelo; caelum enim in toto et in parte refert Hominem, unde id Maximus Homo vocatur; omnes vires vitae Maximi illius Hominis, seu caeli, desinunt in duas manus et in duos pedes, ac manus ut et pedes desinunt in decem digitos; quare omnia hominis quoad potentiam et quoad sustentationem quia collata sunt ultimo in decem digitos, ["decem digiti"] significant omnia ejus: et praeterea "ultima" in Verbo etiam significant omnia.

676. ***"Et occisa sunt in terrae motu nomina hominum millia septem."***—Quod significet *quod in status mutatione illa perierint apud illos omnia vera boni, et sic omnia caeli et ecclesiae*, constat ex significatione "occidi," quod sit spiritualiter occidi, quod [1]est perire per mala et falsa (de qua supra, n. 315, 547, 572, 589); ex significatione "terrae motus," quod sit mutatio status interiorum apud illos qui ab ecclesia (de qua supra, n. 674); ex significatione "nominum hominum," quod sint vera boni, et inde intellectus veri (de qua sequitur); et ex significatione "septem millium," quod sint omnia caeli et ecclesiae, nam per "septem" significantur omnia, et praedicantur de sanctis caeli et ecclesiae (de qua ejus numeri significatione videatur supra, n. 257), et significatio ejus retinetur dum multiplicatur per decem, vel centum, vel mille, nam hi numeri significant omnia: ex his constare potest quod per quod "occisa sint in terrae motu nomina hominum millia septem" significetur quod in status mutatione illa perierint omnia vera boni, et sic omnia caeli et ecclesiae. Quod per "nomina hominum" significentur vera boni, et inde intellectus veri, constare potest ex significatione "nominis," quod sit quale rei et status apud hominem, et a significatione "hominis," quod sit intelligentia, ita quoque intellectus veri: quod "nomen" significet quale rei et status apud hominem, est quia nomina personarum non dantur in mundo spirituali sicut in mundo naturali; in mundo spirituali nominantur omnes secundum quale vitae eorum, sic cum differentia intra societates et

extra illas; intra societates est constans quale status vitae cujusvis, nam quisque habitat ibi ad plagam, et quoque ad distantiam e medio, secundum quale suae affectionis et suae intelligentiae; quare secundum hoc quale est ejus nomen; inde est quod cum auditur nomen alicujus in societate, cognoscatur etiam quale ejus; ex eo est quod per "nomen" in sensu spirituali significetur quale rei et status vitae: at extra societates denominatio secundum quale status vitae alicujus non constans est; nam antequam homo spiritus in aliquam societatem venit, percurrit ille plures status, ob finem ut exuat discordantia cum regnante ejus amore, et induat concordantia cum illo; sed usque nominatur quisque secundum statum in quo est, et quoque secundum ideam et perceptionem de ejus quali status. Quod nomina in mundo spirituali enuntientur spiritualiter, videatur supra (n. 102[*a*]); quod inde "nomen" in Verbo significet quale status vitae (n. 148); et quod inde "nomen Jehovae," ac "nomen Domini," significet omnia per quae colitur, ita omnia amoris et fidei (n. 102, 135); et quod "homo" in Verbo significet affectionem veri spiritualem, et inde intellectum veri (n. 280, 546): ex quibus constare potest quid significatur per "nomina hominum." Quod perierint vera boni, proinde intellectus qui ex illis, per insignem mutationem status, quae significatur per "terrae motum magnum," causa in mox superiori articulo dicta est; nempe quod in fine ecclesiae, quando instat ultimum judicium, auferantur illi qui spiritualiter boni sunt ab illis qui solum naturaliter; et cum illi ab his ablati sunt, tunc etiam ab his ablata sunt omnia vera boni, proinde etiam omnis intellectus veri; nam apud naturales, quibus nihil spirituale est, vera et bona resident in externis, ac falsa et mala in internis; inde cum auferuntur boni, cum quibus quoad externa communicationem habuerunt, etiam auferuntur externa, et patent interna, quae, ut dictum est, scatent a mere falsis mali: inde est quod per illa verba significetur quod [1]perierint apud illos, qui remanserunt, omnia vera boni, et cum [his] omnis intellectus veri.

677. ***"Et reliqui territi facti sunt."***—Quod significet *commotionem animi et conversionem illorum qui aliquantum spirituales fuerunt*, constat ex significatione "reliquorum,"

quod sint qui non mere externi et naturales fuerunt, sed etiam aliquantum interni et spirituales (de qua sequitur); et ex significatione "terreri," quod sit animo commoveri et converti ab illis qui mere naturales fuerunt, et inde in mere falsis et malis; quod "terreri" significet commotionem et conversionem illam, videbitur infra. Primum aliquid dicetur de illis qui intelliguntur per "reliquos" qui territi facti sunt, et dederunt gloriam Deo caeli, quod non fuerint mere naturales, sed etiam aliquantum spirituales; qui enim mere naturales sunt, illi, quando vera boni, quae apud illos in externis resederunt, ablata sunt, tunc non commoventur ex influxu falsorum et malorum ex inferno, minus se convertunt; nam propria eorum cogitatio et voluntas, quae interius se apud illos recondidit, consistit ex mere falsis et inde malis, et ex malis et inde falsis; quare cum in his sunt, tunc exacerbantur contra vera et bona, et inde ardenter cupiunt exstinguere illa: ex eo est quod malis, quando non amplius in externis sunt, non sit terror pro malis et falsis, immo nec pro inferno, sunt enim illa amoris illorum, consequenter jucunda vitae eorum: at vero, qui etiam spirituales sunt, hi animo commoventur et terrentur quando ex malis et inde falsis infestantur, quod fit quando inter malos sunt; timent enim jacturam vitae suae spiritualis, quapropter commoventur animo et trepidant, et Dominum de ope supplicant, et se convertunt ab illis. Quando societates purificantur in mundo spirituali, quod fit quoties mali, imprimis hypocritae, insinuaverunt se in illas, et commiscuerunt se bonis ibi, (signa praesentiae talium sunt obscuratio intellectus, deprivatio perceptionis boni, hebetatio affectionis veri, et similia,) tunc immittitur influxus ex inferno, ex quo mali gaudent, at boni commoventur animo, et se convertunt; inde separantur; qui itaque territi facti se convertunt, illi conservantur, reliqui autem ejiciuntur: ex his constare potest, unde est quod dicatur quod quidam "territi facti sint," et quod hoc significet commotionem animi et conversionem illorum qui aliquantum spirituales sunt. In Verbo pluries dicitur quod "terrefacti sint," quod "consternati," et similia, ac ita de bonis et de malis; et per "terrorem" et "consternationem" significatur status animi commoti et mutati ex imminente aut viso periculo vitae,

sed aliter apud bonos, et aliter apud malos; apud bonos est mentis commotio et status mutatio ex imminente et viso periculo animae, at apud malos ex imminente et viso periculo vitae corporis; et hoc ex causa, quia boni spectant animae vitam principalem et finalem, et non ita corporis, at mali spectant vitam corporis principalem et finalem, et non ita animae: hanc ne quidem corde credunt; et qui credunt, usque non amant nisi illa quae corporis sunt, sicut varii generis appetitus et voluptates; boni autem vicissim. Ut sciatur quod "terreri," "consternari," "formidare," et similia significent animo commoveri ex mutatione status interiorum, velim aliqua loca e Verbo confirmationis causa afferre:—Apud *Davidem*,

> "Cor meum trepidat in medio mei, et terrores mortis ceciderunt super me, timor et tremor venit in me, et operuit me horror" (Ps. lv. 5, 6 [*B. A.* 4, 5]):

haec dicta sunt de tentationibus, in quibus mala et falsa ab inferno irrumpunt, ac terrores pro damnatione incutiunt; nam, ut supra dictum est, boni terrificantur et tremunt ex periculis animae suae imminentibus, ita ab irruptione malorum in cogitationes et intentiones voluntatis; sunt itaque variae commotiones animi, quae in specie significantur per "trepidationem cordis," per "terrores mortis," "timorem," "tremorem," et "horrorem," qui secundum ordinem quo succedunt ibi ordine memorantur. Apud *Esaiam*,

> "[1]Viderunt insulae et tremuerunt, fines terrae trepidarunt, accesserunt et venerunt" (xli. 5):

haec dicta sunt de adventu Domini, et per "insulas" et "fines terrae" intelliguntur gentes quae remotae a veris ecclesiae; et per "timorem et trepidationem" earum significantur commotiones animi ex metu ne perirent. Apud *Ezechielem*,

> "Omnes manus remissae, et omnia genua abeunt in aquas, unde accingent saccos, conteget eos terror, et super omnibus faciebus pudor, ...argentum suum in plateas projicient, et aurum eorum in abominationem erit" (vii. 17-19):

etiam ibi de adventu Domini agitur, et haec dicta sunt; variae commotiones animi ex dolore propter mala, et ex gaudio propter bona, describuntur per varios timores et

dolores; ut per quod "manus essent remissae," "genua abirent in aquas," "contegeret eos terror," et "super faciebus pudor;" per quae significantur non modo variae commotiones animi et mutationes status vitae, sed etiam conversiones a falsis et malis; nam falsa quae rejicient significantur per "argentum" quod projicient in plateas, et mala per "aurum" quod in abominationem erit: per quod "omnia genua abeant in aquas" significatur dolor propter bonum amoris deperditum, et gaudium propter id nunc recuperatum; "genua" significant amorem boni, et "abire in aquas" significat lachrymare. Quod tremor sanctus, qui occupat, vibrat et pervellit interiora capitis, quando Divinum influit ac implet, etiam dicatur "timor," "terror," "formido," constare potest ex locis sequentibus:—Apud *Lucam*,

Quando Zacharias, viso angelo, perturbatus est, quod timor ceciderit super illum, cui ideo dixit angelus, "Ne timeto, Zacharia" (i. 12, 23);
Similiter Maria Virgo, viso angelo (*Luc.* i. [29,] 30);
Quando angelus Domini adstitit pastoribus, et gloria Domini circumfulsit illos, "timuerunt timorem magnum; sed dixit illis angelus, Ne timete, ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod [1]fit omni populo" (*Luc.* ii. 9[, 10]);
Quando Jesus transformatus est, et visus in gloria, dicitur quod Petrus, Jacobus et Johannes territi facti sint cum ingressi in nubem (*Luc.* [2]ix. 34); et cum audiverunt vocem e nube, "Hic est Filius meus dilectus," quod ceciderint super facies suas, et timuerint sibi vehementer; "at accedens Jesus tetigit illos, dicens, Surgite, ne timete vobis" (*Matth.* xvii. [5,] 6, 7; *Marc.* ix. 6);
Cum Dominus sanaverat paralyticum, dicitur quod timor invaserit omnes, et glorificaverint Deum, et quod impleti sint timore, dicentes, "Vidimus prodigia hodie" (*Luc.* v. 26);
Et cum Dominus resuscitavit adolescentem e Nain mortuum, dicitur quod ceperit timor omnes, laudantes Deum (*Luc.* vii. 16):

similiter ut hic in *Apocalypsi*, quod "territi facti sint, et gloriam dederint Deo caeli." Porro,

"Quando mulieres ingressae sunt in monumentum, viderunt angelum sedentem in dextris, circumdatum stola alba; et expaverunt" ([3]*Marc.* xvi. 5, 6);
Et quod mulieres, egressae e monumento, occupatae fuerint timore, tremore et stupore, et simul gaudio magno, et quod nulli dixerint, quia timebant sibi; quibus ideo Jesus dixit, Ne timetote, annuntiate fratribus (*Matth.* xxviii. 8, 10; [4]*Marc.* xvi. 8);
Quod duo apostoli euntes ad Emmaus, dixerint ad Jesum, "Mulieres quaedam terrefecerunt nos" (*Luc.* xxiv. 22).

Ex his locis concludi potest quod per "terrorem" et "pavorem" in Verbo intelligatur commotio animi varia ex

influxu talium quae stuporem excitant, etiam conjuncta cum gaudio. Praeterea per "terrorem" in spirituali sensu significatur terror pro malis et falsis quae ab inferno; haec enim spiritualem hominem terrificant, quoniam opposita sunt bonis et veris, quae spiritualis homo amat et quorum jacturam timet; in hoc sensu dicitur "terror" in permultis locis in Verbo:—Ut apud *Esaiam*,

> "Circa tempus vesperae ecce terror; antequam mane, non est" (xvii. 14):

"vespera" significat ultimum tempus ecclesiae, quando mere mala et falsa; haec vocantur "terror," quia sunt infernum: "mane" autem significat primum tempus ecclesiae, quando mala et falsa non sunt; quare dicitur, "antequam mane, terror non est." Apud *Jeremiam*,

> "Tu ne timeas, serve mi Jacob, et ne terrearis Israel, quia ecce Ego servans te e longinquo;....Jacob tranquillus et quietus erit, non territans" (xxx. 9, 10);

et apud *Zephaniam*,

> "Reliquiae Israelis....pascent et requiescent, non terrefaciens" (iii. 13):

per "Jacobum" et "Israelem" intelliguntur qui in bonis et veris intra ecclesiam sunt; et per "non territans et terrefaciens" significatur quod nihil mali et falsi ab inferno infestaturum sit: similiter in multis aliis locis. Quid autem in spirituali sensu significatur per "timere Deum," dicetur in explicatione ad versum 18, hujus capitis.

678. ***"Et dederunt gloriam Deo caeli."***—Quod significet *quod illi agnoverint et coluerint Dominum*, constat ex significatione "dare gloriam" seu "glorificare," quod sit agnoscere et colere (de qua sequitur); et ex significatione "Dei caeli," quod sit Dominus. Quod Dominus sit Deus caeli, Ipse dum in mundo fuit, et cum e mundo exivit, manifestavit. Cum in mundo fuit, dixit, apud *Johannem*,

> "Pater....dedit omnia in manum" Filii (iii. 35);

apud eundem,

> Pater dedit Filio "potestatem omnis carnis" (xvii. 2);

et apud *Matthaeum*,

> "Omnia Mihi tradita sunt a Patre" (xi. 27):

et cum e mundo exivit, dixit discipulis,

> "Data est Mihi omnis potestas in caelo et in terra" (*Matth.* xxviii. [1]18):

ex quibus patet quod Dominus sit Deus caeli. Quod "gloriam dare" sit agnoscere et colere Ipsum, est quia "gloriam dare" significat quod Ipsi soli sit gloria, quia est Deus caeli et terrae, et simul agnoscere quod omnia ecclesiae sint ab Ipso, ita omnis salus et vita aeterna: ex his sequitur quod "gloriam dare" et "glorificare," cum de Deo, sit colere et adorare Ipsum. "Gloria" in Verbo, ubi de Domino, proprie significat Divinum Verum procedens ab Ipso, ex causa quia Divinum id Verum est lux caeli, et ex luce illa non solum est angelis et hominibus omnis intelligentia et sapientia, sed etiam omnis felicitas, et insuper omnis magnificentia in caelis, quae ineffabilis; haec itaque sunt quae proprie significantur per "gloriam Dei;" et quia id est gloria, sequitur quod gloria Domini sit illustrare angelos et homines, ac donare intelligentia et sapientia, ac beare felicibus et jucundis, et quoque magnificare omnia in caelis; et quod illa gloria non sit ex amore gloriae, sed ex amore erga humanum genus: quare Dominus dicit apud *Johannem*,

> "In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum multum feratis, et reddamini discipuli mei" (xv. 8);

et alibi,

> "Verba quae dedisti Mihi, dedi illis;....et glorificatus sum in illis" (xvii. 8, 10).

Quod hoc sit gloria Domini, constare potest ex eo, quod lux caeli, ex qua omnis sapientia, pulchritudo, et magnificentia est in caelis, procedat a Domino ut Sole, ac Divinus Amor Domini est qui apparet angelis ut Sol; inde constat quod lux caeli, quae in sua essentia est Divinum Verum ac Divina Sapientia, sit Divinus Amor procedens; ac amor non aliud vult quam dare id quod suum est alteri, ita implere alios beatitudine; quid non Divinus Amor? At dare alicui gloriam suam, et implere sapientia et beatitudine, non potest Dominus, nisi agnoscatur et colatur; per hoc enim conjungit se homo Ipsi amore et fide; nam agnitio et cultus, ut sit agnitio et cultus, erit ex amore et fide; et absque conjunctione per illa non potest influere

aliquod bonum a Domino, quia non recipitur. Ex his nunc patet quod "dare gloriam Deo caeli" sit agnoscere et colere Dominum. Quod "gloria" significet Divinum Verum procedens a Domino, et quod Domini gloria apud hominem sit receptio Divini Veri, videatur supra (n. [1]33, 345). Quod glorificatio Domini sit ab Ipso Domino, et quod apud homines et angelos sit receptio et agnitio, quod omne bonum et verum ac omne salutis et vitae sit a Domino, etiam supra (n. 288[*a*]).

VERSUS 14, 15.

679. ***"Vae secundum praeteriit; ecce vae tertium venit cito. Et septimus angelus clanxit, et factae sunt voces magnae in caelo, dicentes, Facta sunt regna mundi Domini nostri et Christi Ipsius, et regnabit in saecula saeculorum."***

14. ***"Vae secundum praeteriit; ecce vae tertium venit cito,"*** significat *lamentationem super vastationem ultimam ecclesiae, nunc certo instantem* [n. 680].

15. ***"Et septimus angelus clanxit,"*** significat *influxum Divini Veri per caelos a Domino, et inde ultimas mutationes* [n. 681]; ***"et factae sunt voces magnae in caelo,"*** significat *in caelis superioribus illustrationem et gaudium* [n. 682]; ***"dicentes, Facta sunt regna mundi Domini nostri et Christi Ipsius,"*** significat *omnia in caelis et in terris subjecta Domino, quando separati sunt mali a bonis, ac Divinum Bonum et Divinum Verum procedens a Domino clare recipitur* [n. 683, 684]; ***"et regnabit in saecula saeculorum,"*** significat *dominium Ipsius per Divinum Verum in aeternum* [n. 685].

680. [*Vers.* 14.] ***"Vae secundum praeteriit; ecce vae tertium venit cito."***—Quod significet *lamentationem super vastationem ultimam ecclesiae, nunc certo instantem*, constat ex significatione "vae," quod sit lamentatio super variis, imprimis super talibus quae devastant ecclesiam (de qua supra, n. [2]531): et quia "tria" significant completum, ideo "tertium vae" significat lamentationem ultimam, quando devastatio plena est; quod "tria" significent completum, et sic finem, videatur supra (n. 435[*a*], 506, 532): et ex significatione "venire cito," quod sit certo instans et eveniens; quod "cito" significet certum, videatur etiam supra (n. 7, 216). Quid "tertium" hoc "vae," quod cito venturum, involvit, constare potest ex sequentibus; quod nempe involvat statum ultimum ecclesiae, quando non verum amplius nec bonum, et tunc statum separationis malorum a bonis, et bonorum a malis, et tandem ultimum judicium, quod fit per separationem plenariam, et tunc conjectionem malorum in infernum, et elevationem bonorum in caelum.

681. [*Vers.* 15.] ***"Et septimus angelus clanxit."***—Quod significet *influxum Divini Veri per caelos a Domino, et inde ultimas mutationes*, constat ex significatione "clangoris," cum de angelo, quod sit influxus Divini Veri a Domino, et inde mutatio in inferioribus, ubi mali (de qua supra, n. 489, 502); quod "clangere" id significet, est quia "tuba" et "buccina" significabat Divinum Verum revelandum et quoque revelatum (videatur supra, n. 55, 262): quod sit ultima mutatio ex influxu Divini Veri a Domino, quae per "septimi angeli clangorem" intelligitur, est quia numerus "septem" significat plenum ac ultimum (videatur supra, n. 20, 24, 257, [1]300, 486). De mutationibus in inferioribus, ubi mali, factis per influxum Divini Veri per caelos a Domino intensiorem et leniorem, ita per influxus varios, supra (n. 413[a], 418[a], 419[a], 426, 489, 493) ample actum est; quare denuo aliquid de illis dicere supersedetur. Quod per influxus illos factae sint separationes malorum a bonis, ac dejectiones malorum in infernum, ac plures aliae mutationes, in locis citatis videri potest. Ex his nunc patet quid per "angelos septem clangentes" significatur.

682. ***"Et factae sunt voces magnae in caelis."***—Quod significet *in caelis superioribus illustrationem et gaudium*, constat ex significatione "vocum magnarum in caelis," quod sit illustratio, sapientia et gaudium in caelis superioribus; per "voces" enim in Verbo varia significantur, sicut Divinum Verum, revelatio, ipsum Verbum apud nos, tum omne praeceptum et mandatum Verbi; sed haec significantur per "voces e caelo;" at per "voces in caelo" significatur illustratio, ex qua angelis sapientia et inde gaudium: quando enim angeli in illustratione sunt, etiam in sapientia sunt, et tunc illis sunt voces magnae, per quas arcana sapientiae exprimunt; quod etiam sit gaudium inde, est quia gaudium angelis est ex sapientia; unde etiam voces dicuntur "magnae," nam "magnum" praedicatur de affectione boni et veri ex qua gaudium in caelis. Quod caeli superiores intelligantur, est quia per illos et ex illis facti sunt influxus in inferiora, per quos separati sunt mali, qui quoad externa conjuncti fuerunt illis qui in caelis inferioribus; et quantum conjuncti fuerunt, non illis illustratio et gaudium, sed quantum separati; inde est quod caeli superiores intelligantur. Est enim talis nexus superiorum et inferiorum in

mundo spirituali, ut quantum inferiora in ordine sunt tantum etiam sint superiora; inferiora enim ibi sunt sicut inferiora domus ac sicut fundamenta ejus; quantum itaque haec integra sunt, tantum superiora in statu firmo, securo et perfecto sunt; non enim nutant, vacillant ac hiant: aut sicut quantum in homine exteriora ejus, sicut organa visus, gustus, auditus, tactus, non laesa sunt, tantum interiora ejus bene vident, gustant, audiunt, et tactu persentiscunt; nam interiora sunt quae sentiunt in exterioribus, et exteriora nihil a se. Similiter in caelis: inferiores caeli sunt in quos desinunt et quibus insistunt caeli superiores; inter quos ideo talis continens nexus est qualis est inter priora et posteriora, aut sicut inter causas et effectus; si effectus non prorsus correspondet suae causae, hoc est, si non habet in se formatum omne quod in causa efficiente est, quod se refert ad vires et conatus agendi, tunc causa labefactatur, et agit imperfecte; nam omnia causae inscripta sunt effectui; quare sola causa est quae agit, non autem quicquam effectus separatus a causa. Simile est cum caelis superioribus et inferioribus; in caelis superioribus sunt causae, et effectus causis correspondentes se sistunt in caelis inferioribus. Haec dicta sunt ut sciatur unde est quod per "voces magnas in caelo" significetur illustratio ex qua sapientia et gaudium in caelis superioribus, quando caeli inferiores purificantur, hoc est, mali a bonis separantur et removentur.

683. ***"Dicentes, Facta sunt regna mundi Domini nostri et Christi Ipsius."***—Quod significet *omnia in caelis et in terris subjecta Domino, quando separati sunt mali a bonis, et quod tunc Divinum Bonum ac Divinum Verum procedens a Domino clare recipiatur*, constat ex significatione "regnorum mundi," cum facta sunt Domini, quod sit quod recipiatur Divinum procedens a Domino amore et fide (de qua sequitur); et ex significatione "Domini et Christi Ipsius," quod sit Dominus quoad Divinum Bonum Divini Amoris, et quoad Divinum Verum ex illo Amore procedens; quod Dominus dicatur "Dominus" ex Divino Bono, ac "Christus" ex Divino Vero, videbitur infra. Quod "regnum Domini" sit receptio Divini Boni ac Divini Veri, ita apud illos qui recipiunt, constare potest ex eo, quod Dominus apud angelos caeli et apud homines ecclesiae regnet per id quod

procedit ab Ipso, quod communiter vocatur Divinum Bonum ac Divinum Verum, tum justitia et judicium, et quoque amor et fides: haec sunt per quae Dominus regnat; proinde illa sunt proprie regnum Domini apud illos qui recipiunt; nam cum illa regnant apud angelos et homines tunc Ipse Dominus regnat, quae enim procedunt ab Ipso sunt Ipse; Dominus in caelo non aliud est quam Divinum procedens. Dominus quidem non modo regit illos qui recipiunt Divina caelestia et spiritualia ab Ipso, sed etiam illos qui non recipiunt, sicut omnes in inferno; sed usque non dici potest quod ibi sit regnum Domini, quoniam prorsus nolunt regi ex Divino quod procedit, et secundum ejus ordinis leges; immo negant Dominum, et se avertunt ab Ipso; at usque Dominus regit illos, non sicut regni sui subditos et cives, sed sicut refractarios et rebelles, tenendo in vinculis ne malum faciant sibi mutuo, ac imprimis illis qui e regno Ipsius sunt. Quod illud sit regnum Domini quod procedit ab Ipso et recipitur, constare potest a locis in Verbo ubi "regnum Dei" dicitur: ut in Oratione Domini,

"Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in caelo etiam in terra" (*Matth.* vi. 10):

quod ibi per "regnum" intelligatur receptio Divini Boni ac Divini Veri, quae procedunt a Domino, et in quibus est Dominus apud angelos caeli et apud homines ecclesiae, patet; nam sequitur, "Fiat voluntas tua sicut in caelo etiam in terra;" voluntas Dei fit cum illa recipiuntur corde et anima, hoc est, amore et fide. Et alibi,

"Quaerite primo regnum [1]caelorum et ejus justitiam, tunc..omnia adjicientur vobis" (*Matth.* vi. 33):

per "regnum caelorum" in spirituali sensu intelligitur Divinum Verum, et per "justitiam" Divinum Bonum; quare dicitur, "Quaerite primo regnum caelorum et ejus justitiam;" et in supremo sensu per "regnum caelorum" intelligitur Dominus; quoniam Ipse est omne sui regni, et per "justitiam" in eodem sensu significatur meritum Domini: et quia homo, qui regitur a Domino, non vult et amat nisi quae Domini sunt, ducitur ipso nesciente ad felicia in aeternum; ideo dicitur quod "omnia adjicientur illi,"

per quod intelligitur quod omnia ad salutem illius optato evenient. Quoniam caelum est caelum ex receptione Divini Veri a Domino, similiter ecclesia, ideo caelum et ecclesia in communi sensu intelligitur per "regnum Dei" et per "regnum caelorum:" quare illi qui recipiunt Divinum Verum vocantur a Domino "filii regni," apud *Matthaeum*,

> "Ager est mundus, semen..sunt filii regni, zizania sunt filii mali" (xiii. 38):

quod recipientes Divini Veri intelligantur per "filios regni" patet, nam dicitur "Semen sunt filii regni, et zizania sunt filii mali;" per "semen" intelligitur Divinum Verum, et per "zizania" falsum infernale; et vocantur "filii," quia "filii" in Verbi sensu spirituali significant vera, ac in opposito sensu falsa, videatur supra (n. 166). Praeterea quod "regnum Dei" significet ecclesiam quoad vera ex bono, et quoque caelum, videatur etiam supra (n. 48): et quod "regnum Dei apud hominem" significet in veris ex bono esse a Domino, ita in sapientia, et inde in potentia resistendi falsis et malis, et sic quod "regnare" sit solius Domini, etiam supra (n. 333).

684[*a*]. Dicitur quod "facta sunt regna mundi Domini nostri ac Christi Ipsius;" et per id significatur quod tunc recipiatur Divinum Bonum ac Divinum Verum, quando mali a bonis separati sunt, et illi in infernum conjecti; tunc enim possunt caeli tam superiores quam inferiores in illustratione esse, et inde in perceptione boni et veri, quod non fieri potest quamdiu mali conjuncti sunt bonis; nam tamdiu interiora angelorum qui in inferioribus caelis sunt non possunt aperiri, sed solum exteriora, et Dominus non regnat in externis separatis ab internis apud spiritus et homines, sed in internis et ex illis in externis; quare antequam aperta sunt interiora angelorum ultimi caeli, quae sunt spiritualia et caelestia, non illud caelum ita factum est regnum Domini sicut post separationem malorum ab illis. Dicitur quod "regna mundi facta sint Domini nostri et Christi Ipsius," ac per "Dominum" ibi intelligitur idem quod per "Jehovam" in Veteri Testamento et per "Patrem" in Novo, nempe Dominus quoad Ipsum Divinum, et quoque quoad Divinum Bonum; ac per "Christum" intel-

ligitur idem quod per "Deum" in Veteri Testamento et per "Filium Dei" in Novo, nempe Dominus quoad Divinum Humanum, et quoque quoad Divinum Verum; nam per "Christum" simile significatur quod per "Unctum," "Messiam" et "Regem;" et per "Unctum," "Messiam" et "Regem" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, et quoque quoad Divinum Humanum quando fuit in mundo, nam tunc Dominus quoad Humanum suum fuit Divinum Verum: simile itaque significatur per "Unctum Jehovae;" nam Ipsum Divinum, quod "Jehovah" et "Pater" vocatur, ac in sua essentia erat Divinum Bonum Divini Amoris, unxit Divinum Humanum, quod "Filius Dei" vocatur, ac in sua essentia, dum fuit in mundo, erat Divinum Verum; "unctio" enim significabat quod Divinum Humanum Domini procederet ex Ipso Divino Ipsius, proinde Divinum Verum ex Divino Bono Ipsius. Inde patet quod solus Dominus quoad Divinum Humanum fuerit "Unctus Jehovae" essentialiter, at quod reges et sacerdotes dicti sint "uncti Jehovae" repraesentative; nam "oleum," quo fiebat unctio, significabat Divinum Bonum Divini Amoris. Nunc quia Divinum Verum apud Dominum fuit quod a Divino Bono ungebatur, inde est quod per "Christum," et similiter per "Messiam" et "Unctum," et quoque per "Regem," significetur Divinum Verum procedens a Divino Bono Divini Amoris Domini: quod ita sit constare potest a locis in Verbo ubi "Christus," "Messias" et "Unctus" nominatur. Quod "Christus" sit "Messias," seu "Unctus," constat apud *Johannem*,

> Andreas "invenit fratrem suum Simonem, et dixit ei, Invenimus Messiam, quod est, si interpreteris, Christum" (i. 42 [*B. A.* 41]):

et apud eundem,

> Mulier Samaritis dixit, "Scio quod Messias veniat, qui dicitur Christus" (iv. 25);

ex quibus patet quod Dominus sit vocatus "Christus" ex eo quod esset Messias, cujus adventus in Verbo Veteris Testamenti praedictus est; nam Unctus dicitur *Christus* in Graeca lingua, et *Messias* in Hebraea, et Unctus est Rex. Inde est quod Dominus dictus sit "Rex Israelis" et "Rex Judaeorum," quod etiam fassus est coram Pilato; unde inscriptum cruci fuit,

"Rex Judaeorum" (*Matth.* xxvii. 11, 29, 37, 41; *Luc.* xxiii. 1–4, 35–40):

et apud *Johannem*,

"Dixit Nathanael,...Tu es Filius Dei, Rex Israelis" (i. [1]49 [*B. A.* 48]):

et quia "Unctus," "Christus," "Messias" et "Rex," sunt synonyma, ideo etiam "Filius Dei;" et singula illa nomina in sensu spirituali significant Divinum Verum: quod "Rex" illud significet videatur supra (n. 31, 553, 625); quod etiam "Filius Dei," est quia "filii" in Verbo significant vera, inde "Filius Dei" significat Divinum Verum; quod "filii" significent vera, videatur supra (n. 166). Simile etiam significatur per "Christum" et per "Messiam." Quod per "Christum" significetur Divinum Verum constat apud *Matthaeum*,

"Nolite vocari Rabbi; unus est vester Doctor, Christus" (xxiii. 8):

per "rabbi" et "doctorem" significatur docens Verum, ita abstracte doctrina Veri, ac in supremo sensu Divinum Verum, quod est Christus; quod solus sit Divinum Verum, intelligitur per "Nolite vocari Rabbi; unus est vester Doctor, Christus." Apud eundem,

"Videte ne quis vos seducat; multi enim venient sub nomine meo, dicentes, Ego sum Christus, et multos seducent. ...Si quis dixerit vobis, Ecce hic est Christus, aut ibi, ne credite; surgent enim falsi Christi, et falsi prophetae" (xxiv. [4,] 5, 23, 24; *Marc.* xiii. 21–23):

haec non intelligenda sunt quod surrecturi qui se dicturi Christum aut Christos, sed qui falsificaturi sunt Verbum, et dicturi quod hoc aut illud sit Divinum Verum, cum non sit; illi qui falsa ex Verbo confirmant, intelliguntur per "pseudochristos;" et qui falsa doctrinae excludunt, per "pseudoprophetas:" agitur enim in binis illis capitibus de successiva vastatione ecclesiae, ita de falsificatione Verbi, et tandem de profanatione veri inde. (Sed haec amplius explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3353–3356, et n. 3897–3901.) Et quia "Filius Dei" etiam significat Divinum Verum, ut modo dictum est, ideo aliquoties dicitur

"Christus Filius Dei" (ut *Matth.* xxvi. 63: *Marc.* xiv. [2]61: *Luc.* iv. 41; cap. xxii. 66 ad fin.: *Joh.* vi. 69; cap. xi. 26, 27; cap. xx. 31).

In summa, quod Dominus in mundo dictus fuerit "Christus," "Messias," "Unctus" et "Rex," erat quia in Ipso Solo fuit Divinum Bonum Divini Amoris, ex quo procedit

Divinum Verum; et hoc repraesentabatur per unctionem, "oleum" enim, quo unctio fiebat, significabat Divinum Bonum Divini Amoris, ac "rex," qui ungebatur, Divinum Verum; quare reges, dum uncti fuerunt, repraesentabant Dominum, ac dicti "uncti Jehovae;" at usque solus Dominus quoad Divinum Humanum fuit Unctus Jehovae, quoniam Divinum Bonum Divini Amoris fuit in Ipso, et id erat Jehovah et Pater, ex quo fuit Esse Vitae Domino: nam quod a Jehovah conceptus fuerit, notum est; ita ex Divino Bono Divini Amoris, quod fuit in Ipso ex conceptione, erat Dominus quoad Humanum suum Divinum Verum, quamdiu in mundo fuit: ex quibus constare potest quod Solus Dominus fuerit Unctus Jehovae essentialiter, at quod reges dicti fuerint "uncti Jehovae" repraesentative: inde nunc est quod Dominus quoad Divinum Humanum dictus fuerit "Messias" et "Christus," hoc est, "Unctus."

[*b*.] Hoc quoque constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Spiritus Domini Jehovih super Me, ideo unxit Jehovah Me ad evangelizandum pauperibus, misit Me ad obligandum fractos corde, ad praedicandum captivis libertatem, vinctis, oculis capto, ad proclamandum annum beneplaciti Jehovae, et diem vindictae Deo nostro, ad consolandum omnes lugentes" (lxi. 1[, 2]):

haec manifeste de Domino; Divinum Humanum Ipsius intelligitur quod unxit Dominus Jehovih ad evangelizandum pauperibus, ac misit ad obligandum fractos corde, et plura; illa enim Dominus ex Humano suo peregit. (Sed singula ibi videantur supra, n. 183[*b*], 375[*e*(v.)], 612, explicata.) Apud *Davidem*,

"[Quare] tumultuatae sunt gentes, et populi meditati vanitatem? Constiterunt reges terrae et dominatores consultarunt una contra Jehovam et contra Unctum Ipsius. ....Ego unxi regem meum super Zionem, montem sanctitatis meae. Annuntiabo de statuto, Jehovah dixit ad Me, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te; pete a Me, et dabo gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam fines terrae. ...Osculamini Filium, ne irascatur, et pereatis in via, quia exardebit brevi ira Ipsius, beati omnes confidentes in Ipso" (Ps. ii. 1, 2, 6, 7, [8,] 12):

quod per "Unctum Jehovae" intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, patet; nam dicitur, "Jehovah dixit ad Me, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te; osculamini Filium ne pereatis; beati omnes confidentes in Ipso:"

haec quidem in sensu litterae dicuntur de Davide, sed per "Davidem" in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, seu ut Rex (videatur supra, n. 205); et quoque patet quod agatur ibi de adventu Domini, et tandem de ultimo judicio ab Ipso, ac postea de regno Ipsius super omnia mundi. Spiritualia, quae in singulis latent, et significantur, sunt haec: "Tumultuatae sunt gentes, et populi meditati sunt vanitatem," significant statum ecclesiae et caeli prioris quod transiturus; "gentes" sunt illi qui in malis, et "populi" qui in falsis (videatur supra, n. 175, 331[b], 625): "Constiterunt reges terrae, et dominatores consultarunt una contra Jehovam et contra Unctum Ipsius," significant falsa ecclesiae et mala ejus, quod sint prorsus contra Divinum Bonum ac contra Divinum Verum, ita contra Dominum; "reges terrae" sunt falsa ecclesiae, et "dominatores" sunt mala ejus, et "Jehovah" est Dominus quoad Ipsum Divinum, ita quoad Divinum Bonum, et "Unctus" est Dominus quoad Divinum Humanum, ita quoad Divinum Verum: "Ego unxi Regem meum super Zionem, montem sanctitatis meae," significat Humanum Domini quoad Divinum Verum procedens ex Divino Bono Divini Amoris Ipsius, et inde regnum Ipsius super omnia caeli et ecclesiae; "Zion" et "mons sanctitatis" sunt caelum et ecclesia, proinde etiam omnia caeli et ecclesiae: "Annuntiabo de statuto" significat arcanum providentiae et voluntatis Divinae; "Jehovah dixit ad Me, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te," significat Dominum ut Unctum, Messiam, Christum et Regem, ita quoad Humanum suum conceptum et dein natum ab Ipso Divino seu Jehovah; "hodie" significat statutum ab aeterno, et spectat inde conjunctionem et unionem factam tempore: "Pete a Me, et dabo gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam fines terrae," significat regnum et dominium Ipsius super omnia caeli et ecclesiae, quae Ipsius erunt: "Osculamini Filium" significat conjunctionem cum Domino per amorem ("osculari" significat conjunctionem ex amore); "ne irascatur, et pereatis in via," significat ne mala vos invadant et condemnemini, "irasci" enim, ubi de Domino, significat aversionem hominum ab Ipso, ita horum iram et non Domini, et mala sunt quae se avertunt, et dein irascuntur; "quia exardebit brevi ira Ipsius" significat ulti-

mum judicium, et dejectionem malorum in infernum: "beati omnes confidentes in Ipso" significat salvationem per amorem et fidem in Dominum. Apud eundem,

> "Pulcher es longe prae filiis hominum, effusa est gratia super labia tua; ....accinge gladium tuum super femur, Potens decore tuo et honore tuo; et in honore tuo conscende, equita super verbo veritatis et mansuetudinis justitiae, et docebit Te mirabilia dextra tua; tela tua acuta, populi cadent sub Te, ex corde hostes Regis. Thronus tuus, Deus, in saeculum et aeternum; sceptrum rectitudinis sceptrum regni tui: amasti justitiam et odio habuisti malum; propterea unxit Te Deus, Deus tuus oleo gaudii prae sociis tuis, myrrha, aloe et kesia, omnes vestes tuas:....filiae regum inter pretiosas tuas; consistit regina ad dextram tuam in auro optimo Ophiris" (Ps. xlv. 3–10 [*B. A.* 2–9]):

quod haec etiam de Domino dicta sint, ex singulis in eo psalmo patet; et inde quod Ipse sit de quo dicitur, "Unxit Te Deus, Deus tuus oleo gaudii, myrrha, aloe, kesia, et omnes vestes tuas;" quae quid significant, ex serie constare potest: nempe, quod Ipsi sit Divina Sapientia, et ab Ipso doctrina Divini Veri, significatur per "Pulcher es longe prae filiis hominum, effusa est gratia super labia tua;" "pulcher" significat sapientem, "filii hominum" significant intelligentes in Divinis veris, et "labia" significant doctrinalia: Ipsius omnipotentia ex Divino Vero procedente ex Divino Bono, et inde destructio falsorum et malorum, et subjugatio infernorum, significatur per "Accinge gladium super femur, Potens decore et honore, et in honore tuo conscende, equita super verbo veritatis, docebit Te mirabilia dextra tua, tela tua acuta, populi cadent sub Te, ex corde hostes Regis;" per "gladium" significatur verum pugnans contra falsum et destruens illud, per "currum" doctrina veri, similiter per "verbum veritatis," per "equitare" instruere et pugnare, per "dextram" omnipotentia, per "tela" significantur vera pugnantia, per "populos" illi qui in falsis mali, et per "hostes Regis" qui contra vera, ita inferna: quod inde Ipsi regnum et dominium in aeternum, significatur per "Thronus tuus, Deus, in saeculum et aeternum; sceptrum rectitudinis sceptrum regni tui;" "sceptrum rectitudinis" est Divinum Verum cui potentia et regnum: quia vindicavit bonos a damnatione destruendo malos, quod ideo Ipsum Divinum univerit Se Humano Ipsius, significatur per "Amasti justitiam et odio habuisti malum, propterea unxit Te Deus,

Deus tuus oleo gaudii prae sociis tuis;" "amare justitiam et odio habere malum" significat vindicare bonos a damnatione destruendo malos, "ungere oleo gaudii" significat unire Se per victorias in tentationibus, "Deus, Deus tuus," significat unitionem reciprocam Humani cum Divino, ac Divini cum Humano: Divina Vera unita Divinis Bonis significantur per "Unxit myrrha, et aloe et kesia, omnes vestes tuas;" "myrrha" significat bonum ultimi gradus, "aloe" bonum secundi, et "kesia" bonum tertii, similiter ac tria illa aromata commixta oleo olivae, unde "oleum sanctitatis" per quod unctio (*Exod.* xxx. 23, 24); "oleum" illud significabat Divinum Bonum Divini Amoris, ac "vestes" quae ungebantur significant Divina vera: quod affectiones veri spirituales sint illis qui ex regno Ipsius, significatur per quod "filiae regum inter pretiosas tuas;" "filiae regum" sunt affectiones veri spirituales, quae "pretiosae" dicuntur cum vera genuina sunt: et quod caelum et ecclesia sint in tutela Ipsius et Ipsi conjuncta quia in amore in Ipsum ab Ipso, significatur per quod "[consistat] regina ad dextram tuam in auro [1]optimo Ophiris;" "regina" significat caelum et ecclesiam, "ad dextram" significat in tutela ex conjunctione cum Ipso, et "aurum optimum Ophiris" est bonum amoris in Dominum.

[**c.**] Apud eundem,

"Pepigi foedus Electo meo, juravi Davidi servo meo, in aeternum usque firmabo semen tuum, et aedificabo in generationem et generationem thronum tuum. ....Locutus es in visione Sancto tuo, et dixisti, Posui auxilium super potentem, exaltavi electum e populo, inveni Davidem servum meum, oleo sanctitatis meae unxi Ipsum, cum quo manus mea firma erit, etiam brachium meum corroborabit Ipsum. ....Contundam coram Ipso hostes Ipsius, et osores Ipsius percutiam:....ponam in mari manum Ipsius, et in fluviis dextram Ipsius; Ille vocabit Me, Pater meus Tu, Deus meus, et Petra salutis meae; etiam Ego Primogenitum dabo Ipsum, altum regibus terrae;....et foedus meum stabile Illi: et ponam in aeternum semen Ipsius, et thronum Ipsius sicut dies caelorum. ....Semel juravi per sanctitatem meam, si Davidi mentiar, semen Ipsius in aeternum erit, et thronus Ipsius sicut sol coram Me, sicut luna firmus in aeterum, testis in nubibus fidelis" (Ps. lxxxix. 4, 5, 20–22, 24, 26–30, 36–38 [*B. A.* 3, 4, 19–21, 23, 25–29, 35–37]):

quod per "Davidem" hic non intelligatur David, sed Dominus quoad regium Ipsius, quod est Divinum spirituale, et vocatur Divinum Verum, patet evidenter ex illis quae ibi de Davide dicuntur; nempe, quod "semen et thronus

ejus erit sicut dies caelorum, et sicut sol et luna in aeternum," quod "ponet in mari manum, et in fluviis dextram," et quod "Jehovam vocabit Patrem," quodque "Primogenitus erit altus regibus terrae," et plura quae non de Davide, ejus filiis et throno, dici possunt: quod per "Davidem" intelligitur Dominus in Verbo, videatur supra (n. 205); sed ad singula: "Pepigi foedus electo meo, juravi Davidi servo meo," significat unitionem Ipsius Divini cum Humano; "pangere foedus" significat uniri, "jurare" confirmare unionem, "electus" dicitur ex bono, et "servus" ex vero: "in aeternum usque firmabo semen tuum, et aedificabo in generationem et generationem thronum tuum," significat Divinum Verum, ac caelum et ecclesiam ab Ipso; "semen" est Divinum Verum, et sunt illi qui recipiunt; ac "thronus" est caelum et ecclesia: "Locutus es in visione Sancto tuo" significat arcanum propheticum de Domino: "Posui auxilium super potentem, exaltavi electum e populo," significat Divinum Verum per quod Divinum Bonum operatur omnia; id vocatur "auxilium super potentem," et alibi "dextra Jehovae;" Divina majestas et potentia ex eo significatur per "exaltationem electi e populo:" "Inveni Davidem servum meum, oleo sanctitatis unxi Ipsum," significat Dominum quoad Divinum Humanum, ac unionem cum ipso Divino, quae unio vocatur glorificatio in Verbo Novi Testamenti; et illa unio intelligitur per "ungi oleo sanctitatis," "oleum" enim "sanctitatis" significat Divinum Bonum Divini Amoris, ac "ungi" significat uniri Divino Vero quod fuit Humani Domini in mundo: "cum quo manus mea firma erit, etiam brachium meum corroborabit Ipsum," significat inde omnipotentiam; "manus" significat omnipotentiam veri ex bono, et "brachium" omnipotentiam boni per verum: "Contundam coram Ipso hostes Ipsius, et osores Ipsius percutiam," significat pugnam cum victoria contra falsa et mala, ita contra inferna: "Ponam in mari manum Ipsius, et in fluviis dextram Ipsius," significat extensionem dominii et regni Ipsius super omnia caeli et ecclesiae; "maria" enim et "fluvii" sunt ultima caeli, et ultima significant omnia: "Ille vocabit Me, Pater meus Tu, Deus meus, et Petra salutis meae," significat Divinum Humanum quod est Filius Dei, qui ab Ipso conceptus et dein genitus est; et quia inde fuit Humano Domini Divi-

num Verum ac Divina Potentia, vocatur etiam "Deus" et "Petra salutis:" "etiam Ego Primogenitum dabo Ipsum, altum regibus terrae," significat quod sit supra omne bonum et verum caeli et ecclesiae, quia bona et vera ibi sunt ab Ipso: "et foedus meum stabile Ipsi" significat unionem aeternam: "Ponam in aeternum semen Ipsius, et thronum Ipsius sicut dies caelorum," [1]significat hic ut supra; "dies caelorum" sunt status totius caeli, qui ex Divino Ipsius: "Semel juravi per sanctitatem meam, si Davidi mentiar," significat confirmationem aeternam, quia ex Divino, de Domino, et de unione Humani Ipsius cum Ipso Divino; "semen Ipsius in aeternum erit, et thronus Ipsius sicut sol coram Me, sicut luna firmus erit in aeternum," similiter ut supra ubi de "semine" et de "throno," "sicut sol et luna" dicitur, quoniam ex "sole" praedicatur aeternitas quoad Divinum Bonum, et ex "luna" Divinum Verum, illa enim per "solem" et "lunam" significantur; "testis in nubibus fidelis" significat agnitionem et confessionem ex Verbo de Divino in Humano Domini; quod id sit "testis in nubibus," videatur supra (n. 10, 27, 228, 392[b–e], 649). Apud eundem,

"Memento, Jehovah, Davidis, omne [2]laborare ejus: qui juravit Jehovae, vovit forti Jacobi, Si intravero intra tentorium domus meae, si ascendero super spondam strati mei, ... usque dum invenero locum Jehovae, habitacula forti Jacobi: ecce audivimus de Ipso in Ephrata, invenimus Ipsum in agris silvae; intrabimus in habitacula Ipsius, incurvabimus nos scabello pedum Ipsius. Surge, Jehovah, ad requiem tuam, Tu et arca fortitudinis tuae: sacerdotes tui induantur justitia, et sancti tui jubilent, propter Davidem servum tuum, ne avertas facies Uncti tui." . . . . In Zione "germinare faciam cornu Davidi, disponam lucernam Uncto meo; hostes Ipsius induam pudore; sed super Ipso florebit corona Ipsius" (Ps. cxxxii. [1,] 2, 3, 5–10, 17, 18):

per "Davidem" et "Unctum" seu Christum etiam hic non intelligitur David, sed Dominus quoad Divinum Humanum; nam dicitur quod "habitacula Ipsius," nempe fortis Jacobi, "inveniantur in Ephrata," quae est Bethlechem, et quod "se incurvaturi sint scabello pedum Ipsius;" sed quod ita sit, ex singulis ordine explicatis melius patet: "qui juravit Jehovae, vovit forti Jacobi," significat asseverationem irrevocabilem coram Domino, qui "Jehovah" vocatur ex Divino in primis, et "fortis Jacobi" ex Divino in ultimis, in quibus Divina potentia est in suo pleno: "Si intravero intra tentorium domus meae, si ascendero super spondam

strati mei," significat quod non intraturus et sciturus illa quae ecclesiae sunt, et quae doctrinae ejus; "tentorium domus" significat sancta ecclesiae, et "sponda strati" doctrinam ejus: "usque dum invenero locum Jehovae, habitacula forti Jacobi," significat priusquam scivero adventum Domini, et arcana unionis Humani Ipsius cum Divino; haec in supremo sensu sunt "locus Jehovae" et "habitacula" Divini Humani Domini: "ecce audivimus de Ipso in Ephrata, invenimus Ipsum in agris silvae," significat in spirituali sensu Verbi, et quoque in naturali; "Ephrata" enim et "Bethlechem" significant spirituale naturale, et "agri silvae" naturale, utrumque Verbi, nam ibi invenitur Dominus: "intrabimus in habitacula Ipsius, incurvabimus nos scabello pedum Ipsius," significat quod ibi inveniatur, Ipse enim est Verbum; "habitacula Ipsius" ibi sunt illa quae sensus spiritualis Verbi sunt, proinde sunt caeli, quoniam hi in sensu Verbi spirituali sunt; et "scabellum pedum Ipsius" sunt quae sensus naturalis Verbi sunt, proinde etiam est ecclesia, quoniam in ecclesia sunt Divina vera in suis ultimis, quae spiritualibus Verbi et caelorum, ita Ipsi Domino, qui in illis habitat, inserviunt pro scabello pedum: "Surge, Jehovah, ad requiem tuam, Tu et arca fortitudinis tuae," significat unitionem Ipsius Divini cum Humano in Domino, ac inde pacem omnibus in caelo et ecclesia; "requies Jehovae" est unitio illa, et "arca fortitudinis Ipsius" est caelum et ecclesia: "sacerdotes tui induantur justitia, et sancti tui jubilent," significat inde cultum ex amore illis qui in caelesti bono, et cultum ex charitate illis qui in spirituali bono, nam "sacerdotes" sunt illi qui in caelesti regno Domini, et "sancti" vocantur illi qui in spirituali regno: "propter Davidem servum tuum, ne avertas facies Uncti tui," significat ut accendantur amore et illustrentur luce veri, dum unitum est Divinum Verum Divino Bono in Domino, ita Ipsum Divinum Humano, ac Humanum Divino; nam "David" ut "servus" significat Humanum Domini quoad Divinum Verum, et "Unctus" significat hoc unitum Divino Bono, "facies Ipsius" significat Divinum Amorem et inde illustrationem: "In Zione germinare faciam cornu Davidi" significat potentiam Divini Veri ab Ipso in caelo et in ecclesia: "disponam lucernam Uncto meo" significat illustrationem Divini Veri

ex unitione Divini et Humani in Domino; "lucerna" est Divinum Verum quoad illustrationem: "hostes Ipsius induam pudore" significat subjugationem infernorum, ac dissipationem malorum inde: "sed super Ipso florebit corona Ipsius" significat perpetuam et aeternam victoriam super illa.

[*d.*] Ex adductis his locis e Verbo constare potest quod Dominus dicatur "Unctus," quod est Messias seu Christus, ex unito Divino Bono cum Divino Vero in Humano Ipsius, nam Humanum Domini ex unione illa intelligitur per "Unctum Jehovae." Similiter in *Libro Primo Samuelis*,

> "Jehovah judicabit fines terrae, et dabit robur Regi suo, et exaltabit cornu Uncti sui" (ii. 10):

haec in prophetico Channae matris Samuelis, antequam super Israelem fuit aliquis rex seu unctus; quare per "Regem" et "Unctum" ibi intelligitur Dominus, cui "datur robur" et "exaltatur cornu" quando Divinum unitum est Humano; per "robur" significatur potentia boni supra malum, et per "cornu" potentia veri supra falsum, ac verum "exaltari" dicitur cum fit interius, in eo etiam gradu fit potentius. Similiter per "Unctum" in *Threnis*,

> "Spiritus narium nostrarum, Unctus Jehovae, captus est in foveis eorum; de quo dixeramus, In umbra Ipsius vivemus inter gentes" (iv. 20):

per "unctum Jehovae" in sensu litterae hic intelligitur rex qui captivus factus est, sed in sensu spirituali intelligitur Dominus; quare dicitur "spiritus narium nostrarum," hoc est, vita perceptionis boni et veri: "captus in foveis" significat rejectus ab illis qui in falsis mali sunt; "foveae" sunt falsa doctrinae; "in umbra Ipsius vivere" significat in tutela Ipsius esse contra falsa mali quae sunt "gentes." Quoniam per "Unctum," "Messiam" seu "Christum," significatur Dominus quoad Divinum Humanum, ita quoad Divinum Bonum unitum Divino Vero, quare per "unctionem" significatur unitio illa: de qua ita Dominus,

> "Ego in Patre sum et Pater in Me;....credite Mihi quod Ego in Patre et Pater in Me" (*Joh.* xiv. 7–11);

et alibi,

> "Pater et Ego unum sumus;....cognoscatis et credatis quod Ego in Patre, et Pater in Me" (*Joh.* x. 30, 38):

et quoniam hoc repraesentabatur per unctionem Aharonis et filiorum ejus ideo

> Sancta filiorum Israelis, quae erant Ipsius Jehovae, data sunt Aharoni et filiis ejus pro unctione (*Num.* xviii. 8):

sancta, quae fuerunt Jehovae, Aharoni et filiis ejus data pro unctione, enumerantur a vers. 9 ad 19 illius capitis: sed videantur quae de unctionibus prius etiam dicta sunt; ut quod Solus Dominus quoad Divinum Humanum fuerit "Unctus Jehovae," quia in Ipso erat Divinum Bonum Divini Amoris, quod per "oleum" significabatur; et quod reliqui uncti oleo Ipsum modo repraesentaverint (n. 375[*e*(iv.,v.)]). Haec de "Uncto Jehovae," quia "Unctus Jehovae" est Christus, ut sciatur quod per "Dominum et Christum Ipsius" in hoc loco *Apocalypseos* non intelligantur duo, sed quod intelligatur unus, seu quod unum sint, sicut "Unctus Jehovae," et "Christus Domini" (*Luc.* ii. 26).

[*e.*] Quia hic agitur de Domino, ut sciatur unde est quod dictus sit Christus, hoc est, Messias seu Unctus, interest ut explicentur quae apud *Danielem* leguntur de Messia,

> "Septimanae septuaginta decisae sunt super populum tuum, et super urbem sanctitatis tuam, ad consummandum praevaricationem, et ad obsignandum peccata, et ad expiandum iniquitatem, et ad adducendum justitiam saeculorum, et ad obsignandum visionem et prophetam, et ad ungendum sanctum sanctorum. Scito ergo et percipito ab exitu Verbi ad usque restituendum et aedificandum Hierosolymam, usque ad Messiam Principem, septimanae septem: postea septimanis sexaginta et duabus restituetur et aedificabitur platea et fossa, sed in angustia temporum. Post autem septimanas sexaginta duas excidetur Messias, sed non Sibi: deinde urbem et sanctuarium perdet populus principis venturi, ita ut finis ejus cum inundatione, et usque ad finem belli decisae desolationes. Confirmabit tamen foedus multis septimana una; sed in medio septimanae cessare faciet sacrificium et mincham: tandem super avem abominationum desolatio, et usque ad consummationem et decisum stillabit super devastationem" (*Dan.* ix. 24–27):

sensus horum verborum a multis eruditis pervestigatus et explicatus est, sed solum quoad sensum litteralem, at nondum quoad sensum spiritualem; hic enim sensus in orbe Christiano hactenus ignotus fuerat. In hoc sensu sequentia per illa verba significantur: "Septimanae septuaginta decisae sunt super populum tuum" significat tempus et statum ecclesiae quae tunc apud Judaeos, usque ad finem ejus; "septem" et "septuaginta" significant plenum

a principio ad finem, et "populus" significat illos qui tunc ab ecclesia: "et super urbem sanctitatis tuam" significat tempus et statum finis ecclesiae quoad doctrinam veri ex Verbo; "urbs" significat doctrinam veri, et "urbs sanctitatis" Divinum Verum quod est Verbum: "ad consummandum praevaricationem, et ad obsignandum peccata, et ad expiandum iniquitatem," significat quando non nisi quam falsa et mala in ecclesia sunt, ita quando iniquitas est impleta et consummata; nam antequam id factum est, non venit finis, ex causis de quibus in opusculo *De Ultimo Judicio;* nam si prius, perituri essent simplices boni, qui quoad externa conjuncti sunt cum illis qui vera et bona simulant et hypocritice mentiuntur in externis; quare adjicitur, "ad adducendum justitiam saeculorum," per quae significatur ad salvandos illos qui in bono fidei et charitatis sunt: "et ad obsignandum visionem et prophetam" significat ad implendum omnia quae in Verbo: "ad ungendum sanctum sanctorum" significat ad uniendum Ipsum Divinum cum Humano in Domino, hoc enim est "sanctum sanctorum:" "Scito ergo et percipito ab exitu Verbi," significat a fine Verbi Veteris Testamenti, quia id in Domino implendum est; omnia enim Verbi Veteris Testamenti in sensu supremo agunt de Domino, et de glorificatione Humani Ipsius, et sic de dominio Ipsius super omnia caeli et mundi: "ad usque restituendum et ad aedificandum Hierosolymam" significat quando nova ecclesia instauranda est; "Hierosolyma" significat ecclesiam illam, et "aedificare" significat e novo instaurare: "usque ad Messiam Principem" significat usque ad Dominum, et Divinum Verum in Ipso et ex Ipso; Dominus enim "Messias" dicitur ex Divino Humano, et "Princeps" ex Divino Vero: "septimanae septem" significant tempus et statum plenum: "postea septimanis sexaginta et duabus restituetur et aedificabitur platea et fossa" significat tempus et statum plenum post Ipsius adventum usque dum instaurata est ecclesia cum ejus veris et doctrina; "sexaginta" significant tempus et statum plenum quoad implantationem veri, similia quae numerus "tria" aut "sex;" et "duo" significant illa quoad bonum; ita "sexaginta et duo" simul significant conjugium veri cum pauco bono; "platea" significat verum doctrinae, et "fossa" doctrinam: (quid "platea,"

videatur supra, n. 652, et quid "fossa" aut "puteus," n. 537:) "sed in angustia temporum" significat aegre et difficulter, quia apud gentes, quibus parum perceptionis veri spiritualis: "post autem septimanas sexaginta et duas" significat post tempus et statum plenum instauratae ecclesiae quoad verum et quoad bonum: "excidetur Messias" significat quod recedent a Domino, quod factum imprimis a Babylonicis per translationem Divinae potentiae Domini in pontifices, et sic per non agnitionem Divini in Humano Ipsius: "sed non Sibi" significat quod usque potestas Ipsi et Divinum Ipsi: "deinde urbem et sanctuarium perdet populus principis venturi" significat quod sic peritura sit doctrina et ecclesia per falsa; "urbs" significat doctrinam, "sanctuarium" ecclesiam, et "princeps venturus" falsum regnans: "ita ut finis ejus cum inundatione, et usque ad finem belli decisae desolationes," significat falsificationem veri, usque dum non aliqua inter verum et falsum sit pugna; "inundatio significat falsificationem veri, "bellum" pugnam inter verum et falsum, et "desolatio" statum ultimum ecclesiae, dum non amplius aliquod verum sed mere falsum: "confirmabit tamen foedus septimana una" significat tempus Reformationis, quando iterum lectio Verbi, et agnitio Domini, nempe Divini in Humano Ipsius; haec agnitio et inde conjunctio Domini per Verbum significatur per "foedus," et tempus Reformationis per "septimanam unam:" "sed in medio septimanae cessare faciet sacrificium et mincham" significat quod usque interius apud illos qui reformati non verum et bonum in cultu; "sacrificium" significat cultum ex veris, et "mincha" cultum ex bonis; per "medium septimanae" non significatur medium temporis illius, sed intimum status apud Reformatos, "medium" enim significat intimum, ac "septimana" statum ecclesiae; causa quod non verum et bonum in cultu interius esset post Reformationem, est quia assumpserunt fidem pro essentiali ecclesiae et separarunt illam a charitate; et quando fides separata est a charitate, tunc in intimo cultus non est verum nec bonum, intimum enim cultus est bonum charitatis, et ex illo procedit verum fidei: "tandem super avem abominationum desolatio" significat exstinctionem omnis veri per fidei separationem a charitate; "avis abominationum" significat fidem solam,

ita separatam a charitate, "avis" enim significat cogitationem de veris Verbi ac intellectum eorum, quae "avis abominationum" fit quando non aliqua affectio spiritualis veri est quae illustrat et docet verum, sed modo affectio naturalis quae est propter famam, gloriam, honorem et lucrum; quae affectio, quia est infernalis, est abominabilis, quoniam inde mere falsa: "et usque ad consummationem et decisum stillabit super devastationem" significat extremum ejus quando nihil veri et fidei amplius, et quando ultimum judicium. Quod haec ultima apud *Danielem*, praedicta sint de fine Ecclesiae Christianae, patet a Domini verbis apud *Matthaeum*,

"Cum videritis abominationem desolationis praedictam a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit animadvertat" (xxiv. 15);

nam in eo capite agitur de consummatione saeculi, ita de successiva vastatione Ecclesiae Christianae; quare hujus ecclesiae devastatio per illa verba apud *Danielem* intelligitur. (Quid autem in sensu spirituali per illa significatur, explicatum est in *Arcanis Caelestibus*, n. 3652.) Ex his nunc constare potest quid significatur per quod "regna mundi facta sint Domini et Christi Ipsius;" pariter quid per "Domini Christum" seu "Christum Domini" apud *Lucam*,

Simeoni "responsum factum est a spiritu sancto, non visurum mortem antequam videret Christum Domini" (ii. 26).

685. ***"Et regnabit in saecula saeculorum."***—Quod significet *dominium Ipsius per Divinum Verum in aeternum*, constat ex significatione "regnare," cum de Domino, quod sit dominari per Divinum Verum (de qua sequitur); et ex significatione "in saecula saeculorum," quod sit in aeternum. Quod "in saecula saeculorum" sit in aeternum, est quia sensus litterae Verbi est naturalis, cui sensus spiritualis correspondet; sensus naturalis Verbi consistit ex talibus quae in Natura sunt, quae in genere se referunt ad tempora et spatia, adque loca et personas; ac "saecula saeculorum" sunt temporum, quibus in sensu spirituali correspondet aeternum: simile est cum "generatione generationum," ubi agitur de propagatione fidei et charitatis in ecclesia. Quod "regnare," cum de Domino, significet dominari per Divinum Verum, est quia "dominium" dicitur de bono, ac "regnare" de vero; nam Dominus dicitur "Dominus"

ex Divino Bono, et "Rex" ex Divino Vero: inde est quod in Verbo passim dicatur utrumque, nempe "dominium" et "regnum," seu "dominari" et "regnare," ut in sequentibus locis:—Apud *Micham*,

> "Tu....clive filiae Zionis, ad te veniet et redibit dominium prius, regnum filiae Hierosolymae" (iv. 8):

quia per "filiam Zionis" significatur ecclesia caelestis, cujus essentiale est bonum amoris, ideo de illa dicitur "dominium;" et quia per "filiam Hierosolymae" significatur ecclesia spiritualis, cujus essentiale est verum doctrinae, ideo de illa dicitur "regnum." Apud *Davidem*,

> "Regnum tuum regnum omnium saeculorum, et dominium tuum in omnem generationem et generationem" (Ps. cxlv. 13);

apud *Danielem*,

> "Datum est" Filio hominis "dominium, gloria et regnum....; dominium Ipsius dominium saeculi,....et regnum Ipsius quod non peribit" (vii. 14);

apud eundem,

> "Regnum et dominium, et majestas regnorum...dabitur populo sanctorum altissimorum" (vii. 27):

in illis locis "dominium" dicitur de bono, quia ex hoc Dominus vocatur "Dominus," et "regnum" dicitur de vero, quia ex hoc Dominus vocatur "Rex:" ut in *Apocalypsi*,

> Qui insedit Equo albo "habebat super vestimento et super femore nomen scriptum, Rex regum et Dominus dominorum" (xix. 16):

"Rex regum" dicitur de nomine "super vestimento," et "Dominus dominorum" de nomine "super femore;" per "vestimentum" enim significatur verum, ibi Divinum Verum quia de Domino, et per "femur" bonum, ibi Divinum Bonum Divini Amoris. Similiter applicate ad homines, apud *Davidem*,

> "Constiterunt reges terrae, et dominatores consultarunt una" (Ps. ii. 2).

Ex his constare potest quid in specie significatur per "regnare in saecula saeculorum." Quod "regnum" significet caelum et ecclesiam quoad verum doctrinae, videatur supra (n. 48): et inde quod "regnare" sit solius Domini; et cum dicitur de homine, quod sit in veris ex bono esse a Domino, et inde in potentia resistendi falsis ex malo (n. 333).

VERSUS 16, 17.

686. ***"Et viginti et quatuor seniores, qui coram Deo sedentes super thronis suis, ceciderunt super facies suas et adoraverunt Deum. Dicentes, Gratias agimus Tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, qui eras, et qui venturus es, quod adeptus sis potentiam tuam magnam, et regnum inieris."***

16. ***"Et viginti et quatuor seniores, qui coram Deo sedentes super thronis suis,"*** significat *caelos superiores in luce et potentia a Domino ad separandum malos a bonis ante diem ultimi judicii brevi venturum* [n. 687]; ***"ceciderunt super facies suas et adoraverunt Deum,"*** significat *adorationem Domini apud illos ex humillimo corde* [n. 688].

17. ***"Dicentes, gratias agimus Tibi, Domine Deus omnipotens,"*** significat *agnitionem quod omne esse, vivere et posse sit a Domino* [n. 689]; ***"qui es et qui eras et qui venturus es,"*** significat *ab Ipso qui est omne in omnibus caeli et ecclesiae ab aeterno in aeternum* [n. 690]; ***"quod adeptus sis potentiam tuam magnam, et regnum inieris,"*** significat *instaurationem novi caeli et novae ecclesiae, destructo priori et caelo et ecclesia* [n. 691].

687[*a*]. [*Vers.* 16.] ***"Et viginti et quatuor seniores, qui coram Deo sedentes super thronis suis."***—[1]Quod significet *caelos superiores in luce et potentia a Domino ad separandum malos a bonis ante diem ultimi judicii brevi venturum*, constat ex significatione "viginti et quatuor seniorum," quod sint caeli superiores (de qua supra, n. [2]322, 362, 462); et ex significatione "sedere super thronis," quod sit esse in opere ad judicandum, nam per "thronos" significantur caeli, ac per "sedere super thronis" significatur judicare; et quia angeli caeli non judicant, sed solus Dominus, et quia Dominus disponit illos caelos per influxum et praesentiam ad faciendum inde judicium super illos qui infra caelos congregati sunt, ideo per illa verba significatur quod superiores caeli in luce et potentia sint a Domino ad separandum malos a bonis ante diem ultimi judicii. Quod hic sensus internus illorum verborum sit, constat ex illis quae in hoc capite sequuntur, tum ex illis quae de hac re supra dicta sunt. *Ex illis quae in hoc capite sequuntur*, patet quod caeli superiores in luce et potentia sint a Domino, nam propterea "ceciderunt super facies suas et adoraverunt Dominum, et gratias egerunt quod adeptus sit potentiam suam magnam et quod inierit regnum," et postea quod "apertum sit templum in caelo, ac visa sit arca foederis in templo;" per haec significatur lux ibi, et per priora potentia ibi a solo Domino: quod sit ad separandum malos a bonis ante diem ultimi judicii, etiam patet, nam dicitur quod "gentes iratae sint," et quod "veniat ira tua, et

tempus mortuos judicandi;" et dein quod "facta sint fulgura et voces et tonitrua et terrae motus et grando magna," per quae significatur separatio malorum a bonis, ac signum praesentiae ultimi judicii; quia haec sunt de quibus agitur, et quia per "viginti et quatuor seniores sedentes coram Deo super thronis" intelliguntur caeli superiores dispositi ad faciendum inde ultimum judicium, sequitur quod illa verba involvant talia quae dicta sunt. *Ex illis quae de hac re supra dicta sunt*, patet quod caeli superiores ante ultimum judicium missi sint in statum lucis et potentiae, ut ex illis influxus fieret in inferiora, per quem separarentur mali a bonis, et dein mali dejicerentur in inferna (videatur supra, n. 411[a], 413[a], 418[a], 419[a], 426, 493, 497, 674, 675[a], 676). Quod "thronus" significet in genere caelum, in specie caelos ubi regnum spirituale Domini, et abstracte Divinum Verum procedens a Domino, et quod dicatur de judicio, videatur etiam supra (n. 253, 297, [1]343, 460, 482); et ibi etiam quod tametsi dicitur de viginti et quatuor senioribus quod "sederent super thronis," similiter de apostolis quod "sederent super duodecim thronis judicantes duodecim tribus Israelis," et quoque de angelis quod "venturi cum Domino ad judicium," usque solus Dominus judicaturus sit; nam per "viginti et quatuor seniores," per "duodecim apostolos," et per "angelos," intelliguntur omnia vera ecclesiae, et in summa Divinum Verum, ex quo judicium: et quia Divinum Verum per illos intelligitur, et omne Divinum Verum procedit a Domino, ideo est soli Domino judicium. Quis non videre potest quod judicare myriades myriadum, quemvis secundum statum amoris et fidei ejus, tam in interno homine quam in externo ejus, non possint aliqui angeli, sed solum potest Dominus ex Divino quod est in Ipso et quod procedit ab Ipso? tum quod judicare omnes in caelis et in terris sit infinitae sapientiae et infinitae potentiae, quae ne quidem ad minimam partem cadit in entia finita, qualia sunt angeli, ac fuerunt seniores Israelis et apostoli Domini? Hi simul sumpti ne quidem judicare unum hominem aut unum spiritum possunt; nam qui judicaturus est, videbit omnem statum hominis qui judicandus est ab infantia ad ultimum vitae ejus in mundo, ac postea statum vitae ejus futurum in aeternum; erit enim aeternum et infinitum in omni visu et inde in omnibus et singulis judicii, quod in

solo et ex solo Divino est, quia id infinitum et aeternum.

[*b.*] Dicitur in Verbo "ambulare coram Deo," "stare coram Deo," et "sedere coram Deo," ut hic; quid per "stare coram Deo" significatur, videatur supra (n. 414); et quid per "ambulare coram Deo" (n. 97); quid per "sedere coram Deo," ut hic de "viginti quatuor senioribus" dicitur, constare potest ex locis in Verbo ubi "sedere" legitur; nam in mundo spirituali omnia quae sunt motus et quae sunt quietis hominis significant illa quae vitae hominis sunt, quia inde procedunt: ambulationes et profectiones sunt motus hominis, et inde significant progressionem vitae, seu progressionem cogitationis ex intentione voluntatis; at stationes et sessiones sunt quietis hominis, et inde significant esse vitae ex quo existere ejus, ita facere ut vivat; quare "sedere super thronis," cum de judicio, significat esse in opere ad judicandum, proinde etiam judicare; inde dicitur "sedere judicium" quod est facere judicium; tum "sedere super throno," cum de regno, significat esse rex seu regnare. Quid praeterea "sedere" in spirituali sensu significat, constare potest a sequentibus his locis:—Apud *Davidem*,

> "Beatus vir qui non ambulat in consilio impiorum, et in via peccatorum non stat, et in sede irrisorum non sedet" (Ps. i. 1):

hic "ambulare," "stare" et "sedere" dicitur, quia unum sequitur alterum; "ambulare" enim est vitae cogitationis ex intentione, "stare" est vitae intentionis ex voluntate, ac "sedere" est vitae voluntatis, ita est esse vitae; etiam "consilium," de quo dicitur "ambulare," spectat cogitationem, "via" in qua dicitur "stare" spectat intentionem, ac "sedere in sede" voluntatem quae est esse vitae hominis. Quoniam Jehovah, hoc est, Dominus, est ipsum Esse vitae omnium, ideo de Ipso dicitur "sedere:"—Apud *Davidem*,

> "Jehovah in aeternum sedebit" (Ps. ix. 8 [*B. A.* 7]);

apud eundem,

> "Jehovah ad diluvium sedet, et sedet Rex in aeternum" (Ps. xxix. 10);

apud eundem,

> "Regnat Deus super gentes, Deus sedet super throno sanctitatis suae" (Ps. xlvii. 9 [*B. A.* 8]);

apud *Matthaeum*,

> "Quando venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes sancti angeli cum Ipso, tunc sedebit super throno gloriae suae" (xxv. 31);

"sedere super throno gloriae suae" significat in Divino suo Vero esse, ex quo judicium: similiter alibi apud eundem,

> "Quando sedebit Filius hominis super throno gloriae suae, sedebitis etiam vos super duodecim thronis, judicantes duodecim tribus Israelis" (xix. [1]28; *Luc.* xxii. 30):

quoniam per "angelos," tum per "duodecim apostolos," et quoque per "duodecim tribus Israelis," significantur omnia vera ecclesiae, et in supremo sensu Divinum Verum, ideo [per] "sedere super thronis" non intelligitur quod ipsi sessuri sint, sed quod Dominus quoad Divinum Verum, ex quo judicium; et per "judicare duodecim tribus Israelis" significatur judicare omnes secundum vera ecclesiae suae: inde patet, quod [per] "sedere super throno," cum de Domino, significetur esse judicans, ita judicare; "thronus gloriae" dicitur, quia "gloria" significat Divinum Verum (videatur supra, n. [2]33, 288, 345, 678). Apud *Evangelistas*,

> "David dixit in Libro Psalmorum, Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum" ([3]*Luc.* xx. 42, 43; *Marc.* xii. 36; *Psalm.* cx. 1):

"Dixit Dominus Domino meo," significat Ipsum Divinum quod "Pater" vocatur, ad Divinum Humanum quod "Filius:" "Sede a dextris meis," significat Divinam potentiam seu omnipotentiam per Divinum Verum: "donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum" significat usque dum victa et subjugata sunt inferna, et mali illuc conjecti; "inimici" sunt inferna, proinde mali, et "scabellum pedum" significat infimam regionem sub caelis, sub qua sunt inferna; nam Dominus dum in mundo erat, fuit Divinum Verum, cui omnipotentia est, et per quod inferna vicit et subjugavit. Apud eosdem,

> Jesus dixit, "Ex nunc videbitis Filium hominis sedentem ex dextris potentiae, et venientem super nubibus caeli" (*Matth.* xxvi. 63, 64; *Marc.* xiv. 61, 62; *Luc.* xxii. 69):

"sedere a dextris potentiae" significat Divinam omnipotentiam Domini super caelos et super terras, postquam subjugavit inferna et glorificavit Humanum suum: "venire

super nubibus caeli" significat per Divinum Verum in caelis; nam postquam Dominus univit Humanum suum ipsi Divino, tunc Divinum Verum procedit ab Ipso, ac Ipse apud angelos et apud homines in illo est, quia in Verbo, quod est Divinum Verum, in quo et ex quo est Divina omnipotentia. Et postea,

"Dominus, postquam locutus est cum illis, sublatus est in caelum, et consedit ex dextris Dei" (*Marc.* xvi. 19):

"sedere ex dextris Dei" simile significat, nempe Divinam Ipsius omnipotentiam per Divinum Verum: ex quibus patet quod "sedere" sit esse, et "sedere a dextris" sit esse omnipotens. Quia "sedere" significat esse, inde "sedere super throno" significat esse rex et regnare

(Ut *Exod.* xi. 5: *Deutr.* xvii. 18: 1 *Reg.* i. 13, 17, 20: *Jerem.* xvii. 25; cap. xxii. 2, 30: et alibi);

pariter

"Sedere a dextris et a sinistris" (*Matth.* xx. 21, 23; *Marc.* x. 37, 40).

Apud *Esaiam*,

"Descende et sede super pulvere, virgo filia Babelis, sede in terra, non thronus, filia Chaldaeorum;....sede in silentio, et intra in tenebras, filia Chaldaeorum; quia non amplius vocabunt te dominam regnorum: audi hoc, delicata, sedens secure, dicens,....Non sedebo vidua, nec cognoscam orbitatem" (xlvii. 1, 5, 8):

agitur hic de profanatione boni et veri; nam per "filiam Babelis" significatur profanatio boni, ac per "filiam Chaldaeorum" profanatio veri, utraque ex eo, quod Divinis bonis ac veris, quae in Verbo et ex Verbo, utantur pro mediis imperandi; unde ipsi Babylonici et Chaldaei spectant se, quia imperium suum, ut fines, et sancta ecclesiae ex Verbo ut media; ita non spectant Dominum, et non Ipsius dominium, ut finem, nec proximum et amorem erga illum: "Descende et sede super pulvere et in terra" significat esse in malis et inde in damnatione: "Sede in silentio et intra in tenebras" significat esse in falsis et inde in damnatione: "sedere secure" significat esse in fiducia quod imperium illorum permansurum sit, et quod illi non perituri; "non sedere vidua, et non cognoscere orbitatem," significat quod non defecturi asseclae, clientes et adoratores: "non thronus tibi, filia Chaldaeorum, non amplius vocabunt te dominam regnorum," significat quod non

amplius imperium illis, quia subversio et damnatio illis die ultimi judicii (de quo etiam in eo capite agitur). Apud eundem,

> "Tu dixisti corde tuo, Caelos ascendam, super stellas Dei exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus, in lateribus septentrionis" (xiv. 13):

etiam haec de Babele, quae ibi vocatur "Lucifer," et dicta sunt de ejus profani amoris concupiscentia dominandi super omnia caeli: quid autem in specie intelligitur per "exaltare thronum super stellas Dei," perque "sedere in monte conventus, et in lateribus septentrionis," dicetur in sequentibus, ubi de Babylonia agendum est; ibi "sedere" etiam significat esse, et spectat imperium. Apud *Ezechielem*,

> "Descendent desuper thronis suis omnes principes maris,. . . .super terra sedebunt" (xxvi. 16):

ibi de Tyro, per quam significatur ecclesia quoad cognitiones veri; hic eadem vastata, in qua tunc illae cognitiones falsificatae sunt: quare per "descendere de thronis omnes principes maris" significatur quod non amplius cognitiones veri apud homines illius ecclesiae regnaturae sint, nam omne regnum est Divini Veri; "descendere de thronis" significat de regimine, ita non regnare, ac "principes maris" sunt cognitiones veri, et ii qui in illis: "super terra sedebunt" significat quod in falsificatis, ita in falsis erunt; "super thronis" significat in veris caeli esse, at "sedere super terra" significat in falsis esse, quoniam sub terris in mundo spirituali sunt inferna ex quibus mala et falsa continue exhalantur. Simile significatur per "sedere" in sequentibus locis:—Apud *Lucam*,

> "Qui in tenebris, et in umbra mortis sedent" (i. 79);

apud *Esaiam*,

> "Ad aperiendum oculos caecos, ad educendum e carcere vinctum, e domo claustri sedentes in tenebris" (xlii. 7);

apud *Jeremiam*,

> "Non sedi in consilio illusorum, et laetatus sum, propter manum tuam solitarius sedi, eo quod indignatione implevisti me" (xv. 17);

apud *Davidem*,

> "Non sedi cum hominibus vanitatis, et cum occultis non intravi" (Ps. xxvi. 4);

apud *Lucam*,

Dies ille "veniet sicut laqueus super omnes qui sedent super faciebus totius terrae" (xxi. 35).

Quoniam "sedere" significat esse, et quoque permanere in eo statu, et est voluntatis, ideo dicitur apud *Davidem*,

"Jehovah, perscrutatus es me et cognovisti; Tu scis sedere meum et surgere meum, intelligis cogitationem meam e longinquo" (Ps. cxxxix. [1]1, 2):

nosse "sedere" ejus spectat esse vitae ejus, quod est voluntas; "surgere," intentionem inde; et quia ex intentione voluntatis sequitur cogitatio, additur "Intelligis cogitationem meam e longinquo." Apud *Micham*,

"Tunc stabit et pascet in [2]nomine Jehovae, ... et sedebunt, quia nunc crescet ad fines terrae" (v. 3 [*B. A.* 4]):

haec de Domino et de doctrina Divini Veri ab Ipso, quae intelligitur per "Tunc stabit et pascet in [2]nomine Jehovae;" et quod homines ecclesiae erunt in illa doctrina significatur per quod "sedebunt;" et quod doctrina Divini Veri permansura sit in aeternum, significatur per quod "crescet ad fines terrae." Similiter apud *Esaiam*,

"Excute te e pulvere, surge, sede Hierosolyma, aperire vinculis colli tui, captiva filia Zionis" (lii. 2):

haec de instauratione novae ecclesiae a Domino; illa ecclesia cum ejus doctrina hic per "Hierosolymam" et per "filiam Zionis" significatur: rejicere falsa et mala, ac esse in veris et bonis, significatur per "excutere se e pulvere, surgere et sedere," tum quoque per "aperire vincula colli, captiva filia Zionis;" "vincula colli" significant falsa inhibentia ne vera intrent.

[*c*.] Quod "sedere" sit vox significativa essentiae et permanentiae in statu rei et vitae, constare potest e locis in Verbo ubi dicitur "sedere coram Jehovah," "stare coram Ipso," et "[3]ambulare coram Ipso;" quod "sedere coram Jehovah" sit esse cum Ipso, ita quoque velle et facere ab Ipso, et quod "stare coram Ipso" sit spectare et intelligere quod vult, et quod "ambulare coram Ipso" sit vivere secundum praecepta Ipsius, ita ex Ipso. Quia "sedere" talia involvit, ideo eadem vox in lingua Hebraea significat permanere et habitare. Ex eo quod "sedere" talia significet, ideo

Angelus Domini visus est sedere super lapide quem devolverat ab ostio monumenti (*Matth.* xxviii. 2);

et ideo

Angeli in monumento visi, sedebant unus a capite et alter a pedibus (*Joh.* xx. 12; *Marc.* xvi. 5):

illa visa erant repraesentativa glorificationis Domini, ac intromissionis in caelum ab Ipso; nam per "lapidem," qui positus fuit ante sepulchrum, et qui devolutus ab angelo, significatur Divinum Verum, ita Verbum, quod occlusum fuit a Judaeis, sed apertum a Domino; (quod "lapis" significet Verum, et in supremo sensu Divinum Verum, videatur [1]supra, n. 417[*a*]; ac in opere *De Caelo et Inferno*, n. 534;) et quia per "sepulchrum" in sensu spirituali significatur resurrectio et quoque regeneratio, ac eminenter per "sepulchrum ubi Dominus fuit," et per "angelos" in Verbo significatur Divinum Verum, ideo visi sunt angeli, unus sedens a capite et alter a pedibus; ac per "angelum a capite" significabatur Divinum Verum in primis, ac per "angelum a pedibus" Divinum Verum in ultimis, utrumque procedens a Domino; per quod, dum recipitur, fit regeneratio et est resurrectio. (Quod "sepeliri," "sepultura" et "sepulchrum" significet regenerationem ac resurrectionem, videatur supra, n. 659; quod "angeli" in supremo sensu significent Dominum quoad Divinum Verum, ac in sensu respectivo recipientes Divini Veri, ita abstracte Divina vera a Domino, supra, n. 130, 200, 302.) Praeterea etiam legitur quod "sederint coram Jehovah," quando in magno gaudio fuerunt; tum etiam quod "sederint" cum in magno luctu, ex causa quia "sedere" spectat esse hominis, quod est voluntatis et amoris ejus.

Quod fleverint et sederint coram Jehovah videatur *Judic.* xx. 26; cap. xxi. 2.

688. ***"Ceciderunt super facies suas, et adoraverunt Deum."***— Quod significet *adorationem Domini apud illos ex humillimo corde*, constat ex significatione "cadere super facies," quod sit summa humiliatio cordis, nam est gestus corporis humiliationi cordis correspondens, ita gestus repraesentativus humiliationis totius hominis; adoratio Dei tunc est quae ex corde illo profluit, quae varia est secundum objectum rei quod versat animum. Quod cadere super facies coram Deo sit gestus repraesentativus summae humiliationis, est quia facies est forma affectionum hominis, proinde interiorum quae sunt mentis et animi ejus, affectiones enim clu-

cent in facie sicut in earum typo; inde est quod facies dicatur index et imago animi: quapropter cum homo agnoscit quod omnia apud se aversa a Deo sint et ideo damnata, et quod sic non possit nec ausit spectare ad Deum, qui est ipsum Sanctum, et si ex se tali spectaret quod spiritualiter moreretur, tunc homo ex tali cogitatione et agnitione cadit super facies ad terram; et quia sic removetur proprium hominis, ideo tunc impletur a Domino, ac elevatur ut ad Ipsum spectare possit. Dicitur quod "adoraverint Deum," ex causa quia per "Deum" in Verbo intelligitur Divinum procedens, quod vocatur Divinum Verum: et quia Divinum hoc Verum est apud angelos, sunt enim recipientes ejus, et id facit sapientiam illorum, ideo angeli in Verbo dicuntur "dii," et significant Divina vera; et quoque Deus in lingua Hebraea nominatur *Elohim*, in plurali; quare per "Deum" in Verbo intelligitur Divinum quod est apud angelos caeli et apud homines ecclesiae, quod est Divinum procedens: et quia nunc caeli superiores in illustratione et in potentia sunt propter separationem malorum a bonis in inferioribus, et propter ultimum judicium brevi venturum, ideo dicitur quod "adorarent Deum;" per quod patet quod Dominus tunc apud illos esset; nam ex influxu intensiori et fortiori Divini Veri, quod a Domino procedit, illis fuit illustratio et potentia.

689. [*Vers.* 17.] ***"Dicentes, Gratias agimus Tibi, Domine Deus omnipotens."***—Quod significet *agnitionem quod omne esse, vivere et posse sit a Domino*, constat ex significatione "dicere et gratias agere," quod sit agnoscere, quoniam per "cadere super facies et adorare," et tunc "gratias agere," non aliud significari potest quam agnoscere, hic omnipotentiam Domini: ex significatione "Domini Dei," quod sit Dominus quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum; nam in Verbo ubi intelligitur Divinum Bonum ibi dicitur "Dominus" et "Jehovah," ac ubi intelligitur Divinum Verum dicitur "Deus;" inde per "Dominum Deum" et per "Jehovam Deum" intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum et quoad Divinum Verum; et praeterea Jehovah in Veteri Testamento dicitur Dominus in Novo: et ex significatione "omnipotentis," quod sit esse, vivere et posse ex Se; et quoque quod angelorum et hominum esse, vivere et posse sit ex Ipso. (Quod haec per

omnipotentiam intelligantur, videatur supra, n. 43; tum quod per Divinam omnipotentiam intelligatur infinitum, n. 286.) Quod Divinam omnipotentiam concernit; illa non involvit aliquid potentiae faciendi contra ordinem, sed involvit omnem potentiam faciendi secundum ordinem, nam omnis ordo est ex Ipso; inde sequitur quod nihil potentiae sit alicui faciendi secundum ordinem, nisi ex Ipso ex quo ordo; ex eo constare potest quod omnipotentiae Divinae sit ducere hominem secundum ordinem, et hoc quovis momento a principio vitae ejus usque in aeternum, et hoc secundum leges ordinis, quae innumerabiles et ineffabili numero sunt; verumtamen quantum homo patitur se duci, hoc est, quantum non vult duci a semet ipso, quantum enim hoc vult tantum fertur contra ordinem: et quia omnipotentiae Divinae est ducere hominem qui vult duci secundum ordinem, proinde non aliquem contra ordinem, ideo non omnipotentiae Divinae est ducere aliquem ad caelum qui semet ipsum vult ducere, quia lex ordinis est ut homo ex ratione et ex libero agat quod agit, ex causa quia id quod ratione recipitur, et ex libero agitur, manet apud hominem, et ei appropriatur sicut suum; non autem quod non ratione recipitur et ex libero agitur: inde constare potest quod omnipotentiae Divinae non sit salvare illos qui non secundum ordinem volunt duci, nam duci secundum ordinem est secundum leges ordinis, ac leges ordinis sunt praecepta doctrinae et vitae ex Verbo; quare secundum has ducere hominem qui vult duci, omni momento et continue in aeternum, est omnipotentiae Divinae; sunt enim infinita quovis minuto quae videnda, quae removenda, quae insinuanda, ut homo detineatur a malis ac teneatur in bonis, et illa jugiter in nexu secundum ordinem. Omnipotentiae Divinae etiam est tutari homines ab infernis, quantum id fieri potest absque laesione liberi et rationis; omnia enim inferna contra Divinam Domini potentiam sunt sicut nihil; absque illa Domini potentia non aliquis homo salvari potest. (Sed plura de omnipotentia [1]videantur supra, n. 43.)

690. *"Qui es et qui eras et qui venturus es."*—Quod significet *ab Ipso qui est omne in omnibus caeli et ecclesiae, ab aeterno in aeternum*, constat ex illis quae supra (n. 23, 41, 42) explicata sunt, ubi eadem verba.

691. *"Quod adeptus sis potentiam tuam magnam, et regnum inieris."*—Quod significet *instaurationem novi caeli et novae*

ecclesiae, destructo priori et caelo et ecclesia, constat ex significatione "adipisci potentiam suam magnam et inire regnum," quod sit quod postquam prius caelum ac prior ecclesia destructa sunt, novum caelum et nova ecclesia instaurentur; quod hoc per "adipisci potentiam magnam" et per "inire regnum" intelligatur, est quia Domino tunc omnipotentia est et regnum; fit enim tunc Ipsius voluntas, nam angeli caeli et homines ecclesiae tunc se ab Ipso duci patiuntur; regit enim sic omnes secundum ordinem ex Se Ipso, tenendo in Divinis bonis et veris quae ex Ipso procedunt, ac detinendo a malis et falsis quae ab inferno, quod non potest fieri antequam mali a bonis separati sunt, et mali in infernum dejecti, et a bonis factum est novum caelum; haec in actum sistuntur per ultimum judicium, de quo in sequentibus agitur. Quod tunc Domino potentia et regnum, illustrari potest per comparationem cum sole mundi: quamdiu hiems est, non soli est aliqua potentia aut aliquod regnum in tellure, quia calor ejus non recipitur, nam frigus aeris et telluris illum exstinguit; at cum ver instat, tunc soli venit potentia et regnum, recipitur enim tunc ejus calor, et quoque lux quia conjuncta calori, ex quibus universa tellus floret: simile est cum potentia et cum regno Domini, quae veniunt quando mali separati sunt a bonis, ac illi in infernum dejecti; illi enim sunt frigora sicut hiemis, quae calorem solis spiritualem, qui est amor, exstinguunt, ac faciunt ut non potentia et non regnum Domino sint, tametsi Ipse in Se spectatus perpetuo in simili omnipotentia est, quamvis non in subjectis antequam novum caelum et nova ecclesia existunt.

VERSUS 18.

692. *"Et gentes iratae sunt; et venit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et dare mercedem servis [1]tuis prophetis et sanctis, et timentibus nomen tuum, parvis et magnis, et perdere perdentes terram."*

18. *"Et gentes iratae sunt,"* significat *contemptum, inimicitiam et odium malorum contra Dominum et contra Divina quae ab Ipso, quae sunt sancta caeli et ecclesiae* [n. 693]; *"et venit ira tua, et tempus mortuorum judicari,"* significat *ultimum judicium super illos qui nihil boni et veri intus apud se possident* [n. 694]; *"et dare mercedem servis [2]tuis prophetis et sanctis,"* significat *caelum illis qui in veris doctrinae sunt et in vita secundum illa* [n. 695]; *"et timentibus nomen tuum, parvis et magnis,"* significat *et omnibus qui Dominum colunt ex quacunque religione* [n. 669]; *"et perdere perdentes terram,"* significat *infernum illis qui destruunt ecclesiam* [n. 697].

693. [*Vers.* 18.] *"Et gentes iratae sunt."*—Quod significet *contemptum, inimicitiam et odium malorum contra Dominum et contra Divina quae ab Ipso, quae sunt sancta caeli et ecclesiae*, constat ex significatione "gentium," quod sint qui in bonis ecclesiae, et in opposito sensu qui in malis; hic qui in malis, quoniam dicitur quod "iratae sint;" (quod "gentes" significent illos qui in bonis et qui in malis, ac abstracte bona et mala ecclesiae, et quod "populi" significent illos qui in veris et qui in falsis, et abstracte vera et falsa ecclesiae, videatur supra, n. 175, 331, 625;) et ex significatione "irasci," cum de malis qui significantur per "gentes," quod sit in contemptu, in inimicitia et in odio esse contra Dominum et contra Divina quae ab Ipso, quae sunt sancta caeli et ecclesiae; quod illa et similia plura per "irasci" significentur, est quia unusquisque excandescit et irascitur quando impugnatur ejus amor et ejus amoris jucundum; omnis excandescentia et ira inde est; causa est quia amor cujusvis est vita ejus; quare laedere amorem est laedere vitam, et cum haec laeditur fit animi commotio, et inde ira et excandescentia. Simile fit apud bonos quando amor illorum impugnatur, sed cum differentia quod non illis excandescentia et ira sit, sed zelus; hic, nempe zelus, quidem in Verbo vocatur "ira," sed usque non est ira; vocatur "ira" quia in externa forma apparet similis irae, ast interius non est nisi quam charitas, bonitas et clementia; quare zelus ut ira non perstat diutius quam dum ille, contra quem accensus est, resipiscit et se avertit a malo: aliter ira apud malos; illa quia interius in se recondit odium et vindictam, quae amant, ideo perstat illa, et raro exstinguitur. Inde est quod ira sit illis qui in amoribus sui et mundi sunt, nam illi quoque in malis omnis generis sunt; at zelus illis qui in amore in Dominum et in amore erga proximum sunt: quare zelus spectat salvationem hominis, at ira ejus damnationem; hanc etiam intendit malus qui iratus, et illam bonus qui zelotes. Quod "gentes iratae" hic significent malorum contemptum, inimicitiam et odium contra Dominum, et contra Divina quae ab Ipso, ita contra sancta caeli et ecclesiae, est quia in fine ecclesiae, paulo ante ultimum judicium, de quo hic agitur, mutatur status illorum qui in priori caelo et priori terra sunt, quod fit per separationem bonorum a malis; qua facta occluduntur apud malos externa, per quae et ex quibus simulate et hypocritice locuti sunt vera ac fecerunt bona, et aperiun-

tur interna, quae apud illos infernalia sunt; quibus apertis manifeste erumpunt contemptus, hostilitas et odium, cum contumeliis contra Dominum et contra sancta caeli et ecclesiae; haec enim apud illos latuerunt recondita, sed obvelata amoribus sui et mundi, qui tales sunt ut bonum faciant et vera loquantur propter se et mundum, quia sancta caeli et ecclesiae sunt illis media ad fines, qui sunt fama, gloria, honor, lucrum, verbo ipsi et mundus, ac media amantur propter fines: sed quia finis, qui est amoris hominis, ac inde intentionis et voluntatis ejus, est corporeus et mundanus, consequenter infernalis, ideo bona et vera quae sunt caeli et ecclesiae haerent modo in externis apud illos, ac nulla sunt in internis, quia ibi mala et falsa; nam bona et vera caeli penetrant in interna solum apud illos qui sancta caeli et ecclesiae faciunt fines, hoc est, faciunt ut sint amoris et inde intentionis et voluntatis; et quando sunt fines tunc aperitur mens spiritualis, et per hanc ducitur homo a Domino: sed contrarium est quando bona et vera caeli et ecclesiae non sunt fines sed media; nam, ut mox supra dictum est, fines sunt quae amoris regnantis hominis sunt; et cum ille est amor sui, etiam est amor proprii ejus, quod in se spectatum non est nisi quam malum; et homo quantum ex illo, tantum ex inferno agit, proinde etiam contra Divinum. Porro sciendum est quod in omni malo sit ira contra Dominum et contra sancta ecclesiae: quod ita sit, manifeste constare mihi potuit ex infernis, ubi omnes in malis sunt, et ex quibus omnia mala; quod ibi dum modo audiunt nominari Dominum accendantur vehementi ira, non solum contra Ipsum, sed etiam contra omnes qui Ipsum confitentur; inde est infernum e diametro contra caelum, ac in perpetuo conatu destruendi illud, et exstinguendi Divina ibi, quae sunt bona amoris et vera fidei: ex eo patet quod mala irascantur bonis, ac falsa mali veris. Inde nunc est quod per "iram" in Verbo significetur malum in omni complexu. Similiter in sequentibus locis:—Apud *Lucam*,

> Jesus dixit, "Vae ventre gestantibus et lactantibus in diebus illis, quia angustia magna super terra, et ira in populo" (xxi. 23):

haec de consummatione saeculi, quae est ultimum tempus ecclesiae: quod tunc bonum et verum non possint recipi,

significatur per "Vae ventre gestantibus et lactantibus;" quod rejiciatur bonum propter malum quod tunc dominatur in ecclesia, et quod etiam verum propter falsum, significatur per "quia angustia magna super terra, et ira in populo;" "angustia" hic est dominans malum, et "ira" est dominans falsum ex malo, nam in fine ecclesiae mali anguntur ex bono, et irascuntur ex vero. Apud *Esaiam*,

> "Tantummodo in Jehovah...justitia et robur; ad Ipsum venient et pudefient omnes qui excanduerunt contra Illum" (xlv. 24):

quod "pudefient omnes qui excanduerunt contra Jehovam" significat quod recedent a malis et falsis omnes qui in illis fuerunt; "excandescere contra Jehovam" significat in falsis ex malo esse. Apud *Mosen*,

> "Schimeon et Levi fratres;....in ira sua occiderunt virum, et in beneplacito suo enervarunt bovem; maledicta ira eorum quia vehemens, et excandescentia eorum quia dura; dividam eos in Jacobo, et dispergam eos in Israele" (*Gen.* xlix. 5-7):

per "Reubenem," "Schimeonem" et "Levin" significantur fides, charitas et opera charitatis; sed ibi per "Reubenem" significatur fides separata a charitate, unde nec est charitas, neque aliquod opus charitatis; tria enim illa cohaerent; qualis enim est fides talis est charitas, et qualis est haec tale est opus charitatis; sunt enim inseparabilia, ac unum est alterius, ita unum est sicut alterum; et quia Reuben propter adulterium cum ancilla concubina patris sui maledictus est, ideo etiam Schimeon et Levi rejiciuntur; rejectio horum significatur per "Dividi in Jacobo et dispergi in Israele:" nunc quia fides, quae repraesentata est per Reubenem, non acceptanda erat ut esset primum ecclesiae, sed bonum spirituale, quod est verum intellectu et voluntate, ideo Josephus pro primogenito ecclesiae loco Reubenis receptus est; per Josephum enim repraesentabatur bonum spirituale, quod in sua essentia est verum intellectu et voluntate: inde constare potest quid significatur per "iram Schimeonis et Levi quae vehemens," et per "excandescentiam eorum quae dura," nempe aversio a bono et vero, ita malum et falsum in omni complexu; nam cum recedit charitas a fide, tunc non amplius est aliquod bonum nec aliquod verum. (Sed haec fusius explicata in *Arcanis Caelestibus*, n. 6351-6361, videantur.) Apud *Matthaeum*,

Jesus dixit, "Veteribus dictum est,....Quisquis occiderit, obnoxius erit judicio; sed dico vobis, quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit judicio" (v. 21, 22):

per "irasci fratri suo temere" etiam hic significatur inimicitia et odium contra bonum et verum; illi etiam, quibus talis inimicitia et tale odium est, continue animo, intentione et voluntate occidunt; nam modo liceret, hoc est, non obstarent leges et inde timores pro poenis et vita, aut jacturae famae, honoris aut lucri, actualiter occiderent; quippe quod homo animo gerit, hoc facit, dum licitum est: quod "ille qui temere irascitur fratri suo, obnoxius sit judicio," sicut ille qui occidit, est quia per "irasci" significatur cogitare, intendere et velle malum alteri, et omne malum voluntatis est in vita spiritus hominis, et redit post mortem; inde est quod tunc "obnoxius sit judicio;" et quod intentionis et voluntatis est, hoc judicatur sicut facti. Sed plura loca de significatione "irae" et "excandescentiae" apud illos qui in malo sunt, adducere non opus est, quia ex se liquet quod omne malum in se recondat iram contra bonum; nam vult id exstinguere, ac quoque vult illum, in quo bonum est, si non quoad corpus usque quoad animam occidere, quod omnino fit ex ira et cum ira.

694. ***"Et venit ira tua, et tempus mortuorum judicari."***— Quod significet *ultimum judicium super illos qui nihil boni et veri intus apud se possident*, constat ex significatione "irae," cum de Domino, quod sit ultimum judicium (de qua supra, n. 413); quod id per "iram" hic significetur, patet, nam sequitur, "tempus mortuorum," et "judicari:" et ex significatione "mortuorum," quod sint qui nihil boni et veri intus apud se possident; quod hi dicantur "mortui" est quia ipsa vita hominis est vita spiritualis ejus, nam per hanc est ille homo, ac distinguitur a bestiis quae modo vitam naturalem habent; haec vita absque spirituali vita apud hominem, est mortua, quoniam in se non habet caelum quod vocatur "vita" ut et "vita aeterna," sed infernum quod vocatur "mors" spiritualiter; quod illi intelligantur per "mortuos" in Verbo qui solam vitam naturalem vivunt, et non simul spiritualem, videatur supra (n. 78); etiam quod per "mortem," cum de homine, intelligatur defectus facultatis intelligendi verum et percipiendi bonum (etiam

supra, n. 550); et is defectus est quando non internus spiritualis homo formatus est, ille enim formatur per vera ex bono. In interno illo homine residet facultas intelligendi verum et percipiendi bonum, nam ille homo in caelo est et in ejus luce; et qui in caeli luce est, is est vivus: at quando solum naturalis homo formatus est, et non simul spiritualis, tunc non aliqua facultas est intelligendi et percipiendi vera et bona caeli et ecclesiae, quia ei non est aliqua lux e caelo; inde est quod talis homo dicatur "mortuus." Quod illi qui intus apud se non aliquid boni et veri possident, intelligantur hic per "mortuos qui judicandi," constare etiam potest ex antecedentibus, ubi actum est de separatione malorum a bonis ante ultimum judicium, et quod mali, cum separati sunt, in interiora sua, quae scatent meris malis et falsis, veniant; ex quo patet quod intus mortui fuerint, tametsi apparuerint in externa forma sicut vivi.

695[*a*]. ***"Et dare mercedem servis*** [1] ***tuis prophetis et sanctis."***—Quod significet *caelum illis qui in veris doctrinae sunt, et in vita secundum illa*, constat ex significatione "dare mercedem," quod sit salvatio, proinde caelum: ex significatione "servorum suorum prophetarum," quod sint qui in veris doctrinae, "servi" enim Domini dicuntur qui in veris, quia vera serviunt ad bonum producendum, confirmandum et conservandum, et quae serviunt bono, serviunt Domino, nam a Domino omne bonum; et "prophetae" dicuntur qui docent doctrinam, inde abstracte per illos significatur doctrinam: (quod "servi Dei" dicantur qui in veris sunt, videatur supra, n. 6, 409[*b*,*c*]; et quod "prophetae" qui docent doctrinam, et abstracte doctrinae, n. 624:) et ex significatione "sanctorum," quod sint qui in veris doctrinae ex Verbo, et in vita secundum illa (de qua supra, n. 204): inde patet quod per "dare mercedem servis suis prophetis et sanctis," significetur caelum illis qui in veris doctrinae sunt, et in vita secundum illa. Quod per "mercedem" significetur salvatio, proinde caelum, absque diductione et explicatione potest sciri; sed quia pauci sciunt quid proprie intelligitur per "mercedem," dicetur. Per "mercedem" proprie intelligitur id jucundum, faustum et beatum, quod inest amori seu affectioni boni et veri; ille amor, seu illa affectio, in se habet omne gaudium cordis, quod gaudium caeleste, et quoque caelum, vocatur; causa est quia Dominus est in

illo amore, seu in illa affectione, et cum Domino etiam caelum: id itaque gaudium, seu id jucundum, faustum et beatum, est quod proprie intelligitur per "mercedem," quam accepturi illi qui bonum faciunt et verum loquuntur ex amore et affectione boni et veri, ita ex Domino, at nequaquam ex semet; et quia ex Domino, et non ex semet, non est merces meriti sed est merces gratiae. Ex his constare potest quod qui scit quid gaudium caeleste, etiam sciat quid merces: (quid gaudium caeleste in sua essentia, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 395–414:) hoc itaque significatur per "mercedem" quae est illis qui in veris ex bono sunt; at vero per "mercedem" quae est illis qui in falsis ex malo sunt, est gaudium, seu jucundum, faustum et beatum in mundo, sed infernum post abitum e mundo.

[***b.***] Ex his paucis patet quid per "mercedem" in sequentibus locis significatur:—Apud *Esaiam*,

> "Ecce Dominus Jehovih in forti venit,....ecce merces Ipsius cum Ipso, et pretium operis Ipsius [1]coram Ipso" (xl. 10);

apud eundem,

> "Dicite filiae Zionis, Ecce salus tua venit, [ecce merces Ipsius cum Ipso,] et pretium operis Ipsius [2]coram Ipso" (lxii. 11);

et in *Apocalypsi*,

> "Ecce venio cito, et merces mea Mecum, ut dem unicuique sicut opus ejus erit" (xxii. 12):

"Ecce Dominus Jehovih in forti venit," et "Ecce salus tua venit," tum "Ecce venit cito," significant adventum Domini primum et alterum: "merces Ipsius cum Ipso" significat caelum et omnia ejus, ut supra, quoniam ubi Dominus ibi caelum; caelum enim non est caelum ex angelis ibi, sed ex Domino apud angelos: quod caelum accepturi sint secundum amorem et affectionem boni et veri a Domino, intelligitur per quod "pretium operis Ipsius coram Ipso," et per quod "det unicuique sicut opus ejus erit;" per "opus," cui caelum ut merces, non aliud intelligitur quam opus ex amore seu affectione boni et veri, nam omne opus, ex quo caelum, inde erit apud hominem; nam opus omne suum trahit ex amore aut affectione, sicut effectus omne suum a causa efficiente; inde qualis est amor aut affectio tale est opus; inde constare potest quid intelligitur per "opus secundum quod unicuique da-

bitur," et quid per "pretium operis." Similiter apud *Esaiam*,

> "Ego Jehovah amans judicium,....dabo mercedem operis eorum in veritate, et foedus aeternitatis excidam illis" (lxi. 8):

per "judicium" quod amat Jehovah, significatur verum fide, affectione et actu, nam judicium est homini ex vero, tam cum cogitat et vult verum quam cum loquitur verum et facit secundum id; et quia id per "judicium" significatur, ideo dicitur, "Dabo mercedem operis eorum in veritate," hoc est, caelum secundum fidem et affectionem veri in actu; et quia inde conjunctio est cum Domino, ex quo merces, ideo etiam dicitur, "Foedus aeternitatis excidam illis;" per "foedus" enim in Verbo significatur conjunctio per amorem, et per "foedus aeternitatis" conjunctio per amorem boni et veri; amor enim ille conjungit, quia est Ipsius Domini, procedit enim ex Ipso. Quod amare bonum et verum propter bonum et verum, sit merces, ex causa quia in illo amore est Dominus et caelum, etiam constare potest ex sequentibus his locis:—Apud *Matthaeum*,

> "Non faciatis eleemosynam coram hominibus, ut videamini ab his, nam alioqui mercedem non habetis apud Patrem vestrum qui in caelis est; quando feceris eleemosynam, ne tuba canas ante te, quemadmodum hypocritae faciunt in synagogis et in vicis, ut glorificentur ab hominibus; amen dico vobis, habent mercedem suam: tu vero, quando feceris eleemosynam, ne cognoscat sinistra tua quid faciat dextra tua, ut sit tua eleemosyna in occulto; tunc Pater tuus, qui videt in occulto, illud reddet..in manifesto. Et si oraveris, non eris sicut hypocritae, nam amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, quo conspicui fiant hominibus; amen dico vobis quod mercedem suam habeant; tu vero quando oraveris intrato in conclave tuum, et claudens ostium tuum, ora Patrem tuum qui in occulto est; tunc Pater tuus, qui in occulto videt, reddet tibi in manifesto" (vi. [1,] 2–6):

per "eleemosynam" in universali sensu significatur omne bonum quod homo vult et facit, et per "orare" in eodem sensu significatur omne verum quod homo cogitat et loquitur; qui duo illa faciunt "ut videantur," hoc est, ut appareant, illi bonum faciunt et verum loquuntur propter se et mundum, nam propter gloriam, quae est jucundum amoris sui quod illis est ex mundo; his quia jucundum gloriae est merces, dicitur quod "mercedem suam habeant;" sed jucundum gloriae, quod in mundo apparet illis sicut caelum, post obitum vertitur in infernum: at qui bonum

faciunt et verum loquuntur non propter se et mundum, sed propter ipsum bonum et ipsum verum, intelliguntur per illos qui "eleemosynam faciunt in occulto" et qui "orant in occulto;" nam faciunt et orant ex amore seu affectione, ita ex Domino; hoc itaque est amare bonum et verum propter bonum et verum; de his ideo dicitur quod "Pater in caelis reddet illis in manifesto:" quare esse in bonis et in veris ex amore aut affectione, quod idem est cum esse in illis a Domino, est merces, quoniam in illis est caelum, ac omne beatum ac faustum caeli. Apud *Lucam*,

> "Quando feceris prandium aut cenam, ne voca....divites, ne forte ii vicissim te vocent, et fiat tibi retributio; sed....voca pauperes ....; tunc beatus eris, quia non habent ad retribuendum tibi; retribuetur enim tibi in resurrectione" mortuorum (xiv. 12–14):

per "facere prandium et cenam, et vocare ad illa," simile significatur per quod dare edere et bibere, seu panem et vinum, nempe facere proximo bonum ac docere verum, et sic quoad amorem consociari; qui itaque id faciunt ob finem ut retribuantur, id non faciunt propter bonum et propter verum, ita non ex Domino, sed propter se et mundum, ita ex inferno; qui vero faciunt illa non ob finem ut retribuantur, illi faciunt illa propter illa, nempe propter bonum et verum; et qui faciunt propter illa, ii faciunt ex illis, ita ex Domino, a quo illa apud hominem sunt; beatitudo caelestis, quae in illis factis est, et inde ex illis, est "merces," ac intelligitur per quod "retribuetur tibi in resurrectione" mortuorum. Apud eundem,

> "Potius amate inimicos vestros, et benefacite, atque mutuo date nihil inde sperantes; tunc erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi" (vi. 35):

per haec significantur similia quae per illa mox prius; nempe, quod non benefaciendum sit propter retributionem, hoc est, non propter se et mundum, ita non propter famam, gloriam, honorem et lucrum, sed propter Dominum; quod est propter ipsum bonum et verum, quae apud illos a Domino sunt, ita in quibus est Dominus: per "amare inimicos et benefacere illis," in sensu proximo, ibi intelligitur amare gentes et benefacere illis, quod fiet docendo illos verum, et per id ducendo illos ad bonum; nam gens Judaica fratres et amicos vocabant suos, sed hostes et inimicos gen-

tes; per "mutuo dare" significatur communicare bona et vera doctrinae ex Verbo; "nihil sperantes" significat non propter aliquid sui et mundi, sed propter bonum et verum: "tunc erit merces vestra multa" significat quod illis tunc caelum cum ejus beatis et jucundis; "et eritis filii Altissimi" significat quia sic faciunt illa non ex se sed ex Domino; nam qui bonum facit et verum docet ex Domino, is filius Ejus est; non autem qui bonum facit ex se, quod facit omnis qui spectat honorem et lucrum, propter quae. Apud *Matthaeum*,

> "Quisquis prophetam accipit in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: quisquis [accipit] justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Quisquis potaverit unum parvorum potu frigidae solum in nomine discipuli,.... non perdet mercedem" (x. 41, 42):

quomodo haec Domini verba intelligenda sunt, nemo videre potest nisi ex sensu interno seu spirituali illorum; quis enim scire potest quid intelligitur per "accipere mercedem prophetae" et "mercedem justi," et quid per "recipere prophetam et justum in nomine prophetae et justi"? tum quid intelligitur per "mercedem" quam accipiet qui "potaverit potu frigidae solum unum parvorum in nomine discipuli?" Quis absque sensu interno spirituali videre potest quod per illa verba intelligatur quod quisque accepturus sit caelum et ejus gaudium secundum affectionem veri et boni, et secundum obedientiam? Quod ille sensus sit, apparet dum [1]per "prophetam" intelligitur verum doctrinae, per "justum" bonum amoris, et per "discipulum" verum et bonum Verbi et ecclesiae; et cum per "in nomine" illorum intelligitur propter illa, et secundum quale illorum apud illos qui faciunt et docent; tum cum per "mercedem" intelligitur caelum, ut supra dictum est, nempe quod unicuique sit caelum secundum affectionem veri et boni, ac secundum quale et quantum ejus; istis enim affectionibus inscripta sunt omnia caeli, nam illae affectiones non sunt alicui nisi ex Domino, est enim Divinum procedens ab Ipso in quo et ex quo est caelum. Per "potare potu frigidae unum parvorum in nomine discipuli" intelligitur ex obedientia bonum facere et verum docere; nam per "aquam" significatur verum affectione, et per "frigidam" verum obedientia; sola enim obedientia est affectio naturalis et non spiritualis, quare respective est

frigida: per "discipulum," in cujus nomine seu propter quem potabit, significatur verum et bonum Verbi et ecclesiae. (Quod per "prophetam" significetur verum doctrinae, videatur supra, n. 624[b–e]; quod per "justum" bonum amoris, n. 204[a]; quod per "discipulum" verum et bonum Verbi et ecclesiae, n. 100, 122; et quod per "nomen" significetur quale rei [1]et status, n. 102[b], 135, 148, 676.) Apud *Marcum*,

> "Quisquis vos potaverit poculo aquae in nomine meo, eo quod Christi sitis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam" (ix. 41):

per haec quoque intelligitur quod jucundum caeli recepturi qui ex affectione audiunt, recipiunt et docent verum, ex eo quod verum et affectio ejus sit ex Domino, ita propter Dominum, proinde etiam propter verum; nam "eo quod Christi sitis" significat propter Divinum Verum procedens a Domino. (Quod "Christus" sit Dominus quoad Divinum Verum, et inde Divinum Verum procedens a Domino, videatur supra, n. [2]684, 685.)

[c.] Apud *Sachariam*,

> "Fundata est domus Jehovae Zebaoth, templum ut aedificetur; nam ante dies hos merces hominis non facta est, nec merces bestiae, ac exeunti et intranti non pax ab hoste:....nunc semen pacis, vitis dabit fructum, et terra dabit proventum suum, et caeli dabunt rorem suum" (viii. 9, 10, 12):

haec dicta sunt de nova ecclesia a Domino instauranda, veteri devastata; nova ecclesia, quae instaurabitur, significatur per "domum Jehovae Zebaoth" quae fundata est, et per "templum" quod aedificabitur; per "domum Jehovae" significatur ecclesia quoad bonum, et per "templum" ecclesia quoad verum (videatur supra, n. 220): quod antehac non alicui affectio veri et boni spiritualis, nec affectio veri et boni naturalis, fuerit, significatur per quod "ante dies hos non merces hominis facta sit, nec merces bestiae;" per "hominem" enim significatur affectio veri spiritualis, et per "bestiam" affectio boni naturalis, et per "mercedem" caelum, quod est eis qui in affectionibus veri et boni sunt; (quod "homo" significet affectionem veri spiritualem et inde intelligentiam, videatur supra, n. 280, 546, 547; et quod "bestia" significet affectionem naturalem, n. 650:) "exeunti et intranti non pax ab hoste," significat quod antehac infestati fuerint ab inferno in omni vitae statu; per "exire et intrare" significatur vitae status a principio ad finem; per "non pacem" significatur infestatio a malis et inde falsis, et per "hostem" infernum unde mala et falsa: "semen pacis" significat verum caeli et ecclesiae quod a Domino; id "semen pacis" dicitur, quia tutatur

contra inferna et dat securitatem: "vitis dabit fructum, et terra proventum," significat quod affectio veri spiritualis producet bonum charitatis, et affectio boni et veri naturalis producet opera charitatis; "vitis" significat ecclesiam quoad affectionem veri spiritualem, "terra" ecclesiam quoad affectionem veri naturalem," fructus" bonum charitatis, et "proventus" opera illius boni: "caeli dabunt rorem" significat illa ex influxu per caelum a Domino. Apud *Johannem*,

> "Tollite oculos vestros, et spectate agros, quod albi sint ad messem jam jam; et qui metit mercedem accipiet, et colliget fructum ad vitam aeternam, ut qui seminat simul gaudeat et qui metit" (iv. 35, 36):

haec etiam de nova ecclesia a Domino; quod illa instet, significatur per "agros qui albi sunt ad messem jam jam;" illi qui ab ea ecclesia in affectione veri spirituali sunt, et inde in caelo, intelliguntur per "qui metit mercedem accipiet, et colliget fructum in vitam aeternam;" et Ipse Dominus a quo illa affectio veri et caelum, intelligitur per "qui seminat simul gaudeat." Apud *Jeremiam*,

> "Rachel deplorans filios suos, renuit consolationem accipere super filiis suis, eo quod non ullus; sed....inhibe vocem tuam a fletu, et oculos tuos a lachryma, quia est merces labori tuo,....nam revertentur e terra hostis; estque spes extremitati tuae,..nam revertentur filii in terminum suum" (xxxi. 15–17; *Matth.* ii. 18):

quod per haec intelligantur infantes pueri in Bethlechem, qui ex mandato Herodis occisi sunt, constat apud *Matthaeum*, in loco citato; sed quid per id significatum est, non adhuc est notum: significatum est quod cum Dominus in mundum venit, non aliquod verum spirituale superesset; per Rachaelem enim repraesentata est ecclesia interna spiritualis, et per Leam ecclesia externa naturalis, per Bethlechem spirituale, et per pueros qui occisi sunt verum ex illa origine; quod non amplius superesset aliquod verum spirituale, significatur per quod "Rachel deplorans filios, renuat consolationem accipere super filiis suis, eo quod non ullus:" quod posthac non dolor erit propterea, quia natus est Dominus a quo nova ecclesia quae in veris ex affectione spirituali erit, significatur per "Inhibe vocem a fletu et oculos tuos a lachryma, quia est merces labori tuo; per "mercedem Ipsius" significatur caelum illis qui ab

ecclesia illa ex affectione veri spirituali erunt, et per "laborem" significatur pugna Domini contra inferna et subjugatio illorum, ut nova ecclesia instauretur: quod nova ecclesia instaurabitur loco ejus quae perierat, significatur per quod "revertentur e terra hostis," et quod "sit spes extremitati," tum quod "revertentur filii in terminum suum;" "reverti e terra hostis" significat educi ex inferno; "spes extremitati" significat finem prioris ecclesiae et principium novae; "revertentur filii in terminum" significat quod spiritualia vera apud illos qui e nova illa ecclesia erunt, existent. Apud *Esaiam*,

"Ego dixi, In vanum laboravi, in inanitatem et vanitatem vires meas insumpsi: verum tamen judicium meum apud Jehovam, et merces operis mei apud Deum meum" (xlix. 4):

etiam haec de nova ecclesia a Domino instauranda dicta sunt; quod non instaurari possit apud gentem Judaicam, quia vera non aliqua affectione spirituali recipi ab illa potuissent, intelligitur per "Ego dixi, In vanum laboravi, in inanitatem et vanitatem vires meas insumpsi:" quod usque provideatur a Domino ecclesia spiritualis, nempe apud gentes, significatur per quod "judicium meum sit apud Jehovam," et per quod "merces operis mei sit apud Deum meum;" per "mercedem" hic significatur ecclesia quae in affectione veri spirituali est; per "laborem" et per "opus" significatur pugna Domini contra inferna et subjugatio illorum, per quam Dominus restituit aequilibrium inter caelum et infernum, in quo homo recipere potest verum et fieri spiritualis. (De quo aequilibrio videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 589–603; et in opusculo *De Ultimo Judicio*, n. 33, 34, 73, 74.) Apud *Davidem*,

"Ecce hereditas Jehovae filii, merces fructus ventris; sicut tela in manu potentis, sic filii adolescentiae; beatus vir qui implevit pharetram suam ex illis, non pudefient cum loquentur cum hostibus in porta" (Ps. cxxvii. 3, 4[, 5]):

quid hic per "filios," "fructum ventris," "tela," "pharetram," et per "hostes in porta" significatur, videatur supra (n. 357[b]); et quod per "mercedem" etiam hic intelligatur felicitas quae est illis qui in caelo. Apud *Evangelistas*,

"Beati..cum probris affecerint vos, et persecuti fuerint, et dixerint omne malum verbum contra vos, mentientes propter" Christum:

> "gaudete et exultate, quia merces vestra multa in caelis; sic enim persecuti sunt prophetas qui ante vos" (*Matth.* v. 11, 12; *Luc.* vi. 22, 23):

haec de illis qui pugnant et vincunt in tentationibus inductis a malis, ita ab inferno; tentationes significantur per "afficere probris," "persequi," "dicere malum verbum," "mentiri propter Christum," tentationes enim sunt impugnationes et infestationes veri et boni a falsis et malis; per "Christum" intelligitur Divinum Verum a Domino, quod impugnatur et propter quod infestantur: "Gaudete et exultate, quia merces vestra magna in caelis," significat caelum cum ejus gaudio illis qui in affectione veri spirituali sunt, nam illi soli pugnant et vincunt, ex causa quia Dominus in illa affectione est, qui pro homine in pugnis tentationum resistit et vincit; "[1]sic enim persecuti sunt prophetas qui ante vos" significat quod prius similiter impugnaverint vera doctrinae quae apud illos qui in affectione veri spirituali fuerunt, per "prophetas" enim abstracte a personis significantur vera ex Verbo, seu ex Domino.

[*d.*] Ex his quae nunc e Verbo allata sunt, constare potest quod per "mercedem" significetur caelum quoad ejus beatum, faustum et jucundum, quod illis est qui in affectione veri et boni spirituali sunt, et quod "merces" sit ipsa illa affectio; nam sive dicas affectionem illam, sive caelum, idem est, quoniam in illa et ex illa est caelum: illi autem qui non ex affectione spirituali loquuntur verum et faciunt bonum, sed modo ex affectione naturali, et cogitant jugiter de caelo ut mercede, illi repraesentati sunt per mercenarios in Ecclesia Israelitica, de quibus in illa ecclesia plura statuta exstant; sicut

> Quod mercenarii non comederent de Paschate (*Exod.* xii. 43, 45);
> Quod non comederent de sanctis (*Levit.* xxii. 10);
> Quod non pernoctaret merces mercenarii apud aliquem usque ad auroram (*Levit.* xix. 13);
> Quod non opprimerent "mercenarium, pauperem et egenum de fratribus.., aut de peregrino.., qui in terra tua, et in portis tuis; in die illis dabis mercedem ejus, ita ut non occidat super ea sol,....ne clamet contra te ad Jehovam, ut sit in te peccatum" (*Deutr.* xxiv. 14, 15);

apud *Malachiam*,

> Ego "contra oppressores mercedis mercenarii, viduae et pupilli, et declinantes peregrinum, nec timent Me" (iii. 5);

et alibi: quod non comederent ex paschate et ex sanctificatis, erat causa quia per illos repraesentati sunt naturales, et non spirituales; et spirituales ab ecclesia sunt, et non ita naturales: nam spectare caelum ut mercedem propter bona quae faciunt est naturale, naturale enim spectat bonum ex se, ita caelum ut mercedem, unde bonum fit meritorium; aliter vero spirituale; hoc agnoscit bonum non a se sed a Domino, unde etiam caelum ex misericordia, et non ex aliquo merito: at quoniam usque bonum faciunt, tametsi non ex affectione spirituali, sed ex affectione naturali, quae est obedientia, et tunc cogitant de caelo ut mercede, ideo memorantur inter "pauperes, egenos, peregrinos, pupillos et viduas," ex causa quia in paupertate spirituali sunt; nam genuina vera illis in obscuro sunt, quia lux e caelo per spiritualem hominem in naturalem illorum non influit; inde est quod inter illos memorentur, et quod praecipiatur quod "daretur illis merces antequam sol occidit;" sunt quoque illi in caelorum infimis, et ibi servitia, ac ibi secundum opera illorum remunerantur (sed de his videantur plura in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 150–158). Mercenarii autem qui non cogitant de mercede in caelo sed de mercede in mundo, ita qui bonum faciunt propter lucra, sive sint honores sive opes, illi qui bonum faciunt ex amore honorum et opum, ita propter se et mundum, illi naturales infernales sunt; hi mercenarii intelliguntur apud *Johannem*,

> "Ego sum Pastor bonus; Pastor bonus animam suam pro ovibus: mercenarius vero....videt lupum et deserit oves, et fugit....quia mercenarius est" (x. 11–13);

et apud *Jeremiam*,

> "Vitula pulcherrima Aegyptus, exitium a septentrione venit,..mercenarii ejus...sicut vituli saginati, nam etiam illi converterunt se. fugiunt simul nec constiterunt, quia dies exitii illorum venit super eos" (xlvi. 20, 21):

et quoque alibi

(ut *Esai.* xvi. 14; cap. xxi. 16).

Quoniam per "mercedem" in Verbo significatur caelum, quod est illis qui in amore veri et boni spirituali sunt, ita in opposito sensu per "mercedem" significatur infernum, quod est illis qui in amore falsi et mali sunt. Id per "mercedem" significatur apud *Davidem*,

"[1]Induet maledictionem sicut vestem suam, ac [2]intravit in medium ejus sicut aquae, et sicut oleum inter ossa ejus:....haec merces adversantium mihi a cum Jehovah, et loquentium malum contra animam meam" (Ps. cix. 18, 20):

haec in sensu spirituali intelligenda sunt de Domino; nam ubi David in *Psalmis* loquitur de Se, in eo sensu intelligitur de Domino, nam David ut rex repraesentavit Dominum, et inde significat Ipsum quoad Divinum spirituale, quod est regium Domini: "merces adversantium Domino, et loquentium malum contra animam Ipsius," describitur ut infernum ex amore falsi et mali, nempe per haec, quod "[1]induet maledictionem sicut vestem suam, ac [2]intravit in medium ejus sicut aquae, et sicut oleum inter ossa ejus;" infernum quod recipitur in externis et in internis, describitur per illa duo, infernum quod recipitur in externis per maledictionem quam "induet sicut vestem suam," ac infernum quod recipitur in internis per maledictionem quae "intrat in medium ejus sicut aquae, et sicut oleum inter ossa ejus;" "sicut aquae" et "sicut oleum" dicitur, quia "aquae" significant falsa ex fide, et "oleum" mala ex amore; inde per utrumque intelligitur amor seu affectio falsi et mali, quae est infernum, quod etiam constare potest ex eo, quod amor imbibat omnia quae cum illo concordant, prorsus sicut spongia aquas et oleum; nam amor mali se nutrit ex falsis, et amor falsi se nutrit ex malis; et quia amor talis est, ideo dicitur quod "maledictio intret in medium ejus sicut aquae, et sicut oleum inter ossa ejus." Quia per "mercedem" in opposito sensu significatur infernum quoad affectionem falsi ex malo, ideo falsificatio veri in Verbo passim vocatur "merces meretricia:"—Ut apud *Hoscheam*,

"Ne laeteris, Israel, ad exultationem sicut gentes, quia scortatus es sub Deo.., amasti mercedem meretriciam super omnibus areis frumenti, area et torcular non pascet illos[, et mustum mentietur illi]" (ix. 1, 2):

"scortari sub Deo" significat falsificare vera Verbi, et applicare sancta ecclesiae ad idololatrica; "amare mercedem meretriciam" significat jucundum falsificandi et falsi, tum idololatriae, ex amore infernali; "super omnibus areis frumenti" significat omnia Verbi et doctrinae ex Verbo, nam "frumentum," ex quo panis, significat omne

quod spiritualiter nutrit, et "area" significat ubi illud collectum est, ita Verbum; "area et torcular non pascet illos" significat quod ex Verbo non haurient bona charitatis et amoris, ita non aliquod quod nutriet animam, nam "area" ibi est Verbum quoad bona charitatis, et "torcular" quoad bona amoris, et per "torcular" intelligitur hic oleum, pro quo et quoque pro vino erant torcularia; "et mustum mentietur illi" significat quod nec aliquod verum boni, nam "mustum," sicut "vinum," significat verum ex bono charitatis et amoris. Apud *Micham*,

> "Omnia sculptilia" Samariae "contundentur, et omnes mercedes meretriciae ejus comburentur igne, et omnia idola eorum ponam vastitatem, nam ex mercede meretricia congregavit, ideo usque in mercedem meretriciam revertentur; super hoc plangam et ejulabo, ibo spoliatus et nudus" (i. 7, 8):

per "Samariam" intelligitur ecclesia spiritualis quoad vera doctrinae, hic quoad falsa doctrinae; nam per "sculptilia" eorum significantur falsificata quae ex propria intelligentia: per "mercedes meretricias ejus," quae comburentur igne, significantur falsificationes veri ex amore falsi a malo et inde jucundo infernali; et quia ille amor est ex inferno, dicitur quod "comburentur igne," "ignis" enim significat amorem in utroque sensu: "et omnia idola eorum ponam vastitatem" significat falsa quod destruenda; "nam ex mercede meretricia congregavit" significat ex amore falsi quod a malo et inde jucundo infernali; "ideo in mercedem meretriciam revertentur" significat quod omnia illius ecclesiae vera falsificata erunt, quia inde sunt: "super hoc plangam et ejulabo" significat dolorem angelorum caeli et hominum ecclesiae in quibus ecclesia, et sic apud quos Dominus; "ibo spoliatus et nudus" significat luctum propter vastationem omnis veri et boni. Quod "sculptilia" et "idola" significent doctrinalia ex propria intelligentia faventia amoribus sui et mundi ac principiis inde captis, ita falsa doctrinae, religionis et cultus, videatur supra (n. 587, 654[*h*]). Apud *Ezechielem*,

> "Aedificasti clivum tuum in capite omnis viae, et excelsum tuum in omni platea; neque fuisti sicut meretrix ad gloriandum de mercede; mulier adultera sub viro suo accepit alienos; omnibus meretricibus dant mercedem; tu vero dedisti mercedes tuas omnibus amasiis tuis, et remunerasti eos, ut venirent ad te e circuitu in scortationibus tuis: sic factum est in te contrarium a mulieribus in scortationibus tuis, ut post te non scortatum iverint, in dando

mercedem, et merces non data est tibi, fuisti itaque in contrarium" (xvi. 31, 32[, 33, 34]):

agitur in eo capite de abominationibus Hierosolymae, ita de abominandis Ecclesiae Judaicae, quod non modo perverterit et adulteraverit bona Verbi, sed etiam quod ex gentibus idololatris falsa religionis et cultus receperit, et per illa adulteraverit vera et bona Verbi, et adulterata confirmaverit: quid per "aedificare clivum in capite omnis viae, et excelsum facere in omni platea," videatur supra (n. 652[c]): quod per "adulteria" et "scortationes" in Verbo significentur adulterationes et falsificationes veri et boni ecclesiae, videatur supra (n. 141, 511): quare quod non fuerit "sicut meretrix ad gloriandum de mercede" significat quod non ita ex jucundo affectionis falsificaverit vera Verbi: quod "mulier adultera sub viro suo acceperit alienos" significat quod perverterit vera et bona Verbi per falsa aliarum gentium: "omnibus meretricibus dant mercedem, tu vero dedisti mercedes tuas omnibus amasiis tuis, et remunerasti eos," significat quod amaverint falsa religionis et cultus aliarum gentium; "merces" seu donum meretricium est amor falsificandi per falsa aliorum; "ut venirent ad te e circuitu in scortationibus tuis," significat quod falsa sint conquisita ab undequaque, per quae falsificationes veri; "sic factum est in te contrarium a mulieribus in scortationibus, ut post te non scortatum iverint, in dando mercedem, et merces non data est tibi, fuisti itaque in contrarium," significat jucundum amoris et affectionis falsificandi vera suae ecclesiae per falsa aliarum religionum et confirmandi illa; jucundum amoris et affectionis erga falsa aliarum religionum hic intelligitur per "mercedem," seu donum meretricium. Ex his quae nunc allata sunt constare potest quid per "mercedem" in utroque sensu spiritualiter intelligitur; hoc enim merces spiritualis est, quod jucunditate et gaudio afficit; sint pro exemplo, opes, possessiones, honores, munera, quibus homo propter bene acta remuneratur, quae spiritualiter intellecta non sunt illa, sed jucunditates et gaudia ex illis: plus autem merces caelestis, quae erit homini ecclesiae qui bene vivit, quae est affectio veri spiritualis, et inde intelligentia et sapientia, ex qua beatitudo et felicitas; et insuper in caelo opulentia et magnificentia, quae ex caelesti amore

ut ejus correspondens sequitur; at usque opulentia et magnificentia in caelo non spectatur ut merces, sed spirituale ex quo illae. Hoc quoque intelligitur per "operis pretium" et per "mercedem," quae in Domino et a Domino

(*Esai.* xl. 10; cap. lxi. 8; cap. lxii. 11: *Luc.* vi. 35; cap. xiv. 12–14: et alibi).

696[*a*]. *"Et timentibus nomen tuum parvis et magnis."*—Quod significet *et omnibus qui Dominum colunt ex quacunque religione*, constat ex significatione "timere nomen" Domini Dei, quod sit colere Dominum (de qua sequitur); et ex significatione "parvorum et magnorum," quod sit ex quacunque religione; nam per "parvos" intelliguntur qui parum sciunt vera et bona ecclesiae, et per "magnos" qui multum sciunt, ita qui parum et multum colunt Dominum; quantum enim homo scit vera fidei et vivit secundum illa, tantum colit Dominum, cultus enim non est ex homine, sed ex veris a bono quae apud hominem sunt, quoniam haec sunt ex Domino, et in illis est Dominus. Quod per "timentes nomen tuum, parvos et magnos," intelligantur omnes qui colunt Dominum ex quacunque religione, est quia mox prius nominantur "servi prophetae" et "sancti," per quos intelliguntur omnes qui intra ecclesiam in veris doctrinae et in vita secundum illa sunt; quare per "timentes nomen tuum, parvos et magnos" intelliguntur omnes qui extra ecclesiam in cultu Domini secundum religionem suam sunt; nam hi quoque timent nomen Dei qui colunt Dominum, et vivunt in aliqua fide et charitate secundum religiosum suum; quippe in hoc versu agitur de ultimo judicio super omnes tam malos quam bonos, ac ultimum judicium fit super omnes tam qui intra ecclesiam sunt quam super omnes qui extra illam, et tunc salvantur omnes qui timent Deum, et vivunt in amore mutuo, in rectitudine cordis et sinceritate ex religioso; omnes enim illi quoad animam, per intuitionem fidei in Deum, et per vitam charitatis, consociantur angelis caeli, et sic conjunguntur Domino ac salvantur; quisque enim post mortem venit ad suos in mundo spirituali, cum quibus, dum vixit in mundo naturali, quoad suum spiritum consociatus est. Quod "parvi et magni" signi-

ficent minus et plus, nempe qui colunt Dominum, ita qui minus et plus in veris ex bono sunt, est quia sensus spiritualis Verbi abstractus est ab omni respectu personae, nude enim rem intuetur; et in voce "parvorum et magnorum" est respectus personae, nam intelliguntur homines qui colunt Deum; inde est quod pro illis in eo sensu intelligatur minus et magis, ita qui ex genuinis veris et bonis minus et magis colunt. Simile etiam est cum "servis prophetis" et "sanctis," de quibus mox supra, per quos non intelliguntur in sensu spirituali prophetae et sancti, sed abstracte a personis vera doctrinae et vita secundum illa; dum illa intelliguntur, inclusive etiam comprehenduntur omnes qui in veris doctrinae et in vita secundum illa sunt, haec enim sunt in subjectis quae sunt angeli et homines; at cogitare tunc solum angelos et homines est naturale, sed cogitare vera doctrinae et vitam quae faciunt angelos et homines est spirituale. Inde constare potest quomodo sensus spiritualis, in quo sunt angeli, se distinguit a sensu naturali, in quo sunt homines; nempe, quod singulis, quae homines cogitant, inhaereat aliquid ex persona, ex spatio, ex tempore, et ex materia, at quod angeli cogitent res abstracte ab illis: inde est quod angelis sit loquela homini incomprehensibilis, quia illa est ex intuitione rei et inde sapientia abstracta a talibus, ita respective indeterminata ad illa quae propria mundi naturalis sunt. Quod per "timere nomen tuum" significetur colere Dominum, est quia per "timere" significatur colere, et per "nomen tuum" Dominus; nam in versu praecedente dicitur quod "viginti et quatuor seniores gratias egerint Domino Deo, qui es et qui eras et qui venturus es;" quare per "timere nomen tuum" intelligitur colere Dominum. In Verbo tam Veteris quam Novi Testamenti dicitur "nomen Jehovae," "nomen Domini," "nomen Dei," et "nomen Jesu Christi;" et ibi per "nomen" intelliguntur omnia per quae colitur, ita omnia amoris et fidei, ac in supremo sensu intelligitur Ipse Dominus, quia ubi Ipse est, ibi sunt omnia amoris et fidei; quod haec et illa per "nomen Jehovae," "Domini Dei," et "Jesu Christi" intelligantur, videatur supra (n. 102, 135, 224), et quoque patet ex his Domini verbis,

"Si duo ex vobis consenserint in nomine meo super terra de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in caelis est: ubi enim [1]duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum" (*Matth.* xviii. 19, 20):

ibi [per] "consentire in nomine Domini," et "congregari in nomine Ipsius," non intelligitur in solo nomine, sed in illis quae Domini sunt, quae sunt vera fidei et bona amoris, per quae colitur. Quod "timere," cum de Domino, significet colere et revereri, est quia in cultu et in omnibus ejus est timor sanctus et venerabilis, qui est quod honorandus sit, et non ullo modo laedendus; est enim sicut infantum erga parentes, parentum erga infantes, uxorum erga maritos, et maritorum erga uxores, tum sicut amicorum erga amicos, apud quos est timor ne laedantur et quoque respectus; ille timor cum respectu est in omni amore et in omni amicitia, adeo ut amor et amicitia absque tali timore et respectu sit quasi cibus non salitus, qui est insulsus: inde nunc est quod "timere Dominum" sit colere Ipsum ex tali amore. Dicitur quod per "timere nomen tuum" significetur colere Dominum, et tamen per "timentes Ipsum" intelliguntur hic omnes qui extra ecclesiam sunt, quibus tamen Dominus ignotus est, ex causa quia non habent Verbum; sed usque omnes ex illis acceptantur a Domino, qui de Deo ideam Humani habent, Deus enim sub forma Humana est Dominus: at vero omnes, sive intra sive extra ecclesiam sint, qui de Deo non sicut de Homine cogitant, illi dum in vitam suam spiritualem veniunt, quod fit post excessum ex hoc mundo, non acceptantur a Domino, quia illi non habent aliquam ideam de Deo determinatam, sed interminatam, quae nulla est; et si aliqua sit, usque dissipatur; quae causa est quod omnes qui e terris in mundum spiritualem veniunt, primum explorentur qualem ideam de Deo habuerint et secum ferunt; si non ut de Homine, quod mittantur ad loca instructionis et doceantur quod Dominus sit Deus caeli et terrae, et quod cum de Deo, de Domino oporteat cogitare, et quod alioqui non aliqua foret conjunctio cum Deo, et inde nec consociatio cum angelis; tunc omnes qui vitam charitatis vixerunt, recipiunt instructionem ac Dominum colunt: at omnes qui dicunt se in fide fuisse, sed non fuerunt in vita fidei, quae est charitas,

non recipiunt instructionem; quare separantur, et in loca infra caelos amandantur, quidam in inferna, quidam in terram quae in Verbo "terra inferior" vocatur, ubi dura patiuntur. At usque gentiles, quibus leges religionis fuerunt leges vitae, prae Christianis recipiunt doctrinam de Domino; et id praecipue ex causa, quia non aliam ideam de Deo habuerunt quam ut de Divino Homine. Haec dicta sunt ut sciatur unde est quod per "timere nomen tuum" intelligatur colere Dominum.

[*b*.] Multis in locis in Verbo dicitur "timere Jehovam Deum," et per id intelligitur colere; quare paucis dicetur quodnam cultus in specie intelligitur per "timere Deum." Omnis cultus Jehovae Dei erit ex bono amoris per vera; cultus qui ex solo bono amoris est, non est cultus; nec est cultus qui est ex solis veris absque bono amoris; utrumque erit, nam essentiale cultus est bonum amoris, sed bonum existit et formatur per vera; inde omnis cultus erit per vera ex bono: quia ita est, ideo in plerisque locis in Verbo, ubi dicitur "timere Jehovam Deum," etiam dicitur "custodire ac "facere verba et praecepta Ipsius;" quare ibi per "timere" significatur cultus per vera, ac per "custodire et facere" cultus ex bono amoris, nam "facere" est voluntatis ita amoris et boni, ac "timere" est intellectus ita fidei et veri; nam omne verum quod fidei est proprie est intellectus, et omne bonum quod amoris est proprie est voluntatis: inde videri potest quod "timor Jehovae Dei" dicatur de cultu per vera doctrinae, quae etiam vera fidei vocantur. Quod id cultus intelligatur per "timorem Jehovae Dei," est quia Divinum Verum facit timorem, nam damnat malos ad infernum; non autem Divinum Bonum; hoc aufert damnationem, quantum id per vera ab homine ac angelo recipitur. Inde constare potest quod tantum sit timor pro Deo, quantum homo in bono amoris est; et quod tantum pavor et terror evanescant, et fiant timor sanctus cum reverentia, quantum homo in bono amoris est, et inde in veris, hoc est, quantum boni est in veris ejus. Inde sequitur quod timor in cultu varius sit apud unumquemvis, secundum statum vitae ejus; et quoque quod sanctitas cum reverentia, quae timori inest apud illos qui in bono sunt, etiam varia sit, secundum receptionem boni voluntate, ac secundum receptionem

veri intellectu, hoc est, secundum receptionem boni corde et receptionem veri anima. Sed haec quae nunc dicta sunt, evidentius constare [1]possunt ex sequentibus locis in Verbo:—Apud *Mosen*,

> "Quid Jehovah Deus..petit a te, nisi ut timeas Jehovam Deum tuum, ad eundum in omnibus viis Ipsius, et ad amandum Ipsum, et ad serviendum Jehovae Deo tuo, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua?" (*Deutr.* x. 12, 20:)

dicitur "timere Jehovam Deum," "ire in viis Ipsius," "amare Ipsum," et "servire Ipsi," et per omnia illa describitur cultus per vera ex bono; cultus per vera intelligitur per "timere Jehovam Deum" ac "servire Ipsi," et cultus ex bono per "ire in viis Ipsius" et "amare Ipsum:" quare etiam dicitur "ex toto corde" et "ex tota anima;" "cor" significat bonum amoris et charitatis quod est voluntatis, et "anima" significat verum doctrinae et fidei quod est intellectus; cor enim correspondet bono amoris, ac in homine ejus voluntati, et anima correspondet vero fidei, ac in homine ejus intellectui; per "animam" enim intelligitur animatio seu respiratio hominis, quae etiam vocatur ejus spiritus. (Quod "anima" in Verbo significet vitam fidei, et "cor" vitam amoris, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 2930, [2]9050, 9281.) Apud eundem,

> "Post Jehovam Deum vestrum ibitis, Ipsumque timebitis, ut praecepta Ipsius custodiatis, et vocem Ipsius audiatis, ac Ipsi serviatis, et Ipsi adhaereatis" (*Deutr.* xiii. 5 [*B. A.* 4]):

"post Jehovam Deum ire," "praecepta Ipsius custodire," et "Ipsi adhaerere," significant bonum vitae, ita bonum amoris, ex quo cultus; ac "Jehovam Deum timere," "vocem Ipsius audire," et "Ipsi servire," significant vera doctrinae, ita vera fidei per quae cultus. Quoniam omnis cultus Domini erit per vera ex bono, et non per vera absque bono, nec per bonum absque veris, ideo in singulis Verbi est conjugium boni et veri, ut in locis jam allatis, et quoque in sequentibus. (De conjugio boni et veri in singulis Verbi, videatur supra, n. 238 fin., 288[*b*], 660.) Apud eundem,

> "Jehovam Deum tuum timebis, Ipsi servies, Ipsique adhaerebis, et in nomine Ipsius jurabis" (*Deutr.* x. [3]20):

etiam hic "timere Jehovam Deum" et "servire Ipsi" involvunt vera cultus; ac "Jehovae Deo adhaerere" et

"in nomine Ipsius jurare" involvunt bonum cultus; nam "adhaerere" est vox boni amoris, quoniam qui amat is adhaeret; similiter "jurare in nomine Jehovae," per id enim confirmat quod facturus sit: quod "servire" involvat vera cultus, est quia per "servos" in Verbo intelliguntur qui in veris sunt, et hoc ex causa quia vera serviunt bono (videatur supra, n. 6, 409). Apud eundem,

> "Ut timeas Jehovam Deum tuum, ad custodiendum omnia statuta Ipsius et praecepta Ipsius;....Jehovam Deum tuum timebis, et Ipsi servies, ac in nomine Ipsius jurabis: non ibitis post deos alios. ....Praecepit nobis Jehovah facere omnia statuta haec, ad timendum Jehovam Deum nostrum" (*Deutr.* vi. 2, 13 14, 24):

cultus per vera ex bono, seu per fidem ex amore, etiam hic similiter describitur; per "timere Jehovam Deum, et Ipsi servire," intelligitur cultus per vera fidei, et per "custodire et facere statuta et praecepta," ac "in nomine Jehovae jurare," cultus ex bono amoris; nam "custodire et facere statuta et praecepta" est bonum vitae, quod idem est cum bono amoris, nam qui amat is vivit; similiter "jurare in nomine Jehovae," nam "jurare" est confirmare vita: quod "timere Jehovam, et servire Ipsi," sit cultus secundum vera doctrinae, supra dictum est: sunt enim duo quae faciunt cultum, nempe doctrina et vita; doctrina absque vita non facit illam, nec vita absque doctrina.

[*c.*] Similiter in sequentibus:—Apud eundem,

> "Congrega populum....ut audiant, et ut discant et timeant Jehovam Deum vestrum, ac custodiant facere omnia verba legis" (*Deutr.* xxxi. 12);

apud eundem,

> "Si non custodis facere omnia praecepta legis hujus,....ad timendum nomen magnificum et venerabile hoc, Jehovam Deum tuum" (*Deutr.* xxviii. 58);

apud eundem,

> Rex "scribet sibi exemplar legis,....et leget in eo omnibus diebus vitae suae, quo discat timere Jehovam Deum suum, ad custodiendum omnia verba legis.., et statuta.., ad faciendum illa" (*Deutr.* xvii. [1]18, 19);

apud eundem,

> "Custodies praecepta Jehovae Dei tui, eundo in viis Ipsius, et timendo Ipsum" (*Deutr.* viii. 6);

et apud eundem,

"Quis dabit ut sit cor..illis ad timendum Me, et ad custodiendum omnia praecepta mea omnibus diebus?" (v. 26 [*B. A.* 29]:)

in his locis, ubi dicitur "timere Jehovam Deum," etiam adjungitur "custodire et facere praecepta legis," tum "ire in viis Ipsius," ex causa quia, ut dictum est, omnis cultus Dei internus spiritualis consistens in bono vitae fiet secundum vera doctrinae, quoniam haec docebunt; cultus secundum vera doctrinae significatur per "timere Jehovam," et cultus ex bono vitae per "custodire praecepta," et "ire in viis Ipsius;" "ire in viis Jehovae" est vivere secundum vera doctrinae; et quia cultus secundum vera doctrinae intelligitur per "timere Jehovam," ideo dicitur quod "ex lege discetur timere Jehovam." At sciendum est quod "timor Jehovae" sit cultus internus spiritualis qui erit in cultu externo naturali; cultus internus spiritualis est cogitare et intelligere vera, ita reverenter et sancte de Deo, quod est "timere Ipsum;" et cultus externus naturalis est facere illa, quod est "custodire praecepta et verba legis." Apud *Davidem*,

"Doce me, Jehovah, viam tuam, [1]illam in veritate; aduna cor meum timori nominis tui" (Ps. lxxxvi. 11):

per "docere viam" significatur docere verum secundum quod vivendum est; quare dicitur, "[2]Doce illam in veritate:" quod bonum amoris cum veris fidei conjunctum erit, significatur per "Aduna cor meum timori nominis tui;" "cor" significat amorem, "timor" sanctum fidei, quae "adunanda" seu simul erunt in cultu. Apud eundem,

"Beatus omnis timens Jehovae, qui ambulat in viis Ipsius" (Ps. cxxviii. 1);

"timere Jehovam" etiam hic est cogitare reverenter et sancte de Deo, et "ambulare in viis Ipsius" est vivere secundum Divina vera; per utrumque fit cultus: sed in cultu externo, qui est vivere secundum Divina vera, erit cultus internus qui est "timere Jehovam;" quare dicitur quod "sit timens Jehovae qui ambulat in viis Ipsius." Apud eundem,

"Beatus vir qui timet Jehovam, praeceptis Ipsius delectatur valde" (Ps. cxii. 1):

similiter ut supra, nam "delectari praeceptis Jehovae

valde" est amare illa, ita velle et facere illa. Apud *Jeremiam*,

> "Non timuerunt, neque iverunt in lege mea, et in statutis meis" (xliv. [1]10):

"non timere" pro non cogitare de Deo ex veris Verbi, ita non sancte et reverenter; "non ire in lege Dei et in statutis Ejus" pro nec vivere secundum illa; "praecepta" sunt leges cultus interni, et "statuta" sunt leges cultus externi. Apud *Malachiam*,

> "Si Pater Ego, ubi honor meus? si Dominus Ego, ubi timor Mei?" (i. 6:)

"honor" et "timor" dicitur, quia "honor" dicitur de cultu ex bono, et "timor" de cultu per vera; (quod "honor" dicatur de bono, videatur supra, n. 288, 345;) quare etiam dicitur "honor" de Patre, et "timor" de Domino, nam Jehovah dicitur "Pater" ex Divino Bono, ac "Dominus" ibi ex Divino Vero. Apud eundem,

> "Foedus meum fuit cum" Levi, "vitae et pacis, quae dedi illi cum timore, et timuit Me" (ii. 5):

per "Levin" hic intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, et per "foedus vitae et pacis" significatur unio Ipsius Divini cum Ipso, ac per "timorem" et per "timere" significatur sanctum Verum, cum quo unio. Apud *Esaiam*,

> "[2]Quiescit super Illo spiritus Jehovae, spiritus sapientiae et intelligentiae, spiritus consilii et virtutis, spiritus scientiae et timoris Jehovae, unde suffire Ipsius in timore Jehovae" (xi. 2, 3):

haec etiam de Domino, et per illa verba describitur Divinum Verum, in quo et ex quo omnis sapientia et intelligentia: Divinum Verum quod fuit in Domino cum erat in mundo, et quod post glorificationem Humani Ipsius procedit ab Ipso, intelligitur per "Spiritum Jehovae" qui quievit super Ipso; quod inde Ipsi Divina sapientia ac Divina potentia, intelligitur per "spiritum sapientiae et intelligentiae," et per "spiritum consilii et virtutis;" quod inde Ipsi omniscientia et ipsa sanctitas in cultu, intelligitur per "spiritum scientiae et timoris Jehovae;" et quia "timor" significat sanctum cultus ex Divino Vero, ideo additur, "unde suffire Ipsius in timore Jehovae," "suffire"

enim significat cultum ex Divino spirituali, quod est Divinum Verum; (quod id per "suffire" significetur, videatur supra, n. 324, 491, 492, 494, 567:) dicitur "spiritus sapientiae, intelligentiae, scientiae et timoris," ac per "spiritum" intelligitur Divinum procedens, et per "spiritum sapientiae" intelligitur Divinum caeleste, quod est Divinum procedens receptum ab angelis [1]caeli intimi seu tertii; per "spiritum intelligentiae" intelligitur Divinum spirituale, quod est Divinum procedens receptum ab angelis medii seu secundi caeli; per "spiritum scientiae" intelligitur Divinum naturale, quod est Divinum procedens receptum ab angelis ultimi seu primi caeli; et per "spiritum timoris Jehovae" intelligitur omne sanctum cultus ex illis Divinis. Apud *Jeremiam*,

> "Dabo illis cor unum et viam unam ad timendum Me omnibus diebus in bonum illis,....et feriam illis foedus saeculi,....et timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant ab apud Me" (xxxii. 39, 40):

"Dabo illis cor unum et viam unam ad timendum Me" significat unam voluntatem et unum intellectum ad colendum Dominum; "cor" significat bonum voluntatis, "via" verum intellectus ducens, et "timor" sanctum cultum inde: "Feriam illis foedus saeculi, et timorem meum dabo in cor eorum," significat conjunctionem per bonum amoris et per verum illius boni in cultu; "foedus" est conjunctio, "timor in corde" est sanctum cultus ex vero in bono amoris: "ut non recedant ab apud Me" significat propter conjunctionem: quoniam conjunctio cum Domino fit per vera ex bono, et non per vera absque bono, nec per bonum absque veris, ideo dicitur ibi utrumque. Apud *Davidem*,

> "Domus Aharonis, confidite in Jehovah;....timentes Jehovae, confidite in Jehovah" (Ps. cxv. 10, 11):

per "domum Aharonis" significantur omnes qui in bono amoris sunt; et per "timentes Jehovae" significantur omnes qui in vero ex illo bono sunt. In *Apocalypsi*,

> Angelus habens Evangelium aeternum dixit, "Timete Deum et date.. gloriam,....adorate Ipsum" (xiv. 7):

per "timere Deum et dare Ipsi gloriam" significatur colere Dominum ex sanctis veris; et "adorare Ipsum" significat ex bono amoris. Apud *Davidem*,

"Timeant a Jehovah omnis terra, ab Illo extimescant omnes habitatores orbis :....ecce oculus Jehovae super timentibus Ipsum, exspectantibus misericordiam Ipsius" (Ps. xxxiii. 8, [1]18):

apud eundem,

"Beneplacitum Jehovae est in timentibus Ipsum, exspectantibus misericordiam Ipsius" (Ps. cxlvii. 11):

quia "timor Jehovae" significat receptionem Divini Veri, et "misericordia" receptionem Divini Boni, ideo dicitur, "Oculus" et "Beneplacitum Jehovae super timentibus Ipsum, exspectantibus misericordiam Ipsius." Apud *Esaiam*,

"Honorabunt Te populus potens, urbs gentium validarum timebunt Te" (xxv. 3):

hic quoque cultus ex bono significatur per "honorare," nam honor praedicatur de bono amoris; et cultus ex veris significatur per "timere Dominum," ut supra dictum; "populus potens" significat homines ecclesiae qui in veris ex bono sunt, inde enim omnis potentia: "urbs gentium validarum" significat illos qui in veris doctrinae et per illa in bono amoris; et quia inde omnis potentia spiritualis, ideo dicuntur "gentes validae:" ex illis verbis etiam manifeste patet quod conjugium boni et veri sit in singulis Verbi, "honorare" enim dicitur de bono, "timere" de vero, utrumque in cultu; "populus" dicitur de illis qui in veris et per illa in bono sunt, "gentes" autem qui in bono et ex illo in veris; et quia ex conjunctione boni et veri est omnis potentia in spirituali mundo, ideo "populus" dicitur "potens," et "gentes" dicuntur "validae."

[*d.*] "Timor Jehovae" significat cultum, in quo est sanctitas per vera, etiam in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Cor" populi "procul recessit a Me, et factus est timor eorum erga Me, praeceptum hominum doctum" (xxix. 13);

apud eundem,

"Quis inter vos timens Jehovae, audiens vocem servi Ipsius? qui ambulat in tenebris, nec splendor illi, confidit in nomine Jehovae, et innititur Deo suo" (l. 10);

apud *Jeremiam*,

"Audient omne bonum quod Ego faciens illis, ut timeant et commoveantur super omni bono, et super omni pace, quam Ego facturus illi" (xxxiii. 9);

apud *Davidem*,

"Castrametatur Angelus Jehovae circa timentes Ipsum, ut liberet eos. ....Timete Jehovam, sancti Ipsius, quia non est defectus timentibus Ipsum" (Ps. xxxiv. 8, 10 [*B. A.* 7, 9]);

apud eundem,

"Quibus non mutationes, neque timent Deum" (Ps. lv. 20 [*B. A.* 19]);

apud eundem,

"Principium sapientiae timor Jehovae, intellectus bonus omnibus facientibus ea" (Ps. cxi. 10):

quia "timor" spectat Divinum Verum ex quo sanctitas in cultu, et ex quo sapientia et intelligentia, ideo dicitur, "Principium sapientiae timor Jehovae, intellectus bonus," hoc est, intelligentia, "omnibus facientibus ea." Apud eundem,

"Timentes Jehovam laudabunt Ipsum, omne semen Jacobi honorabunt Ipsum, et timebunt ab Ipso omne semen Israelis" (Ps. xxii. 24 [*B. A.* 23]);

apud *Lucam*,

"Misericordia" Dei "in generationem generationum timentibus Ipsum" (i. 50).

Quod "timere Jehovam Deum" involvat et inde significet sanctum habere et revereri, proinde sancte et reverenter colere, constare etiam potest ex his locis:—Apud *Mosen*,

"Sabbatha mea observabitis, et sanctuarium meum timebitis" (*Levit.* xix. [1]30); ...."reverebimini" (cap. xxvi. 2);

apud eundem,

"Opus Jehovae quam timendum (reverendum), illud quod facturus sum" (*Exod.* xxxiv. 10);

et apud eundem,

Et Jacob "timuit, et dixit, Quam timendus (reverendus) locus hic; nihil hic nisi domus Dei, et..porta caeli" (*Gen.* xxviii. 17):

quod per "timere," cum de Divino et de sancto caeli et ecclesiae dicitur, significet revereri ac reverenter habere, ex illis locis patet; tum ex eo, quod eadem illa vox quae significat *timere* in lingua Hebraea, etiam significet *revereri* et *venerari*. Hoc etiam patet ex his apud *Lucam*,

"Judex erat in urbe quadam Deum non timens, et hominem non reverens,....qui dixit apud se, Quamvis Deum non timeo, neque hominem revereor...." (xviii. 2, 4);

dicitur "Deum timere," et "hominem revereri," quia timere significat revereri in superiori gradu. Apud *Matthaeum,*

> Jesus dixit, "Ne timeatis ab iis qui occidere corpus possunt, animam vero occidere non possunt ; timete potius Ipsum qui potest et corpus et animam perdere in gehenna" (x. 28 ; *Luc.* xii. 4, 5, 7):

sed hic per "timere" significatur timorem habere ne spiritualiter moriantur, proinde timorem naturalem, qui est formido et pavor ; timor autem spiritualis est sanctus timor, qui inest omni amori spirituali varie secundum quale amoris et secundum quantum ejus : in hoc timore est homo spiritualis ; is quoque scit quod Dominus non alicui malum faciat, minus aliquem quoad corpus et quoad animam perdat in Gehenna, sed quod omnibus benefaciat, et quod unumquemvis quoad corpus et quoad animam velit ad Se in caelum attollere ; inde ejus timor est sanctus timor, ne per malum vitae et per falsum doctrinae homo Divinum illum amorem in se avertat, et sic laedat : sed naturalis timor est formido, pavor et terror, pro periculis, poenis et sic pro inferno, qui timor inest omni amori corporeo, etiam varie secundum quale amoris, et secundum quantum ejus ; homo naturalis, cui ille timor est, non scit aliter quam quod Dominus malum faciat malis, eos condemnet, in infernum conjiciat, et puniat ; ex eo est quod illi timeant et formident a Domino. In hoc timore fuerunt plerique ex gente Judaica et Israelitica, ex causa quia fuerunt naturales homines ; quapropter toties in Verbo dicitur "pavescere et contremiscere pro Jehovah," et quoque quod "in pavore et contremiscentia fuerint :" inde fuit, quod de filiis Israelis dicatur quod "trepidaverint" quando Divina Lex seu Divinum Verum promulgabatur e Monte Sinai

> (*Exod.* xx. 15–17 [*B. A.* 18–20] ; *Deutr.* v. 20–22 [*B. A.* 23–25]) :

ille timor est, qui quoad partem intelligitur per

> "Pavorem Isaci," per quem Jacobus juravit Labani (*Gen.* xxxi. 42, 53) ;

per "Abrahamum" enim, "Isacum" et "Jacobum" in Verbo intelligitur Dominus ; per "Abrahamum" Dominus quoad Divinum caeleste, per "Isacum" quoad Divinum spirituale, et per "Jacobum" quoad Divinum naturale ;

Divinum spirituale, quod "Isacus" significabat, est Divinum Verum, quod naturales homines terret; et quia Laban erat naturalis homo, ideo Jacob illi per "Isaci pavorem" aut terrorem juravit. Similis paene timor intelligitur apud *Esaiam*,

> "Jehovam Zebaoth sanctificabitis, nam Ipse timor vester et pavor vester" (viii. 13);

"timor" ibi dicitur pro spirituali homine, et "pavor" pro naturali. Ne spiritualis homo in tali timore sit in quali naturalis homo, ideo dicitur "Ne timeas":—Apud *Esaiam*,

> Jacob et Israel, "Ne timeto, nam redemi te, vocans nomine tuo, Mihi tu" (xliii. 1);

apud *Lucam*,

> "Ne time, parve grex, quia complacuit Patri vestro vobis dare regnum" (xii. 32);

et apud *Jeremiam*,

> "Ne timeas, serve mi Jacob,...et ne terrearis Israel, quia Ego servans te e longinquo;....Jacob tranquillus et quietus erit, non terrens" (xxx. 9, 10);

et in pluribus aliis locis. Praeterea quod "timor," "terror," "consternatio," et similia, significent varias commotiones animi et mutationes status mentis, videatur supra (n. 667, 677).

697. *"Et perdere perdentes terram."*—Quod significet *infernum illis qui destruunt ecclesiam*, constat ex significatione "perdere," cum de illis qui destruunt ecclesiam, quod sit damnatio et infernum; nam cum "dare mercedem servis prophetis et sanctis" significat salvationem et caelum illis qui in veris ex bono sunt, ita qui faciunt ecclesiam, inde "perdere" illam [1]significat damnationem et infernum: et ex significatione "terrae," quod sit ecclesia (de qua supra, n. 29, 304, 413[*b*], 417[*a*]); inde "perdere terram" significat destruere ecclesiam. Quod per "terram" in Verbo intelligatur ecclesia, multis ostensum est supra, tum etiam in *Arcanis Caelestibus*. Causae, quod per "terram" in Verbo significetur ecclesia, sunt plures; nempe, quod per "terram" ibi, dum non aliqua terra in specie nominatur, ut terra Aegypti, Edomi, Moabi, Assyriae, Chaldaeae, Babelis, et aliorum, intelligitur terra Canaan; et per illam

terram, ab illis qui in spirituali idea sunt, non potest cogitari terra, quia id terrestre est et non caeleste, sed cogitatur quale gentis ibi quoad ecclesiam; similiter ut dum in alicujus idea est ecclesia, aut religio, aut cultus, dum ex illa idea nominantur terrae tunc non cogitatur terra, sed gentis terrae quale quoad ecclesiam, religionem aut cultum; inde est quod angeli, qui spirituales sunt, dum homo in Verbo legit "terram," cogitent ecclesiam; et quod angeli cogitant, hoc sensus spiritualis Verbi est, nam sensus spiritualis Verbi est pro angelis et quoque pro hominibus qui spirituales sunt; Verbum enim in littera est naturale, sed usque intus seu in sinu suo est spirituale; ac dum naturale abstergitur, patet spirituale quod intus seu in sinu est. Praeterea sunt terrae in mundo spirituali, seu in mundo ubi sunt spiritus et angeli, aeque ac in mundo naturali ubi sunt homines, et sunt illae terrae quoad externam apparentiam prorsus similes; sunt ibi planities, valles, montes, colles, et sunt fluvii et maria, et quoque sunt agri, prata, silvae, horti, paradisi; et illae terrae ibi sunt aspectu pulchrae prorsus secundum statum ecclesiae apud illos qui super iis habitant, et quoque mutantur secundum mutationes ecclesiae apud illos: verbo, est plena correspondentia terrarum ibi cum receptione boni amoris et veri fidei apud habitatores; inde quoque est quod per "terram" in Verbo significetur ecclesia; quale enim terrae est quale ecclesiae ibi; correspondentia id facit. In eo mundo ipsa terra cum ecclesia unum facit, sicut correspondens cum sua re cui correspondet, prorsus sicut effectus cum sua causa efficiente; sicut oculus cum suo visu, sicut loquela cum suo intellectu, sicut actio cum voluntate, sicut vultus faciei cum affectione cogitationis, verbo, sicut instrumentale cum suo principali, de quibus dicitur quod unam rem faciant; ita in mundo spirituali quale terrae cum quali ecclesiae. Ex his constare potest unde est quod per "terram" in Verbo significetur ecclesia, et hic quod per "perdere terram" significetur destruere ecclesiam: ut quoque in sequentibus locis:—Apud *Esaiam*,

"Num hic vir commovens terram, tremefaciens regna? posuit orbem in desertum, urbes ejus destruxit?....terram tuam perdidisti, populum tuum occidisti" (xiv. 16, 17, 20):

haec de Lucifero, per quem ibi intelligitur Babel, ut ex praecedentibus et consequentibus ibi patet; et per "terram" quam commovet, et quam perdidit, significatur ecclesia; per "regna" quae tremefacit, significantur ecclesiae in quas ecclesia communis distincta est; per "orbem," quem posuit in desertum, significatur ecclesia communis; per "urbes" quas destruxit, significantur vera doctrinae ejus; et per "populum" quem occidit, significantur homines ecclesiae quorum spiritualem vitam perdidit. Apud *Jeremiam*,

> "Ecce Ego contra te, mons perdens,...perdens universam terram" (li. 25):

etiam haec de Babele, quae "mons perdens" dicitur, quia "mons" significat amorem imperandi, ibi super caelum et super terram, cui amori inserviunt bona et vera ecclesiae pro mediis; quare "perdere universam terram" significat ecclesiam. Apud *Danielem*,

> Bestia quarta ascendens e mari "comedet totam terram, et conculcabit eam, et conteret eam" (vii. 23):

per hanc "bestiam" etiam significatur amor imperandi super universum caelum et universam terram, qui amor est illis qui e Babele sunt (videatur supra, n. 316[e], 556[a]); quare per "comedere, conculcare et conterere terram" significatur prorsus destruere ecclesiam. Quis non videt quod non aliqua bestia ascensura sit ex mari, quae comesura, conculcatura et contritura sit omnem terram, sed quod aliquis amor malus et diabolicus, qui ita facturus est ecclesiae? Apud *Mosen*,

> "Non futurum erit amplius diluvium ad perdendum terram" (*Gen.* ix. 11);

per "terram" etiam ibi significatur ecclesia, quae ab Antediluvianis destructa est, sed non amplius destruenda. Apud *Esaiam*,

> "Jehovah evacuans terram, et exinaniens eam, et evertet facies ejus. ....Evacuando evacuabitur terra, et spoliando spoliabitur....; lugebit, confundetur terra habitabilis; languescet, confundetur orbis:....ipsa terra prophanabitur..., ex eo quod transgressi sint leges, transcenderint statutum, irritum reddiderint foedus aeternitatis, propterea maledictio comedet terram. ....Cataractae ab alto apertae sunt, et commota sunt fundamenta terrae, confringendo

confracta est terra,....commovendo commota est terra, titubando titubat terra sicut ebrius, et hinc inde commovetur sicut tigillum" (xxiv. 1, 3-6, 18-20):

quod hic per "terram" non intelligatur terra sed ecclesia, quisque videre potest; quod ita dicatur de ecclesia, est quia terrae in mundo spirituali, super quibus habitant angeli et spiritus, taliter ut hic dicitur, secundum mutationes status ecclesiae apud habitatores ibi, mutantur, immo etiam commoventur. Quod dicatur "Jehovah evacuans terram et exinaniens eam," tum "evacuando evacuabitur, et spoliando spoliabitur," est quia terrae ibi, quando ecclesia apud illos devastatur, prorsus mutat facies suas; paradisiaca ibi, floreta, vireta, et reliqua, ex quibus illae terrae prius floruerant, evanescunt; et pro illis existunt inamoena, ut arenosa, rupeta, campi vepretis et senticetis pleni, ac similia, quae correspondent falsis et malis quae devastarunt ecclesiam. Devastatio ejus quoad bonum amoris et charitatis significatur per "evacuare terram," et desolatio ejus quoad vera doctrinae et fidei significatur per "exinanire et spoliare illam," et ipsa mutatio per "evertere facies ejus:" "lugebit, confundetur terra habitabilis; languescet, confundetur orbis; maledictio comedet terram," significat quod non aliquid ibi crescet et florebit, sed quod sterilescet et implebitur inutilibus, ex quibus terra dicitur "lugere," "languescere" et "comedi maledictione;" quia haec fiunt quando habitatores ibi non amplius curant sancta ecclesiae, ideo dicitur, "ex eo quod transgressi sint leges, transcenderint statutum, irritum reddiderint foedus aeternitatis." Quoniam terrae ibi nunc inundantur, nunc concutiuntur, etiam hic et ibi hiscunt et patent versus infernum quod infra est et se elevat, quod fit secundum quale et quantum falsa et mala amantur, et inde bona et vera ecclesiae falsificantur et negantur, ideo dicitur quod "cataractae ab alto aperiantur, fundamenta terrae commoveantur, terra confringatur, ac titubet sicut ebrius;" haec etiam actualiter fiunt in mundo spirituali, quando status ecclesiae mutatur ibi in contrarium. Ex his constare potest unde est quod per "terram" hic et in Verbo alibi intelligatur ecclesia.

VERSUS 19.

698. *"Et apertum est templum Dei in caelo, et visa est arca foederis Ipsius in templo Ipsius: et facta sunt fulgura et voces et tonitrua et terrae motus et grando magna."*

19. ***"Et apertum est templum Dei in caelo,"*** significat *apparitionem novi caeli et novae ecclesiae, ubi cultus Domini* [n. 699]; ***"et visa est arca foederis Ipsius in templo Ipsius,"*** significat *Divinum Verum, per quod conjunctio est cum Domino* [n. 700, 701]; ***"et facta sunt fulgura, voces et tonitrua,"*** significat *tunc in inferioribus, ubi mali, conflictus et turbae cogitationum et ratiocinationes ex malo et falso de bono et vero* [n. 702]; ***"et terrae motus,"*** significat *mutationem status quoad illa quae caeli et ecclesiae sunt apud illos* [n. 703]; ***"et grando magna,"*** significat *falsum infernale destruens vera et bona ecclesiae* [n. 704].

699. [*Vers.* 19.] ***"Et apertum est templum Dei in caelo."***—Quod significet *apparitionem novi caeli et novae ecclesiae, ubi cultus Domini*, constat ex significatione "templi," quod sit caelum et ecclesia, hic novum caelum et nova ecclesia; apparitio illorum significatur per quod "templum apertum sit." (Quod "templum" in supremo sensu significet Dominum quoad Divinum Humanum Ipsius, ac Divinum Verum procedens ab Ipso, et in sensu respectivo caelum et ecclesiam, videatur supra, n. 220, 391 [*b,c,e*], 630.) Quod "templum" hic significet novum caelum et novam ecclesiam, ubi cultus Domini, est quia in hoc capite actum est de mutationibus status quae praecedunt ultimum judicium, nempe de malorum separatione a bonis ac de illorum remotione e locis ubi prius fuerunt; quando hoc fit, tunc apparet illis qui in superioribus caelis sunt novum caelum et nova ecclesia; haec, quamdiu conjuncti fuerunt cum malis, non potuerunt apparere, quia interiora eorum occlusa fuerunt, ne laederentur a malis, cum quibus quoad externa communicatio fuit: at cum separati et remoti fuerunt, tunc aperta sunt interiora apud bonos, quae in se caelestia fuerunt; quibus apertis, patuit caelum et ecclesia; nam quantum interiora, quae caelestia et spiritualia sunt, aperiuntur, tantum patet caelum quale est quoad ecclesiam apud illos in quibus caelum et ecclesia est. Quod ita sit, nemo potest ex propria intelligentia scire, quia sunt arcana caeli, quae ex revelatione discenda sunt: quis enim scire potest quomodo ultimum judicium peractum est, tum quales mutationes in mundo spirituali praecesserunt, et quaenam secutae sunt? Ut vero scirentur, manifestata sunt mihi; quare illa ex revelatione hic describere licet. Quod dicatur *novum caelum et nova ecclesia, ubi*

cultus Domini, est quia in novo caelo et in nova ecclesia colitur solus Dominus; non enim ibi distinguitur Divinum in tres Personas, sed in Trinum in una Persona, de qua Trinitate videantur quae in *Doctrina Novae Hierosolymae* (a n. 280 ad 310) scripta sunt: hoc quoque est quod intelligitur in *Apocalypsi*, ubi agitur de Nova Hierosolyma,

> "[1]Ceterum et templum non vidi in illa, quia Dominus Deus omnipotens Templum ejus est et Agnus" (cap. xxi. 22):

per "Dominum Deum omnipotentem et Agnum" intelligitur Dominus quoad Ipsum Divinum ac Divinum Humanum; quod ibi "non templum visum sit," est quia per "templum" in supremo sensu significatur Dominus quoad Divinum Verum et quoad cultum (ut supra, n. 220, 391[*b,c,e*], 630, ostensum est), et quia per "Novam Hierosolymam" intelligitur ecclesia quoad doctrinam, seu doctrina Novae Hierosolymae. At usque sunt templa in caelo, in quibus praedicatur Dominus, ac docetur Divinum Verum.

700[*a*]. ***"Et visa est arca foederis Ipsius in templo Ipsius."***— Quod significet *Divinum Verum, per quod conjunctio est cum Domino*, constat ex significatione "arcae foederis," quod sit Divinum Verum procedens a Domino (de qua sequitur). Quod "arca foederis" visa sit, erat quia apparuit "templum;" et in medio Templi Hierosolymae fuit arca, in qua repositae fuerunt binae tabulae Legis, per quas in universali sensu significabatur Divinum Verum procedens a Domino, ita Ipse Dominus, qui est Divinum Verum in caelis, ex quo etiam Dominus vocatur Verbum apud *Johannem* (cap. i. 1, 2, 14). Quod "arca" hoc significet, erat quia Tentorium conventus repraesentabat tres caelos; atrium ejus ultimum seu primum caelum; ipsum Tentorium usque ad velum, ubi erant mensa pro panibus, altare suffitus et candelabrum, repraesentabat medium seu secundum caelum; et arca quae erat intra velum, super qua erat propitiatorium cum cherubis, repraesentabat intimum seu tertium caelum; et ipsa Lex, quae erat in arca, repraesentabat Dominum quoad Divinum Verum seu Verbum: et quia conjunctio cum Domino est per Verbum, ideo arca illa vocabatur "arca foederis;" "foedus" enim significat conjunctionem. (Quod Tentorium seu Tabernaculum repraesentaverit formam caeli, et quod una cum atrio repraesentaverit tres caelos, et quod sanctum sanctorum, quod erat intimum, ubi arca, in qua tabulae

Legis, repraesentaverit tertium seu intimum caelum, et quod Lex seu Testimonium Ipsum Dominum, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 3478, 9457, 9481, 9485. Et quod "tabernaculum" aeque ac "templum" in supremo sensu significaverit Dominum, in sensu respectivo caelum et ecclesiam, et inde sanctum cultus etiam ibi, n. 9457, 9481, 10242, 10245, [1]10304, 10545. Quod "foedus" in Verbo significet conjunctionem; et quod omnia ecclesiae tam interna quam externa sint signa foederis, et quod dicantur "foedus" quia per illa conjunctio, etiam in *Arcanis Caelestibus*, n. 665, 666, 1023, 1038, 1864, 1996, 2003, 2021, 2037, 6804, 8767, 8778, 9396, 9416, 10632. Quod inde Lex promulgata in Monte Sinai dicta sit "foedus," et arca in qua illa Lex, "arca foederis," etiam ibi, n. 6804, 9416.) Quod arca cum foedere seu cum Testimonio incluso, significet Dominum quoad Divinum caeleste, quod est Divinum Verum in intimo seu tertio caelo, constare potest ex illis quae de arca dicuntur in Verbo:—Ut apud *Mosen*,

> "Facient Mihi sanctuarium, ut habitem in medio eorum, juxta omne quod Ego monstravi tibi, formam Habitaculi:....imprimis facient arcam ex lignis schittim,....et obduces eam auro puro, intus et foris obduces eam: et facies ei limbum auri....; quatuor annulos auri" pro vectibus;...."et dabis in arcam Testimonium quod dabo tibi: et facies propitiatorium ex auro puro,....et facies duos cherubos ex auro, solidum facies eos....ex propitiatorio,....ita ut cherubi expandant alas.., et obtegant alis suis propitiatorium, et facies eorum....versus propitiatorium:....et in arcam dabis Testimonium,....et conveniam te ibi, et loquar tecum desuper propitiatorio ab inter duos cherubos, qui super arca Testimonii, omne quod praecepturus tibi ad filios Israelis" (*Exod.* xxv. 8–22).

> "Facies velum ex hyacinthino et purpura et coccineo dibapho et xylino intertexto....cum cherubis: dabis illud super quatuor columnas ex schittim obductas auro;....et dabis velum sub ansulas, et inferes eo intra velum arcam Testimonii, ita ut velum discrimen faciat vobis inter sanctum et inter sanctum sanctorum; et dabis velum ante arcam..in sancto sanctorum" (*Exod.* xxvi. 31–34):

supra dictum est quod Tentorium, ubi arca, candelabrum, mensa pro panibus, et altare pro suffitu, una cum atrio, repraesentaverit tres caelos, et quod locus intra velum, ubi erat arca in qua Lex seu Testimonium, repraesentaverit tertium caelum; quod is locus repraesentaverit id caelum, fuit quia ibi erat Lex, per quam intelligitur Dominus quoad Divinum Verum seu quoad Verbum, nam "Lex" illa in lato sensu id significat, ac Divinum Verum procedens a Domino format caelos. Hoc recipitur valde pure ab angelis tertii caeli, quia in conjunctione cum Domino sunt per amorem in Ipsum; sunt enim omnes angeli in illo caelo in amore in Dominum; quapropter vident Divinum Verum in se sicut insitum, tametsi continue influit a Domino; inde est quod id caelum prae reliquis caelis, qui inferiores sunt, dicatur in Domino esse, quia in Divino quod procedit ab Ipso. Hoc caelum repraesentatum est

per arcam in qua Lex, hoc est, Dominus: inde erat quod arca esset obducta auro intus et foris, et quod propitiatorium esset supra arcam, et super propitiatorio et ex illo duo cherubi qui fuerunt ex puro auro; "aurum" enim ex correspondentia significat bonum amoris, in quo sunt angeli tertii caeli; per "propitiatorium" significabatur auditio et receptio omnium cultus qui ex bono amoris a Domino, et per "cherubos" significabatur providentia Domini ac tutela, ne adeatur nisi quam per bonum amoris; et id caelum cum angelis ibi tutatur, ne aliquid ad Ipsum Dominum elevetur nisi quod ex bono amoris in Ipsum ab Ipso procedit: omnis enim cultus Dei transit per caelos usque ad Dominum, ac in via purificatur, usque dum elevatur ad tertium caelum, ac ibi [1]aditur et recipitur a Domino; reliqua, quae impura sunt, in via absterguntur: inde est quod cherubi ex auro super propitiatorio, quod super arca, positi fuerint: et inde est quod ille locus dictus fuerit "sanctuarium," et quoque "sanctum sanctorum," et quod discriminatum fuerit ab exteriore parte Tabernaculi per velum. Quod Tentorium una cum atrio repraesentaverit tres caelos, constare etiam ex eo potest, quod omnia quae apud filios Israelis instituta erant, repraesentativa caelestium fuerint; nam ipsa ecclesia fuit ecclesia repraesentativa; ita imprimis Tabernaculum una cum altari fuit sanctissimum cultus, super altari enim peragebatur cultus per holocausta et sacrificia, et in Tabernaculo per suffitiones, perque lucernas quae ibi cottidie accendebantur, et per panes qui etiam super mensa cottidie ordinabantur; haec omnia repraesentabant omnem cultum in caelo et in ecclesia, et ipsum Tentorium cum arca ipsos caelos: inde erat quod Tabernaculum illud vocaretur "Habitaculum Jehovae Dei," sicut vocatur ipsum caelum. Quod repraesentati sint caeli per Tabernaculum, etiam constare potest ex eo, quod forma ejus monstrata sit Mosi a Domino super Monte Sinai; et quod monstratur in forma a Domino, hoc repraesentat vel caelum vel illa quae caeli sunt. Quod forma Tabernaculi monstrata sit Mosi super Monte Sinai, constat ex his quae dicta sunt Mosi,

> "Faciant Mihi sanctuarium, ut habitem in medio eorum, juxta omne quod monstravi tibi, formam habitaculi;" et postea, "Vide et fac in forma eorum quam videre factus es in monte" (*Exod.* xxv. 8, 9, 40):

inde est quod dicatur "sanctuarium," et dicatur "ut habitem in medio eorum." Quod in specie concernit arcam, quid nempe illa, tum "propitiatorium" super ea, ut et "cherubi" super propitiatorio, significant, tum quid "limbus aureus" circum arcam, quidve "quatuor annuli pro vectibus," tum quid "velum," "ansulae," cum reliquis ibi, [1]significant, in *Arcanis Caelestibus* (a n. [2]9484 ad 9577, 9670 ad 9680) videatur explicata. Ipsa sanctitas totius Tabernaculi fuit ex Testimonio, hoc est, ex duabus tabulis lapidum quibus Lex inscripta fuit, ex causa quia "Lex" significabat Dominum quoad Divinum Verum, et inde quoad Verbum, nam hoc est Divinum Verum. Quod Dominus sit Verbum, constat apud *Johannem*, ubi dicitur,

> "Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,....et Verbum Caro factum est, et habitavit inter nos" (cap. i. 1, 2, 14).

[**b.**] Quod Lex, quae vocatur et "Testimonium" et "Foedus," data fuerit in arcam, et similiter Liber a Mose scriptus, constat ex his apud illum,

> "Dabis in arcam Testimonium quod dabo tibi" (*Exod.* xxv. 16; cap. xl. 20);
> "Posui tabulas" Legis "in arca quam feceram, ut essent ibi, quemadmodum praeceperat mihi Jehovah" (*Deutr.* x. 5):

et de Libro Legis a Mose scripto,

> "Cum absolvit Moses scribere verba Legis hujus super librum usque dum consummavit ea, praecepit Moses Levitis portantibus arcam," ....ut acciperent Librum Legis, et ponerent a latere arcae foederis, ut sit ibi in testem (*Deutr.* xxxi. [24,] 25, 26):

ex quo patet quod intus in arca non fuerint nisi quam duae tabulae lapidum, quibus inscripta fuit Lex, et quod a latere ejus esset Liber Mosis. Quod non nisi quam binae tabulae foederis fuerint in arca, constat ex *Libro Primo Regum*,

> "Non in arca nisi duae tabulae lapidum, quas reposuit ibi Moses in Chorebo, foedus quod pepigit Jehovah cum filiis Israelis" (viii. 9).

Quod Liber Mosis qui a latere arcae repositus fuerat, postea exemptus et conservatus sit in Templo, constare potest ex eo, quod

> Chilkia sacerdos magnus invenerit Librum Legis in domo Jehovae, et dederit Schaphani, qui dixit id [3]ad regem, et legit eum coram rege (2 *Reg.* xxii. 8–11).

Quod per arcam repraesentatus sit Dominus quoad Divinum Verum, et inde significatum Divinum Verum quod a Domino, ita Verbum, etiam constare potest ex eo, quod inde locutus sit Dominus cum Mose; nam dicitur,

> "In arcam dabis Testimonium,....et conveniam te ibi, et loquar tecum ab inter duos cherubos qui super arca Testimonii, omne quod praecepturus sum tibi ad filios Israelis" (*Exod.* xxv. 21, 22);

et alibi,

> "Quando ingressus est Moses in Tentorium conventus, ut loqueretur cum Ipso, audivit vocem loquentis ad illum desuper propitiatorio, quod super arca Testimonii, ab inter duos cherubos; ita locutus est ad illum" (*Num.* vii. 89):

quod Dominus inde locutus sit ad Mosen, erat quia Lex erat ibi; et per "Legem" illam in sensu lato significatur Dominus quoad Verbum, et Dominus ex Verbo loquitur cum homine; quod "desuper propitiatorio inter duos cherubos," erat quia per "propitiatorium" significatur remotio falsitatum ex amoribus malis, et tunc receptio et auditio, et per "cherubos" tutela ne adeatur nisi quam per bonum amoris. Quoniam Dominus in caelo et in ecclesia est Divinum Verum seu Verbum, et hoc intelligitur per "Legem" inclusam arcae, et quia praesentia Domini est in Lege seu Verbo, ideo ubi fuit arca ibi fuit Jehovah seu Dominus, ut constare potest ex his apud *Mosen*,

> "Dixit Moses" ad Jehovam, "Ne quaeso relinque nos, quia novisti quomodo castrametandum nobis est in deserto, unde eris nobis [pro] oculis, et fiet quando iveris nobiscum, et fiet bonum illud quo benefaciet Jehovah nobis, benefaciemus etiam Tibi. Et profecti sunt a Monte Jehovae itinere trium dierum, et arca foederis Jehovae proficiscens coram illis itinere trium dierum ad investigandum illis requiem; et nubes Jehovae super illis interdiu, cum proficiscebantur e castris. Quando proficiscebatur arca, dixit Moses, Surge, Jehovah, ut [1]dispergantur inimici tui, et fugiant osores tui a coram faciebus tuis: et quando quiescebat illa, dixit, Redi, Jehovah, myriades chiliadum Israelis" (*Num.* x. 31–36):

ex singulis his patet quod Jehovah seu Dominus ibi intelligatur per "arcam," propter praesentiam Ipsius in Lege quae in arca, ita propter praesentiam Ipsius in Verbo. Quia Dominus ibi intelligitur per "Legem," et inde per "arcam," dixit Moses, "Surge, Jehovah, ut dispergantur inimici tui, et fugiant osores tui a coram faciebus tuis;" et cum quiescebat, dixit, "Redi, Jehovah, myriades chiliadum Israelis:" sed eadem illa verba involvunt adhuc interiora, nempe quod Dominus per Divinum suum Verum

ducat homines ac tutetur illos contra falsa et mala quae ab inferno, imprimis in tentationibus, quae in specie significantur per "profectiones filiorum Israelis in deserto quadraginta annis:" quod ducat illos continue per Divinum suum Verum, significatur per quod "arca foederis Jehovae profecta sit coram illis itinere trium dierum ad investigandum illis requiem;" per "arcam Jehovae" intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, per "proficisci itinere trium dierum" intelligitur auspicium et ductus a principio ad finem; et per "investigationem" significatur salvatio quae finis: tutatio autem a falsis et malis quae ab inferno, significatur per "nubem Jehovae super illis interdiu;" tum per verba Mosis cum proficiscebatur arca, "Surge, Jehovah, ut dispergantur inimici tui, et fugiant osores tui a coram faciebus tuis;" per "nubem Jehovae interdiu" significatur etiam tutela per Divinum Verum in ultimis quale est Verbum in sensu litterae; Dominus enim per hoc adiri etiam potest a malis, ac tutatur interiora Verbi, quae sunt caelestia et spiritualia; (quod "nubes" illud Verbi significet, videatur supra, n. 594:) per "inimicos et osores" significantur falsa et mala quae ab inferno (per "inimicos" falsa, et per "osores" mala); ita quoque significantur inferna quoad illa: vera ex bono, quae post tentationes homini implantata sunt, significantur per "Quando quiescebat arca, dixit Moses, Redi, Jehovah, [1]myriades chiliadum Israelis;" "quiescentia arcae" significabat statum post tentationes, quando mala et falsa remota sunt; per "redire" significatur praesentia Domini tunc, nam in tentationibus apparet Dominus sicut absens; et per "myriades chiliadum Israelis" significantur vera ex bono implantata, ex quibus ecclesia. (Quod "myriades" dicantur de veris, ac "chiliades" de bonis, videatur supra, n. 336.) Similia significantur per haec apud *Davidem*,

> "Ecce audivimus de Ipso in Ephrata, invenimus Ipsum in agris silvae; intrabimus in habitacula Ipsius, incurvabimus nos scabello pedum Ipsius. Surge, Jehovah, ad requiem tuam, Tu et arca fortitudinis tuae: sacerdotes tui induantur justitia, et sancti tui jubilent" (Ps. cxxxii. 6–9):

agitur in eo psalmo manifeste de Domino, qui etiam ibi intelligitur per "Davidem," ut constare potest ex eo quod dicatur, "Invenimus Ipsum in Ephrata, et in agris silvae;" tum quod "incurvarent se scabello pedum Ipsius;" "Ephratah" est Bethlechem ubi Dominus natus est, et per

"Ephratam" significatur Verbum quoad sensum ejus naturalem, ac per "Bethlechem" Verbum quoad sensum ejus spiritualem, ac ibi voluit nasci quia Dominus est Verbum; per "agros silvae" significantur illa quae sensus naturalis Verbi sunt, ita quae sensus litterae; sensus spiritualis Verbi etiam significatur per "habitacula Ipsius," et inde etiam caelum, quia caelum in illo sensu est; ac per "scabellum pedum," cui se incurvabunt, significatur sensus naturalis Verbi, et inde etiam ecclesia in terris, quia haec in illo sensu est; (quod "scabellum pedum" Domini sit ecclesia in terris, videatur supra, n. 606:) per "requiem," ad quam surgeret Jehovah, significatur unitio Divini ac Humani in Domino, ac conjunctio Ipsius cum caelo et ecclesia; et quia Domino quies et pax, et quoque illis qui in caelo et in ecclesia sunt, quando subjugavit inferna ac disposuit omnia ibi et in caelis in ordinem, dicitur, "Surge, Tu et arca fortitudinis tuae;" per "Tu" intelligitur Ipse Dominus, et per "arcam fortitudinis tuae" intelligitur Divinum Verum procedens ab Ipso, nam per hoc est Domino Divina potentia: per "sacerdotes" qui induentur justitia, et per "sanctos" qui jubilabunt, significantur similia quae per "chiliades et myriades Israelis," per "sacerdotes" illi qui in bono sunt, et per "sanctos" qui in veris, ita abstracte bona et vera caeli et ecclesiae. (Quod per "sacerdotes" in sensu abstracto significentur bona ecclesiae, videatur supra, n. 31[*b*] fin.; et quod per "sanctos" in illo sensu vera ecclesiae, etiam supra, n. 204, [1]325[*a*]; plura ex illo psalmo videantur supra, n. 684[*c*].)

[*c*.] Quoniam "arca," ex Lege quae in ea, significabat Dominum quoad Divinum Verum, et quia omnipotentia est Domino ex Divino Bono per Divinum Verum, inde per arcam facta sunt miracula: ut quod per illam aquae Jordanis discissae sint, ut transirent filii Israelis in sicco; quod murus urbis Jerichuntis conciderit; quod Dago, deus Aschdodaeorum, deciderit coram illa, quodque Aschdodaei, Gittitae, Ekronitae, et Bethschemitae percussi fuerint plagis propter illam; quod Usa, quia tetigit illam, mortuus sit; quod ObedEdom, in cujus domum introducta est, benedictus sit: et quoniam historica illa involvunt arcana, quae per sensum illorum spiritualem unice patent, velim etiam illa explicare, ob finem ut sciatur quid arca in stricto et in lato sensu [2]significat. *Primum*, De aquis Jordanis discissis ut transirent filii Israelis in sicco; apud *Joschuam*,

Joschua et omnes filii Israelis "venerunt ad Jordanem usque; et a fine trium dierum....praecipiebat..Joschua, dicendo, Quum videritis arcam foederis Jehovae..., et sacerdotes Levitas portantes illam, vos etiam proficiscemini e loco vestro, et ibitis post eam; sed spatium erit inter vos et inter eam quasi bis mille ulnarum; non appropinquabitis ad eam."....Et sacerdotes "sustulerunt arcam foederis, et iverunt coram populo;" et dixit Joschua, "Quum veneritis usque ad extremitatem aquarum Jordanis, in Jordane subsistetis." Et dixit ad populum, "Ecce arca foederis Domini totius terrae, transiens coram vobis in Jordanem, et sumite vobis duodecim viros de tribubus Israelis;....et quando quieverint plantae pedum sacerdotum portantium arcam Jehovae Domini totius terrae in aquis Jordanis, aquae Jordanis exscindentur, et aquae descendentes desuper consistent cumulo uno: et factum est, cum" sacerdotes "venerunt ad Jordanem, et pedes sacerdotum portantium arcam intincti essent in extremitate aquarum, et Jordan plenus erat, ut esse solebat...omnibus diebus messis, steterunt aquae descendentes desuper cumulo uno, elongando se valde ab Adam urbe,....et descendentes super mare planitiei, mare salis, consumptae excisae sunt, ita ut populus transire posset versus Jerichuntem. Et steterunt sacerdotes....in sicco in medio Jordanis,....et universus" populus "transivit in sicco. ....Dein dixit Jehovah ad Joschuam, Accipite vobis...duodecim viros, unum..de tribu, et....tollite e medio Jordanis de statione pedum sacerdotum duodecim lapides, quos transferetis vobiscum, et relinquetis in loco pernoctationis ....: fecerunt sic filii Israelis, et sustulerunt duodecim lapides e medio Jordanis....juxta numerum tribuum Israelis, et transtulerunt eos in locum pernoctationis. ....Tunc postquam absolvit universus populus transire, transibat arca Jehovae et sacerdotes ....: et factum est cum ascenderint sacerdotes,....et avellerentur plantae pedum" illorum..., "redierunt aquae Jordanis in locum suum. ....Et Joschua duodecim lapides, quos sumpserunt ex Jordane, erexit in Gilgale" (*Jos.* iii. 1–17; cap. iv. 1–20).

Omnia historica Verbi, aeque ac prophetica ejus, continent sensum spiritualem, in quo non agitur de filiis Israelis et de gentibus ac populis, sed de ecclesia et de ejus instauratione et progressione; nam hoc spirituale Verbi est, et historicum est naturale continens spirituale. Inde quoque omnia miracula quae in Verbo describuntur, ut miracula in Aegypto et postea in terra Canaane facta, involvunt talia quae caeli et ecclesiae sunt; per id etiam miracula illa sunt Divina. Per hoc miraculum significatur introductio fidelium in ecclesiam, et per ecclesiam in caelum. Per "filios Israelis" ibi in sensu spirituali intelliguntur fideles, qui postquam tentationes passi sunt, quae significantur per "errores illorum in deserto," introducuntur in ecclesiam; per "terram" enim "Canaanem," in quam filii Israelis introducti sunt, significatur ecclesia; et per "Jordanem" significatur primus ingressus in illam; et per "aquas Jordanis" significantur vera introducentia, quae

vera sunt qualia vera sensus litteralis Verbi; nam illa etiam primum introducunt: ibi autem per "Jordanem" et ejus aquas significantur falsa mali quae ferunt ad infernum, ex causa quia terra Canaan tunc oppleta fuit gentibus idololatris, per quas significantur omnis generis mala et falsa, quae faciunt infernum; ob quam causam etiam expellendae erant, ut locus daretur instaurandae ecclesiae: et quia "aquae Jordanis" nunc falsa mali significabant, ideo discissae sunt et remotae, ut daretur filiis Israelis, per quos repraesentaretur ecclesia, transitus. Nunc quoniam Dominus solus removet et dissipat falsa mali quae ab inferno, et per Divina sua vera introducit fideles in ecclesiam et in caelum, et quia per arcam et Legem ei inclusam repraesentatus est Dominus quoad Divinum Verum, ideo jussum est ut arca praeiret populo, et sic duceret illum. Quare factum est, quod, "ut primum sacerdotes portantes arcam intingerent pedes in aquis Jordanis, aquae illae discinderentur et descenderent, ac populus in sicco transiret," et quod, postquam hoc factum est, aquae redirent: at tunc eaedem illae aquae significabant vera introducentia; erat enim Jordanes primus terminus terrae Canaanis, per quam, postquam filii Israelis in illam ingressi sunt, repraesentabatur ecclesia, et per illum fluvium introductio in illam. Quoniam per "aquas Jordanis" significabantur vera introducentia, ideo etiam mandatum est ut ex medio ejus tollerent duodecim lapides, et illos transferrent in primum locum ubi pernoctarent; et hoc quia "lapides" significant vera, et "duodecim lapides secundum numerum tribuum Israelis" significabant vera ecclesiae. Quod "Joschua erexerit illos lapides in Gilgale ab oriente Jerichuntis," erat quia "Gilgal" significabat doctrinam veri naturalis inservientis pro introductione in ecclesiam. Ex his paucis patet quid caeli et ecclesiae per id miraculum repraesentatum est, et quod arca ex Lege in illa significaverit Dominum quoad Divinum Verum; quare etiam vocatur "Arca foederis Domini totius terrae," ex conjunctione cum Domino per Divinum Verum, nam per illud est conjunctio, quae significatur per "foedus;" et illud est quod facit caelum et ecclesiam, quae in specie per "totam terram" significantur, immo per quod "omnia facta et creata sunt" secundum Domini verba

(Apud *Johannem*, cap. i. 1-3, 10; et apud *Davidem*, Ps. xxxiii. 6);

per "Verbum" ibi intelligitur Divinum Verum.

[*d.*] *Secundum Miraculum*, quod per arcam factum est, erat delapsus muri Jerichuntis, quod ita describitur apud *Joschuam*,

> Urbs "Jericho erat clausa;....et dixit Jehovah ad Joschuam,..Dedi in manum tuam Jerichuntem et regem ejus, et fortes robore: circumibitis urbem omnes viri belli...vice una in die in sex diebus: et septem sacerdotes portabunt septem buccinas jubilantium coram arca: sed die septimo circumibitis urbem septem vicibus, et sacerdotes clangent buccinis;....et tunc vociferabitur populus vociferatione magna, et cadet murus urbis subter se, et ascendet populus"..... Dein Joschua circumire fecit urbem primo die una vice, sicut dictum est, post quam circumitionem redierunt in castra et pernoctarunt in castris; postridie similiter, "et septem sacerdotes portantes septem buccinas jubilantium ante arcam Jehovae, incedentes eundo et clanxerunt buccinis, ante quos vir belli incedens, et quoque claudens agmen incedens post arcam... eundo et clangendo buccinis;....sic fecerunt sex diebus;....et septimo.... circumiverunt urbem septem vicibus; et vice septima....populus vociferabatur;....et cum audiret" hoc "populus, tunc murus urbis concidit sub se, et ascendit populus in urbem,....et devotioni dedit omnia quae in urbe a mare usque ad feminam, a puero usque ad senem;....et urbem combusserunt igne, et omnia quae in illa; tantummodo argentum et aurum, et vasa aeris et ferri dederunt in thesaurum domus Jehovae. Et adjuravit Joschua, dicendo, Maledictus vir contra Jehovam, qui surget et aedificabit urbem hanc..; pro suo primogenito fundabit eam, et pro minimo statuet valvas ejus" (*Jos.* vi. 1-26).

Nemo scire potest Divinum quod huic miraculo inest, nisi sciat quid in terra Canaane significabat "urbs Jericho" quae combusta, quid "murus ejus" qui concidit, quid "habitatores" qui devotioni dati sunt, tum quid "aurum," "argentum," "vasa aeris et ferri," quae data in thesaurum domus Jehovae; insuper quid "clangere buccinis" et "vociferari," ut et quid "circumire sex diebus, et septies septimo die." Per "urbem Jericho" significatur instructio in cognitionibus boni et veri, per quas homo introducitur in ecclesiam; nam Jericho erat urbs non procul a Jordane, per quem fluvium significatur introductio in ecclesiam (ut supra dictum est); omnia enim loca in terra Canaane significativa caelestium et spiritualium, quae sunt ecclesiae, fuerunt, et hoc ab antiquissimis temporibus; et quia filii Israelis repraesentaturi erant ecclesiam, et Verbum apud illos conscriberetur, in quo loca illa nominanda erant, et significarent talia quae caeli et ecclesiae sunt, ideo filii Israelis illuc introducti sunt; [et inde fuit] quod "Jorda-

nes fluvius" significaret introductionem illam, et "Jericho" instructionem: et quia "Jericho" significabat instructionem, etiam significabat bonum vitae, quia nemo instrui potest in veris doctrinae nisi qui in bono vitae est: sed cum terra Canaan possessa fuit a gentibus idololatris, significatio locorum et urbium in illa terra mutata est in contrarium, et inde tunc "Jericho" significabat profanationem veri et boni: ex his sequitur quod ipsa "urbs" significaverit doctrinam falsi et mali, quae pervertit vera et bona ecclesiae et profanavit illa, quod "murus" ejus falsa mali tutantia illam, et quod "habitatores" significaverint profanos; et quia omne profanum est ex amore infernali post agnitionem veri et boni, ideo urbs illa igne combusta est, habitatores ejus devotioni dati sunt, et murus ejus concidit; "ignis" enim significat amorem infernalem, "devotio" deletionem totalem, et "concidentia muri" nudationem pro omni malo et falso: per "sacerdotes clangentes buccinis" significabatur praedicatio Divini Veri a Divino Bono; per "vociferationem et acclamationem populi" significabatur consensus et confirmatio; per "circumitionem urbis" significabatur lustratio falsi et mali et ejus dissipatio per influxum Divini Veri a Domino, qui influxus significabatur per "circumlationem arcae:" quod "sacerdotes numero septem essent," et quod "circumiretur urbs septem diebus, ac septies septimo die," significabat sanctum et sanctam praedicationem Divini Veri, nam "septem" significant sanctum et in opposito sensu profanum; quare quia sanctum ab una parte erat et profanum ab altera, "septem erant sacerdotes" cum "septem buccinis," et "septies circumibatur urbs." Quod "aurum, argentum, vasa aeris et ferri, data sint in thesaurum domus Jehovae," erat quia significabant cognitiones veri et boni spiritualis et naturalis; "aurum et argentum" cognitiones veri et boni spiritualis, ac "vasa aeris et ferri" cognitiones veri et boni naturalis, quae apud illos qui profanant vertuntur in dira falsa et mala; sed quia usque sunt cognitiones, tametsi applicatae ad mala, inserviunt usui apud bonos per applicationem ad bona; ideo illa "data sunt in thesaurum domus Jehovae." Hoc etiam est quod intelligitur per "minas" quae [1]auferrentur malis et darentur bonis, tum per "injustum mammona;"

ut et per "aurum, argentum et vestes," quae filii Israelis abstulerunt Aegyptiis, et dein impenderunt Tabernaculo; et quoque per "aurum et argentum," quae David ex spoliis hostium congessit, et reliquit Salomoni ad aedificandum Templum. Quod "maledictus esset qui reaedificaret Jerichuntem," et quod "fundaret illam pro suo primogenito, et poneret valvas pro suo minimo," significabat profanationem Divini Veri a primo ejus ad ultimum, si alibi repraesentaretur instructio in eo quam in Hierosolyma, per quam significaretur ecclesia quoad doctrinam veri et boni, et quoad instructionem ex Verbo: quod illa profanatio facta sit sub rege Achabo a Chielo Bethelita, legitur in *Libro Primo Regum* (cap. xvi. 34); de quo rege dicitur quod malum fecerit in oculis Jehovae prae omnibus regibus Israelis (vers. 30, 33, ibi). Ex miraculo illo per arcam facto, etiam constare potest quod per eam, ex Lege in ea, repraesentatus sit Dominus quoad Divinum Verum, et inde per illam significatum sit Divinum Verum procedens a Domino.

[*e.*] *Tertium Miraculum*, quod Dagon deus Aschdodaeorum deciderit coram arca, et quod Aschdodaei, Gittitae, Ekronitae et Bethschemitae percussi fuerint plagis propter illam, describitur ita in *Libro Primo Samuelis*,

"Exivit Israel contra Philisthaeos in bellum,....et percussus est Israel coram Philisthaeis....ad quatuor millia virorum;....quare dixerunt seniores, Recipiamus ad nos e Schilunte arcam foederis Jehovae, et veniat in medio nostrorum, et liberet nos e manu hostium [nostrorum]:....et deportarunt [inde] arcam foederis Jehovae Zebaoth sedentis super cherubis; et cum arca duo filii Eli..... Et factum est cum veniret arca ad castra, acclamaret totus Israel acclamatione magna....; audiverunt Philisthaei...., et cognoverunt quod arca Jehovae venisset ad castra; ac timuerunt sibi.., dicentes, Venit Deus ad castra;....vae nobis, quis liberabit nos e manu deorum magnificorum horum? Hi dii qui percusserunt Aegyptios omni plaga...; sed fortes vos praestate, et estote in viros, Philisthaei, ne serviatis Hebraeis..... Et pugnarunt Philisthaei et percussus est Israel....clade magna....ad triginta millia peditum, et arca Dei capta est, et ambo filii Eli mortui. ....Ac Philisthaei sumpserunt arcam.., et deduxerunt eam...Aschdodum,.... in aedem Dagonis, et posuerunt eam juxta Dagonem. Cum mane surgerent Aschdodaei, ecce Dagon jacebat super faciebus suis in terra ante arcam Jehovae,....et reposuerunt" Dagonem....; sed cum mane surgerent...., Dagon jacebat super faciebus suis in terra ante arcam.., et simul caput Dagonis, et duae volae manuum ejus abscissae super limine. ....Et gravis facta est manus Jehovae super Aschdodaeos,....et percussit eos haemorrhoidibus, Aschdodum et terminos ejus:....tunc dixerunt Aschdodaei, Non manebit arca..Israelis apud nos:....quare dixerunt satrapae Philisthaeorum,....Ad Gath transferatur arca Dei Israelis," et trans-

tulerunt illam ad Gath: "sed facta est manus Jehovae in urbe, ...et percussit viros urbis a minimo usque ad maximum, dum obturatae sunt illis haemorrhoides: quare miserunt arcam Dei Ekronem ;....sed clamaverunt Ekronitae," quod occidet eos ;.... "et viri qui non mortui sunt, percussi sunt haemorrhoidibus ;".... quare dixerunt satrapae, quod remitterent arcam in locum suum. ...."Cum manserat arca..in agro Philisthaeorum septem mensibus, vocarunt Philisthaei sacerdotes et divinatores, dicendo, Quid faciemus arcae Jehovae?...quomodo dimittemus eam in locum suum? Et dixerunt,....Ne dimittite eam vacue, sed remittetis ei reatum, tunc sanabimini ;....nempe ad numerum satraparum Philisthaeorum, quinque haemorrhoides auri et quinque mures auri, quia plaga una omnibus, et satrapis vestris ; facietis imagines haemorrhoidum vestrarum, et imagines murium vestrorum qui vastarunt terram ;....et facite plaustrum novum, et duas vaccas lactantes super quas non ascendit jugum, et alligate vaccas plaustro, et abducite filios earum domum,...ac ponite arcam Jehovae super plaustro, et vasa auri....ponite in capsa ad latus ejus....; et videte si via termini ascendat ad Bethschemesch :....et fecerunt ita. ....Tunc recta incesserunt vaccae in via super via Bethschemesch in tramite uno..., et boarunt ;....et satrapae Philisthaeorum [euntes] post eas :....et venit plaustrum in agrum Jehoschuae Bethschemitae, et stetit ibi, et ibi lapis magnus: tunc dissecuerunt ligna plaustri, et vaccas obtulerunt in holocaustum Jehovae. Et Levitae deposuerunt arcam Jehovae, et capsam... in qua vasa auri,..super lapide illo magno ; et viri Bethschemitae obtulerunt holocausta et sacrificarunt sacrificia....Jehovae :.... sed percussi sunt Bethschemitae, quia viderunt arcam Jehovae, ...ad quinquagies mille et septuaginta viros. ....Sed viri Kiriathjearim ascendere fecerunt arcam Jehovae, et introduxerunt eam in domum Abinadabi in Gibea,....et mansit ibi viginti annis. .... Tunc dixit Samuel...., Si toto corde vos revertimini ad Jehovam, removete deos alienigenae et Aschtharoth, et praeparate cor vestrum erga Jehovam, et servite Ipsi soli, tunc liberabit vos e manu Philisthaeorum" (cap. iv. 1–11 ; cap. v. 1–12 ; cap. vi. 1–21 ; et cap. vii. 1–3).

Quod arca capta fuerit a Philisthaeis, et quod Philisthaei propter arcam in Aschdod, Gath et Ekrone, percussi fuerint haemorrhoidibus, et quod mures devastaverint terram eorum, et quod ibi et in Bethschemesh tot mortui sint, non sciri potest quid significant, nisi sciatur quid repraesentaverunt et inde significaverunt Philisthaei, et quid in specie Aschdodaei, Gittitae, Ekronitae, et Bethschemitae ; tum quid significant "haemorrhoides," et quoque "mures," ut et "imagines eorum ex auro," et insuper quid "plaustrum novum," et "vaccae lactantes ;" quod repraesentativa talium sint quae ecclesiae sunt, patet ; nam quid alioqui foret quod Philisthaei percuterentur talibus plagis, et quod arca ita reduceretur? Philisthaei repraesentarunt et inde significarunt illos qui nihili faciunt bonum amoris et charitatis, et inde nihili bonum vitae, ponendo omne religionis in scientia et cognitione ; inde

similes fuerunt illis hodie qui fidem solam, hoc est, fidem separatam a charitate, faciunt essentiale ecclesiae et essentiale salutis: inde erat quod vocati sint "praeputiati," nam "praeputiatus" significat expertem amoris spiritualis, ita boni; et quia illos intra ecclesiam referebant, ideo non fuerunt spirituales, sed mere naturales; nam qui bonum charitatis et vitae nihili facit, is fit mere naturalis, immo sensualis, et non amat nisi mundana; nec aliqua vera potest spiritualiter intelligere; vera quae naturaliter capit vel falsificat vel conspurcat; qui tales sunt, intelliguntur in Verbo per "Philisthaeos." Inde constare potest unde erat quod Philisthaei toties pugnaverint cum filiis Israelis, et quod nunc vicerint Philisthaei, et nunc filii Israelis. Vicerunt Philisthaei quando filii Israelis recesserunt a statutis et praeceptis, non faciendo illa; et vicerunt filii Israelis quando vixerunt secundum illa: vivere secundum praecepta et statuta erat illorum bonum amoris et bonum vitae. Quod filii Israelis nunc victi fuerint a Philisthaeis, fuit causa quia recesserunt a cultu Jehovae ad cultum aliorum deorum, et imprimis ad cultum Aschtharoth, ut constare potest ex verbis Samuelis ad illos (1 *Sam.* vii. 3); illa causa etiam fuit quod arca a Philisthaeis nunc capta fuerit. Dum scitur quod per Philisthaeos repraesentati sint et inde significati qui nihili faciunt bonum amoris, charitatis et vitae, sciri potest cur propter arcam percussi sint haemorrhoidibus, ac inde mortui, tum etiam cur mures devastarunt terram eorum; "haemorrhoides" enim significant verum conspurcatum malo vitae, quale est apud illos qui absque bono sunt; nam "sanguis" significat verum, et "sanies haemorrhoidum" verum conspurcatum, et "pars posterior," ubi haemorrhois, significat amorem naturalem, qui, apud illos qui non spirituales sunt, est amor mundi; ac "mures" significant falsa sensualis hominis, qui omnia ecclesiae, sicut mures agros et messes, et quoque olera sub terra, depascunt et consumunt: hae plagae illis fuerunt, quia tales fuerunt; qui enim absque bono sunt, illi vera conspurcant, et quoque omnia ecclesiae devastant. Quod haec facta sint propter arcam, erat quia "arca" significabat Divinum Verum quod procedit a Domino, et id non datur genuinum nisi apud illos qui in bono amoris et inde in bono vitae sunt; et cum

Divinum Verum influit apud illos qui non in bono sunt, producit effectus qui correspondent falsis doctrinae et malis vitae eorum, similiter ac fit in mundo spirituali, cum Divinum Verum influit apud tales; tunc apparet conspurcatio veri et devastatio boni in similitudine haemorrhoidum et murium. Quod Dagon deus Aschdodaeorum, ex vicinia et praesentia arcae, dejectus sit in terram, et dein caput ejus ac volae manuum ejus conjectae sint super limen aedis ejus, erat quia "Dagon" significabat religiosum eorum, quod, quia erat absque spirituali bono, etiam erat absque omni intelligentia et absque omni potentia; "caput" enim significat intelligentiam, et "volae manuum" significant potentiam. Simile etiam fit in mundo spirituali, quando Divinum Verum influit e caelo apud tales; apparent enim tunc tanquam absque capite et absque volis manuum sint, quia absque intelligentia et potentia. Quod ex suasu sacerdotum et divinatorum fecerint imagines haemorrhoidum et murium ex auro, et illas posuerint ad latus arcae super plaustro novo, cui alligarunt duas vaccas lactantes, super quas non ascenderat jugum, erat causa quia "aurum" significat bonum amoris, quod sanat et purificat a falsis et malis quae per "haemorrhoides" et "mures" significantur; et quia "plaustrum" significat doctrinam veri naturalis, et "plaustrum novum" illam illibatam et non a falsis mali illorum inquinatam; et "vacca lactans, super qua nondum fuerat jugum," bonum naturale nondum a falsis conspurcatum, nam "portare jugum" significat servire, hic falsis quae bonum conspurcant; et quia illa concordabant cum Divino Vero, quod per "arcam" significabatur, ideo repraesentativa illa adhibuerunt et applicuerunt, et postea Levitae illa obtulerunt in holocaustum, et id per ligna ex plaustro combusserunt. Quod arca cum donis deposita sit super lapide magno, juxta quam vaccae substiterunt, erat quia "lapis" significat Divinum Verum in ultimo ordinis. Quod sacerdotes et divinatores Philisthaeorum suaserint ut ita fieret, erat quia scientia correspondentiarum et repraesentationum fuit scientia communis eo tempore, erat enim theologia eorum, nota sacerdotibus et divinatoribus, qui erant eorum sapientes; sed quia plerique tunc mere naturales facti sunt, spectabant illa idololatrice colendo externa et

non cogitando interna quae repraesentabantur. Ex his constare potest quid singula, quae supra ex *Libro Samuelis* allata sunt, in serie significant, et quod arca, ex Lege in illa, significet Divinum Verum procedens a Domino.

[*f*.] *Quarto*, De binis miraculis per arcam, quod Usa mortuus sit, et quod ObedEdomus benedictus sit, ita memoratur in *Libro Secundo Samuelis*,

> "Surrexit et abivit David, et universus populus qui cum illo e Baale Jehudae ad ascendere faciendum inde arcam Dei, cujus invocatur nomen, Nomen Jehovae Zebaoth insidentis cherubis super illa, et vehi fecerunt arcam Dei super curru novo, et deportarunt eam e domo Abinadabi quae in Gibea, atque Usa et Achjo filii Abinadabi ducentes currum... ....Et David et universa domus Israelis ludentes coram Jehovah super omnis generis lignis abietum, et citharis, et cum nabliis, et cum tympanis, et cum dulciariis, et cum cymbalis. Et cum venerunt ad aream Nachonis, emisit Usa in arcam, et apprehendit eam, eo quod declinassent boves: et exarsit ira Jehovae contra Usam, et percussit eum Deus propter errorem, ut mortuus sit ibi apud arcam Dei; et doluit Davidi super eo,.... et timuit David Jehovam in die illo, et dixit, Quomodo veniet ad me arca Jehovae? et non voluit David seponere apud se arcam Jehovae in urbe Davidis, sed declinavit eam in domum ObedEdomi Gittitae. Cum manserat arca Jehovae in domo" ejus "tribus mensibus, et benedixit Jehovah ObedEdomo et omni domui ejus, et hoc nuntiatum est regi Davidi,....et ivit David et ascendere fecit arcam Dei e domo ObedEdomi in urbem Davidis cum gaudio: et ...quando progressi sunt portantes arcam Jehovae sex passus, sacrificavit bovem et saginatum; et David saltavit ex omnibus viribus coram Jehovah,...cinctus ephodo lini: et David et omnis domus Israelis ascendere facientes arcam Jehovae cum jubilo et cum sono buccinae,....et introduxerunt arcam Jehovae" in urbem Davidis, quae Zion, "et statuerunt eam in loco suo intra Tentorium, quod expanderat ei David" (vi. 1–17):

haec historica in sensu interno seu spirituali involvunt plura, quae exstare ad visum non possunt in sensu litterae, qui historicus: ut quid involvit quod arca deducta sit ex domo Abinadabi in domum ObedEdomi, et demum in urbem Davidis quae Zion; quod cum deduceretur luserint et clanxerint omnis generis instrumentis musicis, et quod ipse David saltaverit; tum quod arca deducta sit super curru novo, cui alligati fuerunt boves; ut et quod Usa filius Abinadabi mortuus sit, et quod ObedEdomus cum domo sua benedictus sit. Omnia illa, tametsi historica, in sinu suo recondunt talia quae caeli et ecclesiae sunt, similiter ac ipsa arca, quae, propter Legem in illa, repraesentabat Dominum quoad Divinum Verum; quare vocatur "Arca Dei, cujus invocatur nomen, nomen Jehovae Zebaoth insidentis cherubis:" quod nunc deducta sit e

domo Abinadabi, primum in domum ObedEdomi, et tandem in urbem Davidis quae Zion, involvit arcana, quae nemo scire potest nisi qui scit quid significavit "Gibea" et ibi "BaalJehudae," ubi fuit Abinadabus, et quid "Gath" ubi ObedEdomus, et tandem quid "Sion" ubi David. Omnes tractus cum urbibus in illis in terra Canaane fuerunt repraesentativi, sicut in mundo spirituali in regionibus ibi ac in urbibus earum. In qualibet regione et quoque in qualibet urbe in mundo spirituali, ad orientem et occidentem habitant qui in bono amoris sunt, ad orientem qui in bono amoris claro, et ad occidentem qui in bono amoris obscuro; ac ad meridiem et septentrionem ibi, habitant qui in luce veri sunt, ad meridiem qui in luce veri clara, et ad septentrionem qui in luce veri obscura: similiter in terra Canaane, in tractibus ejus et in urbibus tractuum; hi respective ad plagas correspondebant regionibus in mundo spirituali et urbibus regionum ibi; sed cum differentia, quod homines in terris quoad bonum amoris et quoad lucem veri in plagis suis non ita ordinari possint sicut spiritus et angeli in mundo spirituali; quare in terra Canaane ac in urbibus ejus ipsa loca repraesentabant, et non personae: quod ita fuerit, constare potest ex partitione terrae Canaanis in hereditates quae sorte contigerunt tribubus secundum repraesentationem ecclesiae earum; tum ex Hierosolyma et Zione, quod repraesentaverint ipsam ecclesiam, Hierosolyma illam quoad verum doctrinae, et Zion illam quoad bonum amoris. Si itaque sciretur quid ecclesiae et caeli significavit "Gibea" et ibi "BaalJehudae" ubi erat Abinadabus, et quid ecclesiae et caeli significavit "Gath" ubi ObedEdomus, sciri poterit quid significavit quod "arca deduceretur ab Abinadabo ad ObedEdomum, et demum in Zionem:" ex significatione illarum urbium constare potest quod per translationem arcae repraesentata sit progressio ecclesiae apud hominem, ab ultimo ad intimum ejus, sicut ab uno caelo in alterum usque ad supremum quod est tertium caelum. "BaalJehudae," ubi erat Abinadabus, significavit ultimum ecclesiae, quod vocatur naturale ejus; "Gibea" enim, ubi erat BaalJehudae, illud repraesentavit: "Gath" autem, ubi erat ObedEdomus, qui inde vocatur "Gittita," significavit spirituale ecclesiae, quam significationem induit

postquam filii Israelis ceperunt urbes ab Ekrone usque ad Gath a Philisthaeis (1 *Sam.* vii. 13–15): "Zion" autem, ubi erat David, significavit intimum ecclesiae, quod vocatur caeleste ejus. Ex his patet quod "translatio arcae" significaverit progressionem ecclesiae apud hominem ab ultimo ejus ad intimum ejus, et hoc quia progressiones illae fiunt per Divinum Verum, quod significatum est per "arcam;" nam progreditur homo ecclesiae a naturali ad spirituale, et per hoc ad caeleste, (naturale est bonum vitae, spirituale est bonum charitatis erga proximum, et caeleste est bonum amoris in Dominum,) et hoc continue a Domino per Divinum Ipsius Verum: in simili progressione sunt bona trium caelorum; quare etiam ascensus per illos ordine etiam repraesentatus est. Quod cum deduceretur arca, luserint et clanxerint omnis generis instrumentis musicis, et quod David saltaverit, repraesentabat laetitiam et gaudium quae resultant ex affectione veri et boni a Domino per influxum Divini Veri, quod significabatur per "arcam;" instrumenta memorata, quibus luserunt in primo itinere a domo Abinadabi ad domum ObedEdomi, repraesentabant laetitiam animi ex affectione veri naturali et spirituali; ac saltatio Davidis, tum jubilum et sonus buccinae, repraesentabant gaudium cordis ex affectione boni spiritualis et caelestis. Quod harmoniae sonorum musicorum sint ex spirituali mundo, et significent affectiones et earum laetitias et gaudia, videatur supra (n. 323, 326); et quod "Zion" significet tertium caelum et inde intimum ecclesiae, etiam supra (n. 405[*b,e*]). Quod arca deducta sit super curru novo, et quod ei alligati sint boves, repraesentabat et inde significabat doctrinam veri ex bono amoris, "currus" doctrinam veri, ac "boves" bonum amoris, utrumque in naturali homine; nam Divinum Verum, quod significatur per "arcam," subsistit et fundatur super doctrina veri naturalis quod ex bono; inde erat quod arca posita fuerit "super curru, ante quem boves." (Quod "currus" significet doctrinam veri, videatur supra, n. 355[*a–e*]; et quod "bos" bonum naturale, in *Arcanis Caelestibus*, n. 2180, 2566.) Quod Usa filius Abinadabi mortuus sit quia manu comprehendit arcam, erat quia "tangere manu" significat communicationem, quod fit cum Domino per bonum amoris; et tamen Usa non unctus fuit, sicut erant sacerdotes et Levitae, quibus per unctionem accessit repraesentatio boni amoris; (quod id acces-

serit per unctionem, videatur supra, n. 375[*d,e*];) et tamen "cherubi," qui super propitiatorio quod super arca, significabant custodiam ne Dominus nisi per bonum amoris adiretur. Quod hoc etiam factum sit ne David arcam inferret in Zionem antequam absoluta esset progressio, quae etiam repraesentabatur, (de qua mox supra,) constat ex eo, quod doluerit David super morte Usae, ac timuerit adducere arcam in suam urbem, quae Zion (vers. 8–10). Quod benedictus sit ObedEdomus propter arcam, et domus ejus, erat quia benedictio a bonis mundi significat benedictionem a bonis caeli, quae unice procedunt a Domino per receptionem Divini Veri repraesentati per arcam; quae bona illis sunt qui in spirituali bono sunt, quod repraesentabat Obed Edom in Gath, ut supra dictum est. Demum quod "arca introducta sit in Zionem, ac in Tentorium quod pro ea a Davide expansum fuit," significabat ascensum in tertium caelum, ac conjunctionem Divini Veri cum Bono Amoris; nam Zion repraesentabat intimum ecclesiae, et inde intimum caelorum, quod est supremum seu tertium caelum, ubi angeli in bono amoris in Dominum sunt, et ubi tutela ne Dominus adeatur nisi quam per bonum amoris; quae tutela repraesentabatur per cherubos super arca.

[*g.*] Simile etiam significabatur per quod "arca introducta sit in intimum Templi a Salomone aedificati," de qua re ita legitur in *Libro Primo Regum*,

> Salomo "adytum in domus medio praeparavit, ut poneret eo arcam foederis Jehovae;....et fecit in adyto duos cherubos ex lignis olei, ...et posuit" eos "in medio domus interioris, ut expanderent se alae..ad parietem utrinque,....ac ut alae eorum in medio domus se attingerent;..et obduxit cherubos auro." Et Salomo ascendere fecit "arcam foederis Jehovae ex urbe Davidis, haec Zion. ....Et venerunt omnes seniores Israelis, et portarunt sacerdotes arcam, et ascendere fecerunt arcam Jehovae et Tentorium conventus, et omnia vasa sanctitatis quae in Tentorio;....et..Salomo et omnis coetus ....cum illo ante arcam,....ac intulerunt sacerdotes arcam foederis Jehovae in locum ejus in adytum domus, in sanctum sanctorum, ad sub alis cheruborum: nam cherubi expandentes alas super locum arcae, ita ut obtegerent cherubi arcam, et vectes ejus desuper, ...et videbantur capita vectium e sancto versus facies adyti, non tamen videbantur foris."....Et dixit Salomo, "Constitui ibi locum arcae, ubi foedus Jehovae, quod pepigit cum patribus nostris, cum educeret eos e terra Aegypti" (vi. 19, 23, 27[, 28]; cap. viii. 1–8, 21);

quoniam arca in Tentorio conventus repraesentabat tertium caelum ubi Dominus, ac ipsum Tentorium extra velum secundum caelum, ac atrium primum caelum, ita

quoque Templum; nam Templum cum atriis suis repraesentabat tres caelos; quare nihil fuit in templo, nec extra templum ubi atria, nisi quod aliquid caeli repraesentavit; et hoc ob causam quia Dominus illo tempore praesens fuit in repraesentativis; erant enim ecclesiae, quae fuerunt ante Domini adventum, ecclesiae repraesentativae, et ultimo etiam talis quae apud filios Israelis instituta fuit: at cum Dominus in mundum venit, tunc externa repraesentantia abolebantur, quia Ipse Dominus erat quem repraesentativa ecclesiae adumbrabant et significabant; et quia illa erant externa, et quasi velamenta intra quae Dominus, ideo cum Ipse venit velamenta illa ablata sunt, et patuit Ipse cum caelo et cum ecclesia, in quibus Dominus est omne in omnibus. Primaria repraesentativa Domini et inde caeli et ecclesiae fuerunt Tentorium conventus, cum mensa, candelabro, altari suffitus et arca inibi; tum altare cum holocaustis et sacrificiis; ac postea Templum; et simile per Templum repraesentatum est, quod per Tentorium conventus, cum differentia quod Tentorium conventus sanctius repraesentativum Domini, caeli et ecclesiae fuerit quam Templum. Ex his constare potest quod adytum Templi, ubi arca, similiter ut in Tentorio conventus, repraesentaverit Dominum quoad Divinum Verum, et inde tertium caelum, ubi angeli conjuncti sunt Domino per amorem in Ipsum, ac inde Divinum Verum inscriptum cordibus suis habent. Quid autem significabant "cherubi" in Templo, et quid "alae" illorum, tum quid "vectes," qui etiam memorantur, paucis dicetur. Per "cherubos" significabatur tutela ne Dominus adeatur nisi quam per bonum amoris; quare etiam illi facti sunt ex "ligno olei," per quod lignum significatur bonum amoris (videatur supra, n. 375): per "alas cheruborum" significatur Divinum spirituale, quod descendit ex Divino caelesti, in quo est tertium caelum, in secundum, ac recipitur ibi; quare alae "in medio domus se attingebant," et inde "protendebantur ad parietem utrinque:" per "vectes" autem, quibus portabatur arca, significabatur Divina potentia, ita simile quod per "brachia." Ex his et ex praecedentibus constare potest quid per "arcam foederis" in Verbo significatur. Praeterea per "arcam" significatur repraesentativum ecclesiae in genere, (similiter ac per "juge" apud *Danielem*, quod cessaturum

erat cum venturus est Dominus in mundum,) apud *Jeremiam*,

> "Dabo vobis pastores juxta cor meum, ut pascant vos cognitione et intelligentia; tunc fiet cum multiplicaveritis vos et fructum feceritis in terra, in diebus illis,...non dicent amplius, Arca foederis Jehovae, neque ascendet super cor, nec mentionem facient ejus, neque desiderabunt, neque reparabitur amplius" (iii. 15, 16):

haec dicta sunt de adventu Domini, et de abolitione rituum repraesentativorum Ecclesiae Judaicae tunc; quod manifestarentur interiora ecclesiae, quae a ritibus repraesentativis, quae erant externa, obvelabantur, et quod tunc interiores seu spirituales futuri sint, significatur per quod "darentur pastores juxta cor Domini, qui pascent illos cognitione et intelligentia;" per "pastores" intelliguntur qui docent bonum et ad id ducunt per vera: multiplicatio veri et fructificatio boni significatur per "Tunc fiet cum multiplicaveritis vos et fructum feceritis in terra diebus illis:" quod tunc conjunctio Domini per interiora Verbi, et non per exteriora quae solum repraesentabant et significabant interiora, significatur per "Non dicent amplius, Arca foederis Jehovae;" per "arcam foederis Jehovae" significantur externa cultus quae tunc abolenda, simile quod per "juge" quod cessaturum, apud *Danielem* (cap. viii. 13; cap. xi. 31; cap. xii. 11): quod externum cultus non amplius futurum sit sed internum, significatur per "Non ascendet super cor, nec mentionem facient ejus, neque desiderabunt, neque reparabitur amplius." Ex his etiam constare potest quod arca foederis visa Johanni in templo Dei, de qua visione nunc agitur, fuerit apparitio Divini Veri, per quod conjunctio est Novi Caeli et Novae Ecclesiae cum Domino; et quod ideo visa sit, ut Verbum in littera sibi ubivis simile esset, consistens ex talibus quae externa cultus fuerunt, et repraesentaverunt interna; similiter ut supra (cap. viii. 3, 4), quod visum sit "altare," et quod visi sint "suffitus" coram throno: consistit enim Verbum in littera ex meris correspondentiis, talibus quae fuerunt in ecclesiis repraesentativis, et quae inde usu recepta sunt in Verbo; in quibus interiora caeli et ecclesiae, quae spiritualia et caelestia sunt, continentur.

701[*a*]. Quoniam arca vocatur "arca foederis," etiam confirmandum est ex Verbo quod ideo dicta sit "arca

foederis," quia in illa fuit Lex; ac per "Legem," per quam in lato sensu intelligitur Verbum, [1]significatur Dominus quoad Divinum Verum, quod est Verbum, ita Divinum Verum seu Verbum quod a Domino, et in quo est Dominus, quia omne Divinum Verum procedit ab Ipso: hoc cum recipitur ab homine, fit conjunctio cum Domino; et haec conjunctio est, quae significatur per "foedus." Quomodo conjunctio Domini cum homine et hominis cum Domino fit, etiam paucis dicetur. Dominus apud omnes homines continue influit cum luce quae illustrat, et cum affectione sciendi et intelligendi vera ac volendi et faciendi illa: et quia illa lux et illa affectio continue influit a Domino, sequitur, quod quantum homo recipit ex illa luce, tantum rationalis fiat; et quantum ex illa affectione, tantum sapiens fiat, et ducatur a Domino. Illa affectio cum luce ad se trahit illa vera quae homo ab infantia didicit ex Verbo, ex doctrina e Verbo, et ex praedicatione, ac conjungit sibi; nam omnis affectio vult nutriri a cognitionibus quae cum illa concordant. Ex illa conjunctione formatur affectio seu amor spiritualis hominis, per quem ille conjungitur Domino, hoc est, per quem Dominus conjungit hominem Sibi. Sed ad recipiendum illam lucem et illam affectionem, datum etiam est homini liberum electionis, quod quia ex Domino est, etiam est donum Domini apud hominem, et nusquam ei aufertur; nam liberum illud est affectionis seu amoris hominis, proinde etiam est vitae ejus. Homo ex libero potest cogitare et velle malum, et quoque cogitare et velle bonum: quantum itaque ex illo libero, quod est amoris et inde vitae ejus, cogitat falsa et vult mala, quae sunt contra vera et bona Verbi, tantum non conjungitur Domino; at quantum cogitat vera et vult bona, quae sunt ex Verbo, tantum conjungitur Domino, et Dominus facit ut sint amoris ejus, et inde vitae ejus. Ex his constare potest quod conjunctio illa sit reciproca, nempe Domini cum homine, et hominis cum Domino: talis conjunctio est, quae intelligitur per "foedus" in Verbo. Fallitur qui credit quod homo nihil agere possit ad salutem suam, quia lux videndi vera et affectio faciendi illa, tum etiam liberum cogitandi et volendi illa, sunt a Domino, et nihil eorum ab homine; sed quia illa apparent homini sicut sint in illo, et cum cogitantur et voluntur,

sicut sint ex illo, propter illam apparentiam debet homo cogitare et velle illa sicut a se, sed usque agnoscere quod sint ex Domino; aliter nihil veri et boni, seu fidei et amoris, potest appropriari homini: qui remittit manus, et exspectat influxum, is nihil recipit; et eo nulla est conjunctio reciproca cum Domino; inde non est in foedere. Quod ita sit, clare potest constare ex eo, quod Dominus in Verbo mille in locis dixerit quod facient bonum, et quod non facient malum; quae nequaquam dixisset, nisi datum esset homini aliquid ex quo facere potest, et quod id quod datum est ei, appareat ei sicut suum, tametsi non est ejus: et quia ita est, ideo Dominus ita loquitur apud *Johannem*,

> "Sto ad januam, et pulso; si quis audiverit vocem meam, et aperuerit januam, ingrediar ad illum, et cenabo cum illo, et ille Mecum" (*Apoc.* iii. 20).

[*b.*] Quod "foedus" significet conjunctionem cum Domino per receptionem Divini Veri intellectu et voluntate, seu corde et anima, hoc est, amore et fide, et quod conjunctio illa fiat reciproce, constare potest ex Verbo ubi "foedus" nominatur. Ex Verbo enim patet,

1. *Quod Ipse Dominus dicatur "Foedus," quia conjunctio fit ab Ipso cum Ipso per Divinum quod procedit ab Ipso.*
2. *Quod Divinum procedens, quod est Divinum Verum, ita Verbum, sit foedus, quia illud conjungit.*
3. *Quod praecepta, judicia, statuta, filiis Israelis mandata, fuerint illis foedus, quia per illa fuit tunc conjunctio cum Domino.*
4. *Quod praeterea quicquid conjungit dictum sit foedus.*

Quod Primum attinet, *Quod Ipse Dominus dicatur "Foedus," quia conjunctio fit ab Ipso cum Ipso per Divinum quod procedit ab Ipso*, constat ex his locis:—Apud *Esaiam*,

> "Jehovah, vocavi Te in justitia, et apprehendam manum tuam et custodiam Te, et dabo Te in foedus populi, et in lucem gentium" (xlii. 6):

haec de Domino, qui "Foedus populi et Lux gentium" vocatur, ex eo, quod "foedus" significet conjunctionem, et "lux" Divinum Verum; per "populos" intelliguntur qui in veris sunt, et per "gentes" qui in bonis (videatur supra, n. 175, 331, 625); "vocare Ipsum in justitia" significat ut justitiam faciat separando malos a bonis, et hos salvando, illos autem condemnando; "apprehendere manum et cus-

todire" significat ex omnipotentia Divina, cui inferna resistere[1] nequeunt; quod "Jehovah" facturus sit, significat quod Divinum in Domino. Apud eundem,

> "Dedi Te in foedus populi, ad restituendum terram, et ad hereditandum hereditates devastatas" (xlix. [2]8):

haec quoque de Domino; et "dare in foedus populi" significat ut cum Ipso et per Ipsum sit conjunctio; "restituere terram" significat ecclesiam; et "hereditare hereditates devastatas" significat restaurare bona et vera ecclesiae, quae deperdita sunt. Apud *Davidem*,

> "Pepigi foedus Electo meo, et juravi Davidi Servo meo, In aeternum usque firmabo semen tuum,....in aeternum servabo Ipsi misericordiam meam, et foedus meum stabile [Ipsi] erit" (Ps. lxxxix. 4, 5, 29 [*B. A.* 3, 4, 28]):

per "Davidem" hic intelligitur Dominus quoad regium (videatur supra, n. 205), qui "Electus" vocatur ex bono, et "Servus" ex vero: "pangere foedus" et "jurare Ipsi" significat unitionem Ipsius Divini cum Humano Ipsius; "pangere foedus" est uniri, et "jurare" est id confirmare: "in aeternum usque firmabo semen tuum" significat aeternitatem Divini Veri ab Ipso; "in aeternum servabo Ipsi misericordiam" significat aeternitatem Divini Boni ab Ipso; "foedus meum stabile erit" significat unionem Divini et Humani in Ipso: hic sensus illorum verborum fit dum pro "Davide" intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum et Ejus regium, de quo ita dicitur in sensu litterae quia in eo agitur de Davide, cum quo foedus aeternum non fuit. In *Libro Secundo Samuelis*,

> "Dixit Deus Israelis, mihi locuta est Petra Israelis;....et Ille sicut lux matutae, oritur sol, [matutae] sine nubibus, a splendore post pluviam gramen [3]e terra; nonne firma domus mea cum Deo? quia foedus aeternitatis posuit mihi, disponere in omnes et servare" (xxiii. 3–5):

haec ibi a *Davide;* et per "Deum Israelis" [et] per "Petram Israelis," intelligitur Dominus quoad Divinum Verum; quid significat quod "Ille sicut lux matutae, oritur sol, matutae sine nubibus, a splendore post pluviam gramen e terra," videatur supra (n. 644[*c*]). Describitur Divinum Verum procedens a Domino, a quo omnis germinatio veri et fructificatio boni: "Nonne firma domus mea cum Deo?" significat ecclesiam conjunctam Domino per Divinum Ve-

rum; "domus Davidis" est ecclesia: "quia foedus aeternitatis posuit mihi," significat quod ex unione Humani Ipsius cum Divino sit Ipsi conjunctio cum hominibus ecclesiae: "disponere in omnes et servare" significat ex qua omnia et omnes regit, ac salvat qui recipiunt. Apud *Malachiam*,

> "Cognoscetis quod miserim ad vos praeceptum hoc, ut sit foedus meum cum Levi;....foedus meum fuit cum illo vitae et pacis, quae dedi illi cum timore, ut timeret Me;....lex veritatis fuit in ore Ipsius, et perversitas non inventa est in labiis Ipsius. ....At vos recessistis a via, impingere fecistis multos in lege, corrupistis foedus Levi" (ii. 4–6, 8):

per "foedus Jehovae cum Levi" in supremo sensu significatur unio Divini cum Humano in Domino, et in sensu respectivo conjunctio Domini cum ecclesia; nam Dominus intelligitur per "Levin" sicut per "Davidem," sed per "Levin" quoad Divinum Bonum quod est sacerdotale Domini, et per "Davidem" quoad Divinum Verum quod est regium Domini: quod Dominus per "Levin" intelligatur, patet ex eo, quod dicatur, "Lex veritatis fuit in ore Ipsius, et perversitas non inventa in labiis Ipsius;" per "legem veritatis" significatur Divinum Verum ex Divino Bono, et per "labia" significatur doctrina veri ac instructio; et postea,

> "Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem quaerent ex ore Ipsius, quia Angelus Jehovae Zebaoth Ille" (vers. 7):

per "foedus vitae et pacis" significatur unio illa et conjunctio illa (de qua mox supra) ex qua Ipse Dominus factus est vita et pax, ex qua homini vita aeterna, et pax ab infestatione a malis et falsis, ita ab inferno: quid significatur per "timorem Ipsius," videatur supra (n. 696); qui vivunt contra Divinum Verum intelliguntur per "Vos recessistis a via, impingere fecistis multos in lege, corrupistis foedus Levi;" per "recedere a via" et "impingere in lege" significatur vivere contra Divinum Verum, et per "corrumpere foedus Levi" significatur conjunctionem cum Domino. Apud eundem,

> "Ecce Ego mitto angelum meum, qui parabit viam ante Me; et subito veniet ad templum suum Dominus,....et Angelus foederis quem vos desideratis" (iii. 1):

quod Domini adventus ibi praedicatur, constat; quod

Dominus ibi dicatur "Dominus" ex Divino Bono, ac "Angelus foederis" ex Divino Vero, videatur supra (n. 242[d], 433[b], 444[b]), ubi etiam reliqua explicata sunt. Ex his constare potest quod per "foedus," cum de Domino, intelligatur vel Ipse, vel unio Ipsius Divini cum Humano in Ipso; et respective ad illos qui in caelo et in ecclesia sunt, conjunctio cum Ipso per Divinum quod procedit ab Ipso.

[*c*.] Secundo, *Quod Divinum procedens, quod est Divinum Verum, ita Verbum, sit foedus, quia illud conjungit*, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> Moses descendens e Monte Sinai "renuntiavit populo omnia verba Jehovae, et omnia judicia; et respondit omnis populus una voce, et dixerunt, Omnia verba quae locutus est Jehovah faciemus; et scripsit Moses omnia verba Jehovae" in Libro;...."et sumpsit Librum foederis, et legit in auribus populi, et dixerunt, Omne quod locutus est Jehovah faciemus et auscultabimus. Et sumpsit Moses" dimidium sanguinis ex holocaustis, "et sparsit super populum, et dixit, Ecce sanguis foederis, quod pepigit Jehovah vobiscum super omnibus verbis his: et viderunt Deum Israelis, sub cujus pedibus quasi opus lapidis sapphiri" (*Exod.* xxiv. 3, 4, 7, 8, 10):

quod Divinum Verum, quod apud nos est Verbum, sit foedus, constare potest ex singulis his in sensu interno seu spirituali spectatis; Moses enim, qui dixit illa populo, repraesentavit Legem, hoc est, Verbum, ut constare potest ex aliquibus locis ubi dicitur "*Moses* et *Prophetae*," et in aliquibus "*Lex* et *Prophetae*;" ita "*Moses*" pro Lege, et Lex in lato sensu significat Verbum, quod est Divinum Verum; tum quoque constare potest ex eo, quod "Mons Sinai" significet caelum, unde Divinum Verum; et ex eo, quod "Liber foederis," qui lectus est coram populo, significet Verbum; et quod "sanguis," ex quo dimidium sparsum est super populum, etiam significet Divinum Verum, quod est Verbum, et quia id conjungit, vocatur "sanguis foederis:" et quoniam omnis conjunctio per Divinum Verum est cum Domino, ideo "Deus Israelis," qui est Dominus, visus est Mosi, Aharoni, et ejus filiis, ac septuaginta senioribus: quod "sub pedibus" visus sit, erat quia cum per Dominum intelligitur Verbum, per "pedes" Ipsius intelligitur Verbum in suis ultimis, hoc est, in sensu litterae ejus, filii enim Israelis non interius viderunt illud; "sicut opus sapphiri" significat pellucidum a veris internis, quae sunt sensus spiritualis Verbi. (Sed haec singillatim exposita videantur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9371–9412.) Qualis conjunctio

sit quae significatur per "foedus," constare etiam potest ex allatis; quod nempe sit sicut solent foedera esse in mundo, nempe a parte unius et a parte alterius, similiter foedera quae Dominus pangit cum hominibus, erunt a parte Domini et a parte hominum; quod erunt a parte utrinque, est propter conjunctionem. Illa quae a parte Domini erant, memorantur in capite praecedente,

> Quod nempe benedicet pani illorum et aquis illorum, quod amovebit morbos, quod possessuri sint terram Canaanis a mari Suph usque ad fluvium Euphratem (*Exod.*, cap. xxiii. 25–31):

et ibi per "benedicere pani et aquis" in sensu interno spirituali significatur fructificatio boni et multiplicatio veri; "panis" significat omne bonum caeli et ecclesiae, et "aquae" omnia vera illius boni: per "amovere morbos" significatur removere mala et falsa quae ab inferno, nam haec sunt morbi in spirituali sensu: et per "possidere terram a mari Suph ad fluvium Euphratem" significatur ecclesia cum omni ejus extensione, quae a Domino illis qui Ipsi per Divinum Verum conjunguntur. Illa autem quae a parte hominis erunt, memorantur in tribus capitibus quae praecedunt, ac in supra allato loco in summa intelliguntur per "verba Jehovae et judicia," quae Moses, descendens e Monte Sinai, renuntiavit populo, ad quae populus una voce dixit, "Omnia verba quae locutus est Jehovah, faciemus et auscultabimus." Inde erat quod Moses diviserit sanguinem holocausti, ac dimidium ejus, quod erat pro Domino, reliquerit in crateribus, et dimidium ejus sparserit super populum. Quod per Divinum Verum fiat conjunctio Domini cum hominibus, etiam intelligitur per "sanguinem" apud *Evangelistas*,

> Jesus "accipiens poculum,....[dedit illis,] dicens, Bibite ex eo omnes; hic est sanguis meus, ille novi foederis" (*Matth.* xxvi. 27[, 28]; *Marc.* xiv. [1]23, 24; *Luc.* xxii. 20):

hic sanguis vocatur "sanguis novi foederis," quia "sanguis" significat Divinum Verum procedens a Domino, ac "foedus" conjunctionem. (Quod "sanguis" significet Divinum Verum procedens a Domino, receptum ab homine, videatur supra, n. 329, 476; et quod "bibere" significet recipere, appropriare sibi, et sic conjungi, etiam supra, n. 617.) Similiter apud *Sachariam*,

> "Per sanguinem foederis tui, emittam vinctos tuos e fovea, in qua non aqua" (ix. 11):

haec de Domino, de quo in illo capite manifeste agitur; et per "sanguinem foederis" intelligitur (ut supra) Divinum Verum, per quod cum Domino conjunctio: quinam per "vinctos in fovea, in qua non aqua," intelliguntur, videatur supra (n. 537[b]). Quoniam Dominus sanguinem suum, per quem intelligitur Divinum Verum procedens ab Ipso, vocabat "sanguinem foederis novi," paucis etiam dicetur quid per "foedus vetus," et quid per "foedus novum" intelligitur. Per "vetus foedus" intelligitur conjunctio per Divinum Verum quale datum fuit filiis Israelis, quod erat externum, et inde repraesentativum Divini Veri interni; non aliud illis Divinum Verum fuit, quia non aliud recipere potuerunt; fuerunt enim homines externi et naturales, et non interni seu spirituales, ut constare potest ex eo, quod illi, qui de adventu Domini aliquid sciverunt, non aliud cogitaverint de Ipso quam quod futurus rex, qui illos eveheret super omnes populos in universo, et sic qui stabiliret regnum in terris apud illos, et non in caelis et inde in terris apud omnes qui credunt in Ipsum: quare "vetus foedus" fuit conjunctio per tale Divinum Verum quale continetur in Libris Mosis, et dictum fuit "praecepta," "judicia" et "statuta;" in quibus tamen intus latuit Divinum Verum quale est in caelo, quod est internum et spirituale. Hoc Divinum Verum apertum est a Domino cum fuit in mundo; et quia per id solum est conjunctio Domini cum hominibus, ideo id intelligitur per "novum foedus," et quoque id intelligitur per "sanguinem Ipsius," qui inde vocatur "sanguis novi foederis;" simile etiam intelligitur per "vinum." De novo hoc foedere, quod ineundum erat cum Domino quando in mundum venturus est, in Verbo Veteris Foederis passim agitur:— Ut apud *Jeremiam*,

> "Ecce dies venientes....quibus pangam cum domo Israelis, et cum domo Jehudae, foedus novum; non sicut foedus quod pepigi cum patribus vestris,....quia illi irritum reddiderunt foedus meum: ....sed hoc foedus, quod pangam cum domo Israelis post dies hos;....dabo legem meam in medio eorum, et super cor illorum scribam illam, et ero illis in Deum, et erunt Mihi in populum; neque docebunt vir amplius socium suum, aut vir fratrem suum, dicendo, Cognoscite Jehovam; omnes enim cognoscent Me, a minimo eorum usque ad maximum eorum" (xxxi. 31–34):

quod Jehovah, hoc est, Dominus, "pacturus sit cum domo Israelis et cum domo Jehudae foedus novum," non intel-

ligitur quod pacturus sit cum filiis Israelis et cum Jehuda, sed cum omnibus qui in veris doctrinae et in bono amoris in Dominum a Domino sunt; quod hi per "filios Israelis" et per "Jehudam" in Verbo intelligantur, videatur supra (n. 433); quod per "dies venientes" intelligatur adventus Domini, patet: quod conjunctio cum Domino tunc futura sit per Divinum Verum internum et spirituale, intelligitur per haec, "Hoc foedus quod pangam cum domo Israelis post dies hos; dabo legem meam in medio eorum, et super cor illorum scribam illam;" per quae significatur quod recepturi Divinum Verum intus in se; nam Divinum Verum spirituale recipitur intus ab homine, aliter quam apud filios Israelis et Judaeos, qui receperunt illud ab extra; nam cum homo Divinum Verum recipit intra se, hoc est, facit illud amoris sui et inde vitae suae, tunc scitur verum ex ipso vero, quoniam Dominus in suum verum apud hominem influit et docet; hoc intelligitur per haec verba, "Non docebunt amplius vir socium suum ac vir fratrem suum, dicendo, Cognoscite Jehovam; omnes enim cognoscent Me a minimo usque ad maximum:" ipsa conjunctio per id, quae significatur per "foedus novum," intelligitur per "Ero illis in Deum, et illi erunt Mihi in populum." Apud eundem,

"Erunt Mihi in populum, et Ego ero illis in Deum, et dabo iis cor unum et viam unam, ad timendum Me omnibus diebus;....et feriam illis foedus aeternum, quod non aversurus Me sim a post eos, ut benefaciam iis, et timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant ab apud Me" (xxxii. 38-40):

haec etiam de Domino, et de novo foedere cum Ipso; conjunctio per id intelligitur per "Ero illis in Deum et erunt Mihi in populum," et ulterius describitur per quod "daturus iis cor unum et viam unam, ad timendum Ipsum omnibus diebus," et quod "non aversurus sit Se a post illos," et quod "timorem daturus in cor eorum, ut non recedant ab apud Ipsum;" per "cor unum" et per "viam unam ad timendum Me," significatur una voluntas boni et unus intellectus veri ad colendum Dominum; quia conjunctio reciproca est, Domini cum illis, et illorum cum Domino, dicitur quod "non aversurus sit Se a post illos, ut benefaciam iis," et quod "non recedent ab apud Me." Inde patet quid per "foedus aeternum," quod initurus est cum illis, significatur, nempe conjunctio per Divinum

Verum spirituale, quod receptum facit vitam hominis; unde fit conjunctio aeterna. Apud *Ezechielem*,

> "Excitabo super illos Pastorem unum qui pascet eos, Servum meum Davidem:....Ego Jehovah ero illis in Deum, et Servus meus David Princeps in medio eorum;....tunc excidam iis foedus pacis, cessare faciam feram malam, ut habitent in deserto confidenter, et dormiant in silvis" (xxxiv. 23–25):

haec etiam de Domino; et per "Davidem" qui pascet eos, et qui Princeps in medio eorum erit, intelligitur Dominus quoad Divinum Verum, qui "Servus" vocatur ab inservire: conjunctio cum Domino per Divinum Verum, intelligitur per "foedus" quod illis excidet; id vocatur "foedus pacis" ex eo, quod homini per conjunctionem cum Domino sit pax ab infestatione mali et falsi ex inferno: ideo etiam dicitur, "Cessare faciam feram malam, ut habitent in deserto confidenter, et dormiant in silvis;" per "feram malam" intelligitur falsum et malum ex inferno, et per "habitare in deserto confidenter, et dormire in silvis," significatur quod tuti erunt ab omni infestatione illorum ubivis. Apud eundem,

> "Servus meus David erit Rex super illos, ut Pastor unus sit omnibus illis; ....et pangam illis foedus pacis, foedus aeternitatis erit cum illis, et dabo illos, et multiplicabo illos; et ponam sanctuarium meum in medio illorum in aeternum, et habitaculum meum apud illos, et ero illis in Deum, et erunt Mihi in populum" (xxxvii. 24, 26, 27):

etiam hic per "Davidem" intelligitur Dominus, nam quod non David venturus sit, qui erit rex et pastor eorum, patet; sed Dominus "Rex" vocatur ex Divino Vero, hoc enim est regium Domini, ac Divinum Bonum est sacerdotale Ipsius; et Dominus "Pastor" vocatur, quia pascet illos Divino Vero, et per id ducet ad bonum amoris, et sic ad Se; et quia inde conjunctio, dicitur "Pangam illis foedus pacis, foedus aeternitatis;" quid significat "foedus pacis," mox supra dictum est, tum quod conjunctio intelligatur per "Ero illis in Deum, et illi erunt Mihi in populum:" per "sanctuarium" quod ponetur in medio eorum, et per "habitaculum" quod erit apud illos, significatur quod caelum et ecclesia, quae "sanctuarium" dicuntur ex bono amoris, et "habitaculum" ex veris illius boni, nam Dominus habitat in veris ex bono. Apud *Hoscheam*,

> "Feriam illis foedus in die illo cum fera agri, cum avi caelorum, et reptili terrae; et arcum, et gladium et bellum frangam de terra, et cubare faciam eos secure, et desponsabo te Mihi in aeternum" (ii. 18, 19):

haec de instauratione novae ecclesiae a Domino: quod tunc Dominus non facturus sit foedus cum fera agri, cum avi caelorum, et cum reptili terrae, patet; quare per illa significantur talia quae apud hominem sunt; per "feram agri" affectio veri et boni, per "avem caelorum" cogitatio spiritualis, et per "reptile terrae" scientificum naturalis hominis; (quid per reliqua significatur, videatur supra, n. 650[*e*];) inde patet quod "foedus," quod Dominus pacturus est, sit foedus spirituale, seu foedus per spirituale verum, et non foedus per naturale verum, per quod cum filiis Israelis pactus est; hoc itaque est "foedus vetus," et illud "foedus novum." Quoniam per "Legem," quae a Domino promulgata est e Monte Sinai, in lato sensu significatur Verbum, ideo etiam tabulae, quibus Lex illa inscripta fuit, vocantur "tabulae foederis," apud *Mosen*,

> "Ascendi in montem ad accipiendum tabulas lapidum, tabulas foederis, quod excidit Jehovah vobiscum;....a fine quadraginta dierum et quadraginta noctium dedit mihi Jehovah duas tabulas lapidum, tabulas foederis" (*Deutr.* ix. 9, 11):

per "tabulas" illas, hoc est, per "Legem" illis inscriptam, intelligitur Divinum Verum, per quod conjunctio cum Domino; ex qua conjunctione vocantur "tabulae foederis:" et quia omnis conjunctio, sicut foedus, fit a parte unius et a parte alterius, ita vicissim utrinque, ideo tabulae illae binae fuerunt, et ex lapide; quod ex lapide, erat quia per "lapidem" etiam significatur Divinum Verum in ultimis (videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 643, 3720, 6426, 8609, 10376). Inde est quod arca, in qua tabulae illae repositae fuerunt, dicta sit "arca foederis," et quod illa apud filios Israelis fuerit sanctissima cultus, de qua videatur articulus praecedens.

[*d.*] Tertio, *Quod praecepta, judicia et statuta, filiis Israelis mandata, fuerint illis foedus, quia per illa fuit tunc conjunctio cum Domino*, constare potest ex sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Si in statutis meis ambulaveritis, et praecepta mea observaveritis et feceritis ea,....respiciam ad vos,....et fructificabo vos et multiplicabo vos, et confirmabo foedus meum vobiscum. ....At si statuta mea reprobaveritis, ut non faciatis omnia praecepta mea,.... dum irritum feceritis foedus meum," contrarium faciam vobis (*Levit.* xxvi. 3, 9, 15, seq.):

in capite praecedente exponuntur statuta et praecepta quae observaturi erant et facturi; et in hoc capite bona

quibus gavisuri si praecepta et statuta illa custodirent, et postea mala quae super illos ventura sunt si non custodirent: sed bona quibus gavisuri erant fuerunt bona terrestria et mundana, similiter mala, ex causa quia terrestres et naturales homines fuerunt, et non caelestes et spirituales; et inde nec sciverunt aliquid de bonis quae interius afficiunt hominem, nec de malis quae interius affligunt illum; sed usque externa, quae observare tenebantur, erant talia quae intus in se continerent caelestia et spiritualia, per quae ipsa conjunctio est cum Domino; et quia haec percipiebantur in caelo, ideo externa, quae observaturi erant filii Israelis, vocantur "foedus." (Sed qualis conjunctio Domini cum filiis Israelis per illa fuit, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 248.) Similia per "foedus" intelliguntur in sequentibus locis:—Apud *Mosen*,

> "Dixit Jehovah ad Mosen, Scribe tibi verba haec, quia super ore verborum horum pepigi tecum foedus et cum Israele" (*Exod.* xxxiv. 27);

apud eundem,

> "Custodite verba foederis hujus, et facite ea,....vos stantes hodie hic, ...capita vestra, tribus vestrae,...moderatores vestri, et omnis vir Israelis,....ad transeundum in foedus Jehovae..., et in juramentum Ipsius, quod Jehovah Deus..excidens tecum hodie, ut constituat te hodie..in populum, et Ipse sit tibi in Deum:....non vobiscum solis excido foedus hoc et juramentum.., sed etiam cum omni....qui non hic vobiscum hodie" (*Deutr.* xxix. 8, 9, 11–14 [*B. A.* 9, 10, 12–15]);

in *Libro Secundo Regum*,

> Rex Joschia "misit, et congregarunt se ad eum omnes seniores Jehudae et Hierosolymae: et ascendit rex Domum Jehovae, et omnis vir Jehudae, et omnes habitatores Hierosolymae cum eo, tum sacerdotes et prophetae, et totus populus a parvo usque ad magnum; et legit in auribus eorum omnia verba Libri foederis inventi in Domo Jehovae: et stetit rex ad columnam, et pepigit foedus coram Jehovah, ad eundum post Jehovam, et ad custodiendum praecepta Ipsius et testimonia Ipsius, et statuta Ipsius, omni corde et omni anima, ad stabiliendum omnia verba foederis hujus scripta super libro hoc: et stetit omnis populus in foedere" (xxiii. 1–3);

et praeter alibi

> (Ut *Jerem.* xxii. 8, 9; cap. xxxiii. 20–22; cap. l. 5: *Ezech.* xvi. 8: *Malach.* ii. 14: *Psalm.* lxxviii. 37; Ps. l. 5, 16; Ps. ciii. 17, 18; Ps. cv. 8, 9; Ps. cvi. 45; Ps. cxi. 5, 9: *Deutr.* xvii. 2: 1 *Reg.* xix. 14):

in quibus locis nominatur "foedus," et per illud significantur externa, quae filii Israelis observaturi erant. Quod autem foedus attinet quod Dominus pepigit cum Abrahamo, Isaco, Jacobo, non fuit sicut foedus quod pepigit

cum posteris ex Jacobo, sed fuit foedus a parte Domini quod multiplicaretur semen eorum, et daretur ei terra Canaan, et a parte Abrahami, Isaci et Jacobi, ut circumcideretur omnis masculus: quod aliud foedus fuerit cum posteris Jacobi, constat apud *Mosen*,

> "Jehovah Deus..excidit nobiscum foedus in Chorebo; non cum patribus nostris excidit Jehovah foedus hoc, sed cum nobis" (*Deutr.* v. 2, 3).

De hoc foedere ita legitur apud *Mosen*,

> "Jehovah eduxit" Abrahamum "foras, et dixit, Specta versus caelum, et numera stellas;....et dixit illi, Ita erit semen tuum: et dixit ad illum, Accipe tibi..vitulam triennem, et capram triennem, et arietem triennem, et turturem et pullum;....ac partitus est illa in medium, et dedit quamvis partem suam obviam alteri, et volucrem non partitus. ....Et sol occidit, et caligo facta est, et ecce furnus fumi et fax ignis transivit inter segmenta. In die illo pepigit Jehovah cum [1]Abrahamo foedus, dicendo, Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum Euphratem" (*Gen.* xv. 5–18);

et postea,

> "Dabo foedus meum inter Me et inter te, et multiplicabo te in valde valde;....Ego, ecce foedus meum cum te, et eris in patrem multitudinis gentium;....et fructificabo temet:....et dabo tibi et semini tuo post te terram peregrinationum tuarum, omnem terram Canaan, in possessionem aeternam..... Hoc foedus meum, quod custodietis inter Me et inter vos, et inter semen tuum post te; circumcidetur vobis omnis masculus;....qui non circumciditur carne praeputii, excidetur anima illa ex populis suis; foedus meum irritum fecit:....et foedus meum erigam cum Isaco, quem pariet tibi Sarah" (*Gen.* xvii. 1–21).

Ex his constare potest quale foedus initum est cum Abrahamo, nempe quod "valde multiplicaretur semen ejus," et quod "daretur illi terra Canaan in possessionem." Ipsa praecepta, judicia et statuta, per quae foedus, non memorantur; sed usque significantur per "vitulam, capram et arietem triennes," et per "turturem et pullum columbarum," per illa enim animalia significantur talia quae ecclesiae sunt; et per ipsam "terram Canaanem" significatur ecclesia. Et quia praevidit Dominus quod posteri Abrahami ex Jacobo non custodituri essent foedus, inde apparuit Abrahamo "furnus fumi et fax ignis transiens inter segmenta;" et per "furnum fumi" significatur densum falsum, et per "facem ignis" dirum malum, in quibus futuri posteri ex Jacobo; quod etiam confirmatur apud *Jeremiam* (cap. xxxiii. vers. 18–20). Quod "Abram partitus sit vitulam, capram et arietem, et dederit quamvis

partem obviam alteri," erat secundum rituale foederum, quae sunt inter duos. (Sed haec plene explicata videantur in *Arcanis Caelestibus*, a n. [1]1783 ad 1862.) Quod foedus factum sit per circumcisionem, erat quia circumcisio repraesentabat purificationem ab amoribus sui et mundi, qui sunt amores corporei et terrestres, ac remotionem eorum; quare etiam circumcisio facta est per gladiolum ex lapide, per quem significatur verum doctrinae, per quod fit omnis purificatio a malis et falsis ac remotio eorum. (Sed singula quae de illo foedere in eo capite scripta sunt, etiam in *Arcanis Caelestibus* explicata sunt, a n. 1987 ad 2095: et de circumcisione, n. 2039 fin., 2046 fin., 2632, 2799, 4462, 7044, 8093, ibi.) Ast quia per "Abrahamum," "Isacum" et "Jacobum" in sensu interno intelligitur Dominus, inde per "semen" illorum significantur omnes qui ab ecclesia Domini sunt, quae ecclesia etiam intelligitur per "terram Canaanem," quam semen illorum hereditaturum erat. Fuit etiam foedus initum cum Noacho,

> Quod non perirent amplius homines per aquas diluvii, et quod arcus in nube esset in signum illius foederis (*Gen.* vi. 17, 18; cap. ix. 9–17):

quod etiam id foedus involvat conjunctionem Domini per Divinum Verum, constare potest ab explicatione eorum in *Arcanis Caelestibus* (n. 659–675, et n. 1022–1059); quod "arcus in nube," seu iris, ibi significet regenerationem, quae fit per Divinum Verum, et per vitam secundum illud, et quod inde sit quod ille arcus assumptus sit in signum foederis, videatur etiam ibi (n. 1042).

[*e*.] Quarto, *Quod praeterea quicquid conjungit, dictum sit foedus;* ut Sabbathum, apud *Mosen*,

> "Servabunt filii Isaelis Sabbathum....in generationes suas, foedus saeculi" (*Exod.* xxxi. 16):

quod Sabbathum dicatur "foedus saeculi," erat quia "Sabbathum" in supremo sensu significavit unionem Divini cum Humano in Domino, ac in sensu respectivo conjunctionem Domini cum caelo et ecclesia, et in universali sensu conjunctionem boni et veri, quae conjunctio vocatur conjugium caeleste: "quies in die Sabbathi" inde significavit statum unionis illius et conjunctionis illius, quia per illum Domino pax et quies, et per illum etiam pax et salus in caelis et in terris. (Quod illa per "Sabbathum," et per "quietem" tunc significentur, videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 8494, 8495, 8510, 10356, 10360, 10367, 10370, [2]10374, 10668, 10730.) Quod sal in sacrificiis dicatur "sal

foederis," etiam apud *Mosen*,

> "Non cessare facies salem foederis Dei tui super munere tuo, super omni munere tuo offeres salem" (*Levit.* ii. 13):

quod sal super munere dicatur "sal foederis," erat causa quia per "salem" significatur desiderium veri ad bonum, ex quo conjunctio utriusque (de qua salis significatione videatur in *Arcanis Caelestibus*, n. 9207). Quod uxor dicatur "uxor foederis," apud *Malachiam*,

> "Jehovah testificatus est inter te et inter uxorem juventutis tuae, contra quam tu perfide egisti, cum illa socia tua et uxor foederis tui" (ii. 14):

uxor ibi vocatur "uxor foederis" ex conjunctione cum suo viro; at per "uxorem" ibi significatur ecclesia, et per "uxorem juventutis" Ecclesia Antiqua, contra quam Ecclesia Judaica perfide egisse dicitur; et quia utraque repraesentativa fuit, et in eo similes, et sic forent conjunctae, ideo dicitur, "cum illa socia tua et uxor foederis tui." Quod "foedus cum lapidibus agri," dicatur apud *Hiobum*,

> "A fera agri non timebis, nam cum lapidibus agri foedus tuum, et fera agri pacifica erit tibi" (v. 22, 23):

per "foedus cum lapidibus agri" significatur conjunctio cum veris ecclesiae, nam "lapides" significant vera, "ager" ecclesiam, et "foedus" conjunctionem; per "feram agri" significatur amor falsi, a qua fera "non timebis," et quae "pacifica erit," quando conjunctio per vera est cum ecclesia. Dicitur etiam "foedus cum feris et avibus," apud *Hoscheam*,

> "Feriam illis foedus in die illo cum fera agri, cum ave caelorum, et cum reptili terrae" (ii. 18);

et apud *Mosen*,

> "Dixit Deus ad Noachum,....Ecce Ego erigo foedus meum vobiscum, ...et cum omni anima viva quae cum vobis, ad avem, ad bestiam et ad omnem feram terrae vobiscum, ab omnibus egredientibus arca, quoad omnem feram terrae" (*Gen.* ix. 9, 10):

per "foedus cum bestia, fera, avi et cum reptili terrae," significatur conjunctio cum talibus apud hominem quae significantur per illa, per "bestiam" enim significatur affectio boni, per "feram" affectio veri, per "avem" cogitativum, et per "reptile terrae" scientificum, quod ex affectionibus illis vivit. Dicitur etiam "foedus cum morte," apud *Esaiam*,

> "Dixistis, Excidimus foedus cum morte, et cum inferno fecimus visionem:....abolebitur foedus vestrum cum morte, et visio vestra cum inferno non consistet" (xxviii. 15, 18):

"excidere foedus cum morte" significat conjunctionem per falsum ex inferno, ex quo homo spiritualiter moritur; "facere visionem cum inferno" significat divinationem quasi propheticam ex inferno. Ex his nunc in serie allatis constare potest quod per "foedus," ubi agitur de Domino, significetur conjunctio per Divinum Verum. Est quidem conjunctio cum Ipso per bonum amoris; sed quia Dominus influit apud hominem per bonum in vera, unde homini est affectio veri, et homo recipit bonum Domini in veris, ex quibus est illi agnitio, confessio et adoratio Domini, inde bonum amoris per verum conjungit, comparative sicut calor solis tempore veri et aestatis cum fructificationibus terrae.

702. *"Et facta sunt fulgura, voces et tonitrua."*—Quod significet *tunc in inferioribus, ubi mali, conflictus et turbae cogitationum et ratiocinationes ex malis et falsis de bonis et veris*, constat ex significatione "fulgurum, vocum et tonitruum," quod sint illustrationes, cogitationes et perceptiones (de qua supra, n. 273); et in opposito sensu, ut hic, conflictus et turbae cogitationum, et ratiocinationes ex malis et falsis de bonis et veris ecclesiae (de qua etiam supra, n. 498). In sensu stricto per "fulgura" significantur caligationes intellectus, per "voces" ratiocinationes, et per "tonitrua" conclusa falsi ex malo; et quia ex illis, secundum statum interiorum apud illos, tunc fiunt conflictus et turbae affectionum et cogitationum, et inde ratiocinationes ex malis et falsis de bonis et veris ecclesiae, ideo haec ex serie consequente a praecedentibus per illa verba significantur. Quod "fulgura, voces et tonitrua," tum etiam "terrae motus et grando" exstiterint in inferioribus, patet ex eo, quod in superioribus visum sit "templum," et visa sit "arca foederis in templo," per quae significatur apparitio novi caeli ubi cultus Domini, et repraesentatio Divini Veri per quod conjunctio, ut ex praecedentium explicatione constare potest; ex quibus sequitur quod illa exstiterint in inferioribus per influxum e caelis superioribus. Quod talia exstiterint in inferioribus per influxum e caelis superioribus, elucidatum est prius: sed quia talia sunt quae non cadunt in alicujus intellectum, nisi per vivam revelationem et inde cognitionem de influxu superiorum in inferiora in mundo spirituali, haec quia mihi revelata sunt, et inde cognita, velim hoc arcanum breviter exponere. In mundo spiri-

tuali, per quem intelliguntur et caeli et inferna, talis est ordinatio quod caeli sint sicut expansa, unum supra alterum, et quod sub caelis sit mundus spirituum, et quod sub hoc sint inferna, unum infra alterum: secundum successivam hanc ordinationem fit influxus a Domino, ita per caelum intimum in medium, et per hoc in ultimum, et ex illis in suo ordine in inferna quae subjacent. Mundus spirituum est medius, et recipit influxum tam e caelis quam ex infernis, quisque ibi secundum statum suae vitae. Sed illa ordinatio caelorum et infernorum mutationes subiit ab uno judicio ad alterum, per id, quod homines qui e terris alluerunt, ex quibus caeli et inferna, diversis affectionibus fuerint, quidam spirituales seu interni minus et magis, quidam naturales seu externi minus et magis. Et quia Dominus nemini malum facit, sed omnibus bonum, ideo permisit ut illi qui moralem et quasi spiritualem vitam in externis ex more et assuetudine in mundo egerunt, utcunque interius fuerunt conjuncti cum inferno, sibi in mundo spirituum formarent instar caeli variis in locis; et tunc ordinationes caelorum supra illos, et infernorum infra illos, dispositae sunt ut interiora illorum, per quae conjuncti fuerunt inferno, quantum possibile fuit, clausa tenerentur, et exteriora, per quae conjuncti fuerunt ultimo caelo, aperta: et tunc provisum fuit ne superiores caeli immediate influerent, nam per influxum immediatum aperirentur interiora illorum, quae infernalia, et clauderentur exteriora quae sicut spiritualia apparuerunt; influxus enim caelorum superiorum est in interiora, quae propria spirituum sunt, et non in exteriora, quae non propria illorum sunt. Quando autem tales quasi caeli in tantum multiplicati sunt, et inde influxus ex infernis praevalere coepit super influxum e caelis, et per id caelum ultimum, quod cum illis conjunctum fuit, incepit labefactari, tunc imminuit ultimum judicium, et per vices facta est separatio malorum a bonis in [1]novis illis quasi caelis, et hoc per influxum immediatum e caelis superioribus; et per illum influxum aperta sunt illorum interiora, quae fuerunt infernalia, et clausa exteriora quae fuerunt sicut spiritualia, ut supra dictum est. Ex his nunc patet unde erat quod apparuerit "templum" et "arca in templo;" per quae significatur Divinum Verum, quo illustrati fuerunt caeli superiores, e

quibus influxus fieret in inferiora ubi erant mali: ex hoc influxu factum est quod in inferioribus, ubi mali, visa sint "fulgura," auditae sint "voces et tonitrua," tum quod facti "terrae motus," et depluerit "grando." Influxus e caelis, hoc est, per caelos a Domino, non est nisi amoris boni et affectionis veri, sed vertitur ille apud malos in talia quae correspondent illorum malis et inde falsis, ita quae correspondent illorum amori mali et affectioni falsi; et quia conflictus et turbae cogitationum et ratiocinationes ex malis et falsis de bonis et veris ecclesiae, in quibus fuerunt, correspondent "fulguribus," "vocibus," et "tonitribus," ideo haec sunt per quae significantur illa: hic enim agitur de statu caeli, qualis futurus est proxime ante ultimum judicium. Quod conflictus et turbae cogitationum et ratiocinationes ex malis et falsis de bonis et veris ecclesiae existant apud illos qui interius mali sunt, et exterius apparent boni, postquam aperta sunt illorum interiora et clausa exteriora, est ex conflictu interiorum illorum cum exterioribus in primo statu separationis; sed ut primum exteriora prorsus clausa sunt, ac illi relicti sunt suis interioribus, tunc cessat conflictus; sunt enim tunc plane in amore sui mali et in affectione sui falsi, et inde in suae vitae jucundo; quare tunc se dejiciunt in infernum ad sui similes, quod fit die ultimi judicii.

703. *"Et terrae motus."*—Quod significet *mutationes status quoad illa quae caeli et ecclesiae sunt apud illos*, constat ex significatione "terrae motus," quod sit mutatio status ecclesiae, de qua supra (n. 400). Quod in mundo spirituali sint terrae, colles, montes, et quod illi concutiantur, quando status ecclesiae apud illos mutatur in malum et in falsum, et quod illi terrae motus intelligantur per "terrae motus" de quibus dicitur in Verbo, etiam supra (n. 400, 499).

704. *"Et grando magna."*—Quod significet *falsum infernale destruens vera et bona ecclesiae*, constat ex significatione "grandinis," quod sit falsum infernale destruens vera ecclesiae (de qua supra, n. 503); et quia dicitur "grando magna," et "magnum" praedicatur de bono, et "multum" de vero (videatur etiam supra, n. [652[a],] 696), inde "grando magna" etiam significat falsum infernale destruens bona ecclesiae. Quod praeter "fulgura, tonitrua et terrae

motus," etiam visa sit "grando magna," est quia in mundo spirituali apparent omnia quae in mundo naturali, sicut nimbi, nubes, pluviae, nix et grando, quae quidem sunt apparentiae sed reales, oriundae ex correspondentiis; nam Divina caelestia et spiritualia, quae propria sunt affectionum et inde cogitationum, ita boni amoris et veri illius boni, apud angelos, cum descendunt in sphaeram proxime inferiorem, induunt formas naturalium similes, ac ita se sistunt coram oculis videndas; ita formantur correspondentiae: similiter fulgura, tonitrua, et grando; haec nempe grando formatur ex defluxu Divini Veri, ubi sunt mali, qui per ratiocinia concludunt falsa, et per illa impugnant vera ac destruunt illa: cum enim Divinum Verum e caelis influit in sphaeram quae est circum malos et apparet sicut nimbus formata ex malis affectionibus et inde falsis cogitationum illorum, tunc influxus ille vertitur in varia, ac in grandinem apud illos qui ex malis et falsis cogitant contra bona et vera caeli et ecclesiae, ac vehementer impugnant illa: causa est quia affectiones et inde cogitationes illorum, quae sunt falsi contra vera, sunt absque omni calore caelesti; inde concrescit pluvia, quae etiam subinde e caelis in inferiora delabitur, in nivem aut in grandinem, et grando illa destruit omnia quae apud illos virent et crescunt, et quoque habitationes illorum, prorsus sicut legitur de grandine in Aegypto: causa quod destruat, est quia "illa quae virent et crescunt" significant vera ecclesiae, et "habitationes" bona ejus, quae illi apud se destruunt: hoc fit, ut supra dictum est, ex correspondentia. Grando apparet etiam concreta in partes majores et minores secundum impugnationes fortiores et leniores veri per falsa; majores partes vocantur in Verbo "lapides grandinis," quia per "lapides" etiam significantur falsa. Ex his nunc constare potest unde est quod per "grandinem magnam" significetur falsum infernale destruens vera et bona ecclesiae.

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	Sig.	
1325	1	*fumus pro* "puteus" (*videatur infra*, n. 539[*a*]).
	2	vocibus *pro* "vicibus"
1326	1	18 *pro* "10"
1328	1	20 *pro* "21"
	2	quia *pro* "*qui*"
1330	1	illis *pro* "*illi*" (*vid. A. C.*, n. 2702).
1332	1	9134 *pro* "9135"
	2	domino *pro* "*dominus*" (*vid. A. C.*, n. 9088).
1333	1	22, 24 *pro* "21, 23"
1336	1	*Verba uncis inclusa maxima in parte videantur supra*, n. 315[*c*].
1338	1	eorum *pro* "*ejus*" (*vid. A.C.*, n. 756).
1339	1	illi *pro* "illis"
1340	1	"Jehovah":—*sic ed. photolith.; videatur autem supra*, n. 504[*e*], *ubi legitur* "Dominus," *secundum textum Hebraicum.*
1342	1	xlix. *pro* "xli."
	2	eundem *pro* "Esajam"
1343	1	contendendum *pro* "*comedendum*"
	2	xx. *pro* "x."
1344	1	omnis *pro* "*omnes*" (*vide supra*, n. 275[*b*]).
	2	eam *pro* "*te*" (*vide supra*, n. 518[*b*]; *tum quoque A. C.*, n. 2702).
1349	1	xix. 3 *pro* "xiv. 11"
	2	504[*b*] *pro* "475, 504"
1350	1	vii. *pro* "viii."
1351	1	clibanus *pro* "*clibano*" (*vid.* n. 386[*e*], 655[*a*], 863[*a*]).
1352	1	clibanus *pro* "clibano" (*videatur nota proxima antecedens*).
1353	1	"abscondisti":—*sic ed. photolith. In A. C.*, n. 7519, *legitur* "abscondi"
	2	fiunt *pro* "fiant"
1354	1	eos *pro* "*vos*"
	2	vos *pro* "*eos*"
	3	Eduxisti *pro* "*Eduxit*"
1356	1	*datum* (*ut supra*) *pro* "dictum"
	2	*naturales* pro "naturalis" (*videatur infra*, n. 555[*a*]).
1360	1	9212 *pro* "9121"
	2	6317 *pro* "6316"
	3	"cogitat":—*sic editio photolith. In Doctrina Novae Hierosolymae*, n. 50, *legitur* "sentit".
1362	1	"agri":—*sic editio photolith.; forte, ut in loco citato, legeris* "terrae".
	2	loqui *pro* "velle"
1363	1	quae *pro* "*qui*"
1364	1	quae *pro* "qui"
	2	vii. *pro* "v."
	3	22 *pro* "21"
1365	1	"3686":—*sic editio photolith. Forte hic legeris* 4454 *aut* 6854.
1368	1	inducit *pro* "inducat"
1372	1	*datum pro* "dictum" (*vid. infra, ad hujus articuli finem*).
1374	1	significent *pro* "significet"
1376	1	37 *pro* "31"
	2	24 *pro* "36"
1378	1	illarum (*ut supra*) *pro* "illorum"
	2	544 *pro* "543"
1379	1	persuasit: verbo *pro* "persuasit e verbo"
1380	1	*sensualis factus, sit* pro "sensualis factus sit" (*vid. supra*, n. 542).
1382	1	170–176; ut et supra, in explicatione, n. 369, 395[*a*] *pro* "170 ad 176, 369; ut et supra in Explicatione, n. 395".
1385	1	Jehudae *pro* "*Hierosolymae*"

Pag.	Sig.	
1385	2	xliv. *pro* "xlv."
1387	1	"filios vestros":—*sic editio photolith.: fortasse legeris* filias vestras.
	2	"filios":—*sic editio photolith.; fortasse legeris* filias.
	3	"per filios qui in veris ecclesiae, per sociam quae in bono ejus":—*sic editio photolith. Forte hic legeres*, per "filias" qui amant vera ecclesiae, per "sociam" qui in bono ejus.
1388	1	deripientur *pro* "*deripietur*"
1390	1	illum *pro* "*illos*" (*vid. A. C.*, n. 53).
1394	1	"illis":—*sic editio photolith.; forte legeris* illi.
	2	"filii" *ac* "filios":—*sic editio photolith. Conferatur articulus* n. 919, *ubi legitur* "filiae" *ac* "filias"; *ubi quoque legimus*, "per 'filias confidentes' significantur illi in ecclesia qui plus amant falsa quam vera."
1395	1	iv. *pro* "iii."
1396	1	"averte":—*sic editio photolith.; sic etiam A. C.*, n. 9052, *et Apoc. Rev.*, n. 435. *Le Boys des Guays hic legeret* "everte".
	2	"redigit":—*sic editio photolith. Videatur supra*, n. 403[*b*], *ubi legitur* "*redegit*".
1399	1	31 *pro* "30"
1402	1	colliquescet *pro* "*colliquescit*"
	2	mutum (*ut infra*, n. 815[*b*]) *pro* "*malum*"
1414	1	nominis *pro* "hominis"
1415	1	531 *pro* "532"
1417	1	9215, 9216 *pro* "9216, 9217"
1421	1	"naturale":—*sic editio photolith.; fortassis autem, cum Le Boys des Guays, legeris* "rationale".
1422	1	inde *pro* "sed inde" ("sed" *cum deletis cohaerente*).
1423	1	*Ab auctore primum est scriptum* "Abramo"
	2	1866 *pro* "1867"
1424	1	quam *pro* "quem"
1427	1	xi. *pro* "xv."
1429	1	161 *pro* "162"
1430	1	deprivant *pro* "deprivent"
1432	1	535 *pro* "504"
1434	1	7957 *pro* "7956"
1434	2	13, 18 *pro* "14, 19"
	3	16 *pro* "8"
1435	1	significentur *pro* "significent"
	2	525 *pro* "524"
	3	"eorum," "eos":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 405[*h*], *ubi legimus* "*earum*", "*eas*".
1436	1	"eos":—*sic editio photolith. Videatur proxima praecedens nota.*
1443	1	2–6 *pro* "4, 5, 6"
	2	significat *pro* "significatur"
	3	"vestes":—*sic editio photolith. Videatur Apoc. Rev.*, n. 450, *ubi legitur* "vestis"
1446	1	"oppressiones":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 355[*g*], *ubi legimus* "oppressionem".
	2	xxxiii. 13–16 *pro* "xxi. 11, 12"
	3	significat *pro* "significant"
	4	10 *pro* "19"
1447	1	Israele (*ut in loco citato*) *pro* "Aegypto"
	2	super (*ut in loco citato*) *pro* "per"
1448	1	eundo *pro* "*flendo*"
	2	facient *pro* "*facerent*" (*vide infra*, n. 1175; *tum Apoc. Rev.* n. 788).
1450	1	perdiderunt *pro* "perdidit"
1452	1	546 *pro* "646"
1456	1	377[*a*] *pro* "376"
	2	significent *pro* "significet"
1457	1	2 *pro* "20"
1458	1	xiv. *pro* "xv."
	2	occultaverint se *pro* "*occultaveris te*" (*videatur infra explicatio*).
1459	1	eques (*ut infra in explicatione*) *pro* "*equus*"
1461	1	575 *pro* "574"
1463	1	custodias (*vid. A. C.*, n. 6752) *pro* "*custodiunt*".
1468	1	"ejus":—*sic editio photolith.; vide autem supra*, n. 576, *ac infra*, n. 587[*b*], *ubi legimus* "*eorum*", *quod recte interpretatur textum Hebraicum.*
1469	1	7 *pro* "8"
	2	ejus *pro* "*tuus*". (*Vide infra*, n. 706[*c*]; *et Apoc. Rev.* n. 407.)
1471	1	Cubabunt *pro* "*Cantabunt*" (*vide infra*, n. 1029[*e*]).

Pag.	Sig.	
1473	1	putrescet *pro* "*putrescat*" (*videatur infra*, n. 1145; *et A. C.*, n. 8869).
1475	1	format *pro* "*firmat*" (*vid. supra*, n. 386[*b*]; *tum A. C.*, n. 8941, 9424, 10406).
1480	1	"et depulsus est ab homine, et factus est sicut bestia":—*sic editio photolith. De* Nebuchadnezare *autem, non de Belschazare, in litterali historico sensu* versus 21, *agitur. Videatur supra*, n. 220[*b*], pag. 325, nota 1.
1488	1	9215, 9216 *pro* "9216, 9217"
1490	1	412[*b*] *pro* "424"
1491	1	"Aegyptii":—*sic editio photolith.; sic infra*, n. 654[*h*]; *sic etiam Schmidius. Forte legeris* Aegypti, *quod textum Hebraicum rectius interpretatur.*
1462	1	"Aegyptii":—*videatur nota proxima antecedens.*
	2	"tenebras":—*sic editio photolith. Vide A. C.*, n. 4301, 7553, 9406, *quibus in articulis legitur* "*tenebrae*".
1493	1	"Te":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 205 *et* 401[*b*], *tum infra*, n. 684[*c*] *et* 768[*d*]; *quibus in locis legitur* "*Me*".
	2	*Forte hic legeris* contignans; *vid. supra*, n. 419[*d*].
	3	nubes (*ut in explicatione*) *pro* "*nubem*"
1494	1	fructificent *pro* "*fructificet*" (*vid. A. C.*, n. 348, 9263).
1495	1	liget *pro* "ligat" (*vid. infra*, l. 19, *ubi legitur* "quod expandat").
	2	rumpatur *pro* "rumpitur" (*videatur nota proxima antecedens*).
1496	1	16, 18 *pro* "9"
	2	x. 3, 4 *pro* "ix. 4"
1499	1	capite *pro* "*expansum*" (*vid. supra*, n. 253[*a*], 280[*c*], 297).
1500	1	26–28 *pro* "26, 28, 29"
	2	86 *pro* "87"
1501	1	1059 *pro* "1060"
1502	1	525 *pro* "524"
1504	1	dextrum enim *pro* "dextrum enim et sinistrum". *Inspiciatur editio photolith.*, pag. 547, l. 3.

Pag.	Sig.	
1505	1	3, 4 *pro* "34"
1508	1	petierit *pro* "petierint"
1509	1	liv. *pro* "iv."
1510	1	caedere *pro* "cadere"
1511	1	*Sachariam* pro "Eundem"
1512	1	dextrum *pro* "*sinistrum*" (*vid. A. C.*, n. 7430, 10061).
	2	dextro *pro* "sinistro"
1516	1	faciet *pro* "facit"
1517	1	ponam *pro* "*parum*" (*vid. supra*, n. 187[*b*]).
1518	1	"devastata":—*sic editio photolith. Videatur autem A. C.* n. 9348, *ubi legitur* "*desolata*".
1520	1	300 *pro* "299"
1522	1	opera *pro* "*omnia*" (*vid. supra*, n. 342[*b*], 513[*b*]; *tum infra*, n. 650[*a*]).
1525	1	"subducit":—*sic editio photolith. In Arcanis Caelestibus*, n. 2842, *legitur* "*recedet*".
	2	50 *pro* "40"
1526	1	xix. 18 *pro* "xviii. 19"
1527	1	*Levit.* xix. 12; *Deutr.* v. 11; *Exod.* xx. 7; *Sach.* v. 4 *pro* "*Deutr.* v. 11; *Exod.* xx. 7; *Levit.* xix. 12; *Sachar.* v. 4".
	2	"destruxerunt":—*sic ed. photolith. Forte, cum Schmidio, hic legeris* deseruerunt.
1528	1	577 *pro* "578"
1529	1	294 (*quod est semideletum*) *restitui.*
1532	1	7 *pro* "24"
	2	14 *pro* "24"
1533	1	Davidis (*ut supra*, n. 527) *pro* "*Israelis*"
	2	14 *pro* "13"
1536	1	"Rex":—*sic editio photolith.* (*Videatur supra*, n. 365[*e*], pag. 721, nota 3.)
	2	lii. *pro* "li."
1538	1	35 *pro* "3"
	2	x. *pro* "ix."
1539	1	delectationem *pro* "delectionem"
1544	1	13 *pro* "3"
1546	1	ad *pro* "*a*" (*videatur infra in explicatione*).
1551	1	vestri *pro* "*nostri*" (*videatur infra*, n. 899[*b*]).
1554	1	18 *pro* "17"
1556	1	caedere *pro* "cadere"
1557	1	26–28 *pro* "1, 2, 3"
	2	in *pro* "ab"

Pag.	*Sig.*	
1559	1	jucunda *pro* "injucunda"
1561	1	esset *pro* "*essent*"
1563	1	vii. *pro* "viii."
1565	1	22 *pro* "20"
	2	431[*b*] *pro* "417"
1570	1	6857 *pro* "6856"
1574	1	34 *pro* "14"
1575	1	Quod *pro* "*Quoad*"
1580	1	43 *pro* "42"
	2	doctrinam *pro* "doctrina"
1583	1	"rugit":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 601[*a*], *ubi legitur* "*rugiit*".
1585	1	9 *pro* "8"
1587	1	51 *pro* "52"
	2	solum *pro* "non solum"
	3	oriundam *pro* "oriundum"
1589	1	"quin":—*sic editio photolith. Schmidius hic habet* "quare".
	2	externi *pro* "externus"
1592	1	19 *pro* "20"
1598	1	praecedit *pro* "quae praecedit" ("quae" *cum verbis deletis cohaeret*).
1603	1	"desiderat":—*sic editio photolith. Videatur supra*, n. 440[*a*], *tum A. C.*, n. 9391, *quibus in articulis legitur* "*desiderant*".
	2	manus suas *pro* "*munus suum*" (*vid.* n. 440[*a*] *et* 654[*e*]).
1609	1	descriptiones:—*sic editio photolith. Fortasse hic ut supra legeris* "dispositiones:" *Schmidius autem in loco citato habet* descriptiones.
1611	1	terra *pro* "terram"
1613	1	"condemnemini":—*sic editio photolith.; et sic De Am. Conj.*, n. 453, 523, 531; *sic etiam Schmidius. Videatur autem Doc. de Sac. Scrip.*, n. 51, *tum V. C. R.*, n. 226, *quibus in articulis legitur* "*judicemini*", *quod textum Graecum rectius interpretatur.*
1615	1	34 *pro* "24"
	2	xxii. *pro* "xxxii."
1617	1	sunt *pro* "est"
1618	1	vi. *pro* "v."
1619	1	Gemariae *pro* "*Gemaliae*"
1621	1	cxvi. 14, 18, 19 *pro* "xcvi. 14"
1622	1	ii. *pro* "iii."
1623	1	8–10 *pro* "8, 10"
1627	1	tuum *pro* "*nostrum*" (*vid. A. C.*, n. 9479).
1628	1	conculcabitis *pro* "*conculcabis*"
1631	1	iv. *pro* "v."
	2	12 *pro* "13"
1632	1	consumantur *pro* "*consummantur*"
1633	1	xxiv. *pro* "xvi."
	2	1, 5 *pro* "15"
1636	1	9 *pro* "4"
	2	significant *pro* "significent"
1637	1	vi. *pro* "vii."
1638	1	xxxvii. *pro* "xxvii."
	2	ruperit *pro* "*quod ruperit*"
1640	1	inducere *pro* "induere"
1646	1	"quintus":—*sic editio photolith. Forte* (*cum Le Boys des Guays*) *legeris* quartus.
	2	"sextus":—*sic editio photolith. Forte* (*cum Le Boys des Guays*) *legeris* quintus.
	3	cxxviii. *pro* "cxxxviii."
1648	1	26 *pro* "16"
1649	1	poenae *pro* "paene"
1650	1	"ira":—*sic editio photolith. Videatur explicatio, tum A. C.*, n. 9277; *quibus in locis, secundum textum Hebraicum, legitur* "ignis".
1652	1	xlv. *pro* "lxv."
	2	2 *pro* "11"
1660	1	xviii. *pro* "viii."
1664	1	"suo":—*sic editio photolith. Videatur A. C.*, n. 7571, *ubi legitur* "*serotinum*," *quod recte interpretatur textum Hebraicum.*
1665	1	lxxii. 6, 7 *pro* "cxlvii. 8, 6"
1666	1	"nubes":—*sic editio photolith. Vide autem A. C.*, n. 93, 2405; *App. ad V. C. R.*, n. 53; *Dict. Prob.*, *ed.* 1845, p. 28; *Index Bibl.*, *s. v.* **Aurora**; *quibus in locis legitur* "*Aurora*," *quod textum Hebraicum recte interpretatur.*
1667	1	benefacite *pro* "*benedicite*" (*vid. A. C.*, n. 2371).
1668	1	eum *pro* "*cum*" (*vid. supra*, n. 411[*c*]).
1669	1	"quia":—*sic editio photolith. Videatur supra*, n. 503[*b*], *ubi legitur* "qua".
	2	xiii. *pro* "iii."

Pag.	Sig.	
1669	3	22 *pro* "23"
1670	1	"convertere aquas in sanguinem":—*sic editio photolith. Forte* (*cum textu versus*) *legeris* "percutere terram omni plaga".
	2	significatur *pro* "significetur"
1671	1	253 *pro* "251"
1672	1	malos *pro* "bonos"
1673	1	*absolverint pro* "absolverunt"
1676	1	qui *pro* "quia"
1678	1	i., x. *pro* "i. ad x."
1679	1	"at":—*ab auctore forte scriptum sit* ac.
	2	"alioqui":—*in editione photolith. legitur* "non alioquin":—"non" *manu auctoris forte non scriptum, sive ab ipso deletum sit.*
1680	1	xxxvi. 29 *pro* "xxxviii. 14"
1681	1	hominem *pro* "hominem et bestiam"
1682	1	sextus *pro* "*tertius*"
1689	1	significat *pro* "significant"
1690	1	ii. *pro* "i."
1691	1	habitantium (*ut infra in explicatione*) *pro* "*dominantium*"
1692	1	"avis":—*sic editio photolith. Forte legeris* avi.
	2	"bestia":—*sic editio photolith. Forte legeris* bestiae, *ut infra*, n. 1100[*c*].
	3	"haedos":—*sic editio photolith. Videatur autem A. C.*, n. 4735, *ubi secundum textum Hebraicum legitur* "*hircos*".
1693	1	"haedos":—*sic editio photolith. Videatur proxima antecedens nota.*
	2	qui *pro* "quae"
1696	1	22 *pro* "27"
1697	1	significantur *pro* "removentur"
1698	1	20 *pro* "5, 8"
1699	1	xxxii. *pro* "xxii."
1700	1	2–7 *pro* "3, 4, 5"
	2	xvii. *pro* "xviii."
1703	1	lix. *pro* "ix."
1704	1	xxiv. *pro* "xxvi."
1707	1	Num *pro* "*Non*"
	2	xliv. *pro* "xlv."
1708	1	xlviii. *pro* "xlv."
1709	1	septimanarum *pro* "septimanum"
1710	1	hic *pro* "similia hic"
1711	1	excutimus *pro* "*excutiamus*"
	2	vobis *pro* "*nobis*"
	3	10, 11 *pro* "8, 9"
	4	2 *pro* "3"
1714	1	ea *pro* "*eo*"
	2	35 *pro* "37"
1716	1	"tibi":—*sic editio photolith. A Schmidio hic legitur* "vobis," *quod textum Graecum rectius interpretatur.*
1717	1	10–12 *pro* "10, 11, 13"
1718	1	aliquid: — *manu auctoris forte scriptum sit* aliquod.
1724	1	2–9 *pro* "1–8"
1726	1	scientia *pro* "scientiam" (*Hic primum scriptum est* "significat scientiam".)
1729	1	"e":—*sic editio photolith.; sic etiam supra*, n. 502[*b*]; *videatur autem supra*, n. 405[*e*], *ubi legitur* "in".
1730	1	"e":—*sic editio photolith.; videatur nota proxima antecedens.*
1733	1	xxvii. *pro* "xxvi."
1736	1	illius *pro* "*illi*"
1737	1	illius *pro* "illi"
	2	occupatura *pro* "occupaturi"
1738	1	naturales *pro* "naturalis"
	2	significantur *pro* "significentur"
1740	1	per *pro* "quod per"
1741	1	"Aegyptii":—*sic editio photolith.; sic etiam supra, n.* 594[*b*]; *sic Schmidius. Forte legeris* Aegypti, *quod textum Hebraicum rectius interpretatur.*
	2	"ramus et juncus":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 559 *et* 577[*a*], *quibus in articulis legimus* "ramum et juncum". "Aegyptii": *sic editio photolith. Forte legeris* Aegypti.
1743	1	"ramus et juncus":—*sic editio photolith. Forte legeris* ramum et juncum.
1746	1	"eorum":—*sic editio photolith.; vide autem A. C.*, n. 2799, *ubi legitur* "ejus".
1751	1	Ohola *pro* "Oholiba"
1755	1	5 *pro* "15"
	2	cv. *pro* "cxxvi."
	3	51 *pro* "5"
1762	1	300 *pro* "299"

Pag.	Sig.	
1765	1	viii. *pro* "xviii."
	2	*Pro* "-runt" *legi* injecti fuerint, erat causa quia, dum vixerunt in mundo, in sordida avaritia fuerunt. (*Haec verba, quae editioni photolithographicae desunt, ex editione Anglica*, 1786, *suppleta sunt.*)
1766	1	sint *pro* "sunt"
1770	1	xv. *pro* "xiv."
1773	1	31 *pro* "32"
1775	1	Joschiae *pro* "*Josuae*"
1777	1	facies *pro* "*facient*". *Vid. A. C.*, n. 3812, 8339, *quibus in articulis legitur* "facies": "facient" *autem legitur V. C. R., ed.* 1771, n. 252, *Doc. de Scrip. Sac.*, n. 87: *sed in Apoc. Rev., ed.* 1766, *legitur* "faciet".
	2	8 *pro* "7"
	3	lxv. *pro* "lv."
	4	iii. 18 *pro* "i. 15"
1778	1	7 *pro* "10"
1782	1	150 *pro* "151"
1784	1	"meum":—*sic editio photolith. Forte legeris* tuum, *quod recte interpretatur textum Hebraicum.*
	2	cxxi. *pro* "cxxxi."
1790	1	significant *pro* "significent"
1791	1	"foedis":—*sic, nisi cum Le Boys des Guays hic legeris* falsis, *ut infra*, n. 675[*a*].
1793	1	"praecepit vobis foedus suum, quod pepigit vobis ad faciendum": — *sic editio photolith. Videatur autem A. C.*, n. 1288, 6804, 9396; *quibus in articulis legitur*, "Indicavit vobis foedus suum, quod praecepit vobis ad faciendum".
1794	1	significent *pro* "significet"
	2	Zionis *pro* "Zion"
1796	1	3–7 *pro* "3 ad 8"
1798	1	Asariah *pro* "*Ananiah*" (*vid. A. C.*, n. 5223).
	2	vii. *pro* "viii."
1800	1	est *pro* "sit"
1801	1	perierint *pro* "perierit"
1803	1	Viderunt (*ut supra*, n. 304[*d*]) *pro* "*Venerunt*"
1804	1	"fit:—*sic editio photolith. Videatur supra*, n. 612, *ubi legitur* "*fiet*," *quod rectius interpretatur textum Graecum.*
1804	2	ix. 34 *pro* "viii. 21"
	3	*Marc.* pro "*Luc.*"
	4	*Marc.* xv. 8 *pro* "*Luc.* xvi. 6, 7"
1806	1	18 *pro* "16"
1807	1	33 *pro* "34"
	2	531 *pro* "532"
1808	1	300 *pro* "200"
1810	1	"caelorum":—*sic editio photolith.; sic Schmidius; sic infra*, n. 1193; *A. C.*, n. 9184; *V. C. R.*, n. 416. *Sed videantur A. C., sententia prima, et* n. 5449; *tum opus De Caelo et Inferno*, n. 64; *quibus in locis legitur* "*Dei*".
1813	1	49 *pro* "46, 50"
	2	61 *pro* "60"
1817	1	optimo *pro* "optime"
1819	1	significat *pro* "significant"
	2	laborare (*cum Schmidio*) *pro* "labore"
1827	1	Quod significet *pro* "significat"
	2	322 *pro* "122"
1828	1	343 *pro* "342"
	2	33 *pro* "34"
	3	*Luc.* xx. 42, 43; *Marc.* xii. 36 *pro* "*Marc.* xii. 36; *Luc.* xx. 42, 43"
1833	1	1, 2, *pro* "12"
	2	"nomine":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 482, *ubi legitur* "robore," *quod textum Hebraicum rectius interpretatur.*
	3	Ambulare (*ut infra*) *pro* "sedere"
1834	1	supra, n. 417[*a*]; ac in opere *De Caelo et Inferno*, n. 534 *pro* "in *Opere de Caelo et Inferno*, n. 417, 534".
1836	1	videantur *pro* "videatur"
1837	1	*Primum scriptum, sed manu auctoris postea mutatum, in editione photolith. adhuc videri potest* "suis". *Non mutatum quidem* "suis" *videatur infra in hoc articulo, etiam in articulo* n. 695[*a*]; *tum in Apoc. Rev., ed.* 1764, *in Contentis Versuum Singulorum*

Pag.	Sig.	
		capitis xi., *et quoque ibi in articulo* n. 526.
1837	2	*Nota proxime antecedens videatur.*
1842	1	*Nota antecedens videatur.*
1843	1	coram *pro* "*cum*" (*vide A. C.*, n. 1793; *tum infra, in explicatione.*
	2	coram *pro* "cum" (vide *infra in explicatione; tum A. C.*, n. 6281.
1846	1	per *pro* "pro". (*Ab auctore primum scriptum est* "pro propheta".)
1847	1	et *pro* "est"
	2	684, 685 *pro* "584, 585"
1850	1	sic *pro* "si"
1852	1	"Induet":—*sic editio photolith. Forte, secundum textum Hebraicum, hic legeris* Induit.
	2	"intravit":—*sic editio photolith. Forte, secundum textum Hebraicum, hic legeris* intrat.
1857	1	duo *pro* "*sunt duo*"
1859	1	possunt *pro* "potest"
	2	9050 *pro* "9250"
	3	20 *pro* "12"
1860	1	18, 19 *pro* "29"
1861	1	"illam":—*sic editio photolith. Forte, secundum textum Hebraicum, legeris* [ut] eam.
	2	"Doce illam":—*sic editio photolith. Forte legeris* ut eam. *Videatur proxime antecedens nota.*
1862	1	10 *pro* "9"
	2	"Quiescit":—*sic editio photolith.; videatur autem supra*, n. 183[*b*], *ubi legitur* "Quiescet".
1863	1	caeli (*ut infra*) *pro* "Regni caeli"

Pag.	Sig.	
1864	1	18 *pro* "10"
1865	1	30 *pro* "13"
1867	1	significat *pro* "significant"
1872	1	Ceterum *pro* "*Caetum*"
1873	1	10304 *pro* "10505"
1874	1	"aditur":—*sic editio photolith. Fortassis autem legeris* auditur, *quod congrueret cum* "auditio" (vide supra, l. 6).
1875	1	significant *pro* "significatur"
	2	9484–9577, 9670–9680 *pro* "9546–9577"
	3	ad *pro* "a"
1876	1	dispergantur *pro* "*dispergentur*". (*Ab auctore primum scriptum est* "*et dispergentur*".)
1877	1	myriades *pro* "myriadum"
1878	1	325[*a*] *pro* "328"
	2	significat *pro* "significant"
1882	1	auferrentur *pro* "auferentur"
1893	1	significatur *pro* "et significatur"
1895	1	nequeunt *pro* "nequeant". (*Ab auctore primum scriptum est* "quod . . . . nequeant".)
	2	8 *pro* "9"
	3	e (*ut infra in explicatione*) *pro* "*a*"
1898	1	23, 24 *pro* "22"
1904	1	"Abrahamo":—*sic ed. photolith. Forte, secundum textum Hebraicum, legeris* Abramo.
1905	1	1862 *pro* "1860"
	2	10374 *pro* "10376"
1908	1	"novis illis":—*sic editio photolith. Fortasse pro* "novis illis" *legeris* illis.